1583

BREVIS ET

# CATHOLICA DECALOGI EXPLICATIO IN TRES PARTES, SEV LIBROS distincta.



Autore Ioanne Hessels à Louanio, Sacræ Theologiæ, dum viueret, Regio Professore.





PARISIIS,
Apud Nicolaum Niuellium, via Iacobæa sub duarum Columnarum signo.
M.D.LXXXIII.

# REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO D. Martino Rithouio Epiſcopo Iprenſi.

QVantam Heſſelij noſtri morte calamitatem acceperit non ſolum Academia Louanienſis, verum etiam tota Chriſti Eccleſia, facilè per te ipſe intelligis, Præſul ampliſſime. Erat enim ( vt non ignoras) vir ille incomparabilis, & præter eximiam quandam pietatem, præclaris animi dotibus excellẽter à Deo exornatus. Ingenio imprimis ſummo atque ampliſſimo, ac prope diuino: quippe ad comprehendendum celerrimus, ad excogitandum acutiſſimus, ad indagandum ſagaciſſimus, denique ad omnes perrumpendas difficultates acerrimus. Ad hæc memoria tenaciſſima fideliſſimaque, qua [illegible] ſemel perceptas ac intellectas ad manum ſemper, & tanquam in numerato habebat. Huc accedebat ardens & indefeſſum inquirendæ veritatis ſtudium: quo factum eſt, vt perpetua quatuor ac viginti annorum meditatione inæſtimabilem ſibi doctrinæ theſaurum compararit, vnde tanquam opulentus quiſpiam paterfamilias in communem aliquando vſum noua veteraque depromeret. Quid enim eſt in vniuerſo tandem Theologiæ corpore, ſeu

ſcripturam ſacrã, ſeu dogmata reſpicias, quod non ille nõ dicam attigerit aut deguſtarit, ſed penetrarit, excuſſerit, atque vt ita dixerim, deuorarit? Nam quanquam nihil intactum relinqueret, ſic tamen in ſingulis verſatus eſt, quaſi omiſſis cæteris in vnumquodlibet modo argumentum incubuiſſet: vt ſtudium eius haud perfunctorium, minimeque tumultuarium intelligas. Iam quod in aliisquibuſdam etiam vitis doctis deſideres, quã mirè didacticus? quantus docendi artifex! Quis enim referat quod illius fuerit in edifferendis religionis noſtræ dogmatibus conſilium & ratio? quis ordo? quæ methodus? tum quãta facilitas, lux & perſpicuitas? quanta rurſus pro argumenti cuiuſque natura nunc breuitas, nunc amplitudo & copia? denique quàm rara in docendo fides, induſtria, & aſſiduitas? Adeò nihil à perfecto & abſoluto doctore expectes, quod non ab eo luculenter atque inſigniter præſtitum eſſe videamus. Quocirca & optimo ſuo merito conſecutus eſt, vt auditorium habuerit non modo frequentiſſimum, florentiſſimumque, verum etiam doctiſſimum, longeque attentiſſimum. Vidiſſes enim alios quidem velut ab ore docentis pendêre, alios verò ſingula quæque verba tanto ſtudio, tantaque religione excipere, vt vix vllum præterire paterentur, quod nõ mox literis mandandum, & chartis, ceu fidis, vt ille ait, ſodalibus committendum putarent. Tanta erat apud omnes doctrinæ illius admiratio, autoritas & exiſtimatio. Certè quantũ

hoc Magiſtro ſchola noſtra profecerit, quantum aucta ſit non tantum numero, ſed & eruditione, quantum inclaruerit etiam apud longè diſſitas nationes, res ipſa, vt opinor, abunde teſtatur. Quare quantum huius viri deceſſu Academia noſtra vulnus acceperit, quã graue quam acerbum, quam immedicabile, etiã tacentibus nobis facilè iam quiuis intelligat.

Verum hæc calamitas non ſe intra Gymnaſij noſtri continet fines, quin etiam ad vniuerſam pertingit Eccleſiam, nam quantam & ipſa ſimul iacturam fecerit, promptiſſimè cognoſcet non modo qui norit ſcholam noſtram ſeminarium, ac veluti fontem quendam eſſe, vnde in vniuerſum Belgium Eccleſiæ Paſtores Doctoreſque petantur: verùm etiam qui lucubrationes eius ſuperioribus hiſce annis in lucem emiſſas, penitius introſpexerit. Quàm enim dilucidè catholicam ibi doctrinam explicat! quàm ſolidè adſerit! quam efficaciter ſtatuit! diuerſam autem quam ſtrenuè fortiterque confutat! Etenim non ſat habebat in quotidianis prælectionibus religionis noſtræ dogmata viua voce auditoribus ſuis tradere atque enarrare, ſed quo pluribus prodeſſet, idem etiã editis libris agebat: quos hactenus quidem ob innumera negotia vndique tranſuerſim incurrentia, pauculos euulgauit: ſed ex quibus tanquam ex vngue leonem, quod aiunt, æſtimare liceat, quàntus ille futurus adhuc fuerit Eccleſiæ Catholicæ propugnator ac vindex. Nam quo eſſet erga eam animo, quam eius tuendæ,

iuuandæque cupidus, id vnum argumēto fuerit, quòd ne grauissimo quidem illo morbo, quo tandem & oppressus est, absterreri potuerit, quin aliquid semper aut dictaret, aut etiam scriberet. O virum immortalitate dignissimū! quem si sanum valentemque non dicam triginta, non viginti, at decem modò hisce annis habere licuisset, quàm multa fuerat nobis cōscripturus? Illud saltem optandum erat, tantisper adhuc eum superesse, donec quæ in alteram qua de Sacramentis agitur, Catechismi partem, quæque aduersus Monhemiū & præceptorem eius Caluinum meditatus erat, absoluere perficereque posset. Sed vir pius dum nusquàm cessat, dum votis omnium satisfacere studet, dum omnibus consulit, ipse sibi parum cōsuluit. Etenim exhaustis paulatim immodico labore corporis viribus, innumeros sibi morbos consciuit: & primùm quidem febres acutissimas, dehinc atrocissimam ac penè quotidianam calculi carnificinam, ad hæc molestissimam podagram, subinde diuturnā grauissimamque tussim, mox, etiam hymaptysin, denique & apoplexiam, quæ semel iterumque recurrens, vbi totum iam eum in suam redegit potestatem, tandem post annuam prope luctā miserè opprimit atque extinguit. Sic strenuus ille athleta è medio laborum cursu, atque adeò in ipso ætatis flore (vt qui necdum totos quadragintaquatuor expleraț annos) magno Academiæ nostræ, adeoque Ecclesiæ totius incommodo, præmaturè ac intēpestiuè

nimis eripitur. O cladem miseram atque acerbam! O iacturam grauem, nec æstimandam, quamque omnes merito lugeant, deplorent, ac defleant! imprimisque schola nostra, tanto scilicet orbata doctore, qualem haud temere est vnquam posthac fortassis habitura! Quapropter quod olim Propheta Dauid extincto Sauli in monodia sua canebat, id nūc totidem verbis ad nostrum argumentum iure optimo transtulerimus: Filiæ Israël super Hesselium flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro: tantoque magis, quanto & hic præ altero vir melior fuit,& euangelica cælestiaque ornamenta quibuscunque spoliis & hostium exuuiis infinitis partibus sunt præstantiora. At quando ita Christo visum est, haud dubiè peccatis nostris offenso, in diuina nobis est voluntate acquiescendum, simulque eius ira placanda, vt cuius ille muneris fuit ac gratiæ, à quo omne datum optimum,& omne donum perfectum, nouos semper operarios in vineam messemque suam mittere, atque adeò extrudere dignetur. Sed benè habet, quòd non prorsus Hesselio nostro frandati sumus: nam tametsi eius vultu ac viua docentis voce posthac carendum sit nobis, superest tamen eruditionis eius in priuatis scriptis ac monumentis haud exigua portio, quorum tantam in illius Bibliotheca sarcinam inuenimus, quantæ vix totus annus euoluendæ sufficiat. Et sunt quidem pleraque horum rudia adhuc, confusa, ac imperfecta, sed huius-

modi profecto, quę indignum sit vel perire, vel supprimi. Quare quod ab eo in hisce colligendis, dirigendis, ac publicandis datum est nobis negotij, id primo quoque tempore, ad communem studiosorum vtilitatem, summa cum fide diligentiaque per Dei gratiam, exequemur. Atque vt aliquem huius rei gustum prębeamus, Decalogi explicationē ante multos quidem annos ab autore inchoatam, nunc autem paulo ante mortem ab eodem vtcunque absolutam, in lucem proferimus. Etenim cum multis efflagitātibus, ac tuę in primis paternitatis impulsu, statuisset libellū emittere, nollet tamen truncum (vt erat) ac mutillum exire, quatenus per afflictissimam licuit valetudinem, adhibito lectore quod scripserat recognouit, & quod in postrema tria deerat pręcepta tumultuaria tandem dictatione compleuit: sperans nimirum cuncta se vt primum sibi redditus foret, accuratius retractaturū, & quicquid prętereà desideraretur proxima ędítione sarturum. Quod si facere potuisset, eramus haud dubiè pleraque exactiora, limatiora, consummatioraque habituri. Sed quicquid id est, studiosis gratulandum esse censeo, quod librum tam diu expetitum atque expectatū, tam varia tāque recondita eruditione refertū tandē aliquādo sint adsequuti. Circūspicientibus autem cui potissimū id operis dedicaremus, mox nobis occurrit R.P.T. In primis quod eius ędendi, vt & cęterorum quoque dux autorque fuisses: tum quòd priores illi in symbolum,

& orationem dominicam commentarij, quibus hic subiungendus est, tibi essent inscripti: denique quod præfixo tanti præsulis nomine (vt qui in miseranda illa Belgicarum Ecclesiarum, quam nuper vidimus, vastatione, primū omnium vim atque impetum perpessus, illustrissimum pietatis, prudentiæ, ac fortitudinis exemplum præbuerit) futurum speraremus, vt liber alioqui gratiosissimus, desideratissimusque, magis etiam studiosorum affectibus cōmendaretur, atque ab omnibus auidius raperetur arctius seruaretur, ac diligētius euolueretur: quod vt cum Ecclesiæ totius fructu ac ædificatione contingat, etiam atque etiam exoptamus.

Accipe igitur Antistes humanissime, amici & contubernalis quōdam tui hunc velut posthumum fœtum, & quo parentem soles, eodem & partum eius affectu & charitate, in eo tuendō defendendoque prosequere: ita enim fiet, vt ad cætera quæ restant edenda promptiores & alacriores accingamur. Vale Præsulum decus, Ecclesiæ Catholicę diu sospes ac felix, cui nos toto pectore dicamus, dedicamusque. Louanij quarto Idus Maias.

1567.

*Reuerendiss. Pa. T. addictiss. Henricus Grauius Louaniensis, & Ioannes SoteauxMontinensis, eruditionis tuę quondam discipuli.*

# INDEX CAPITVM HVIVS LIBRI.

## De primo Præcepto.

## De secundo Præcepto.

## De tertio præcepto.

## De secunda tabula seu quarto præcepto.

Cap. I. fol. 105. b.



## De quinto præcepto.

## De sexto præcepto.

## De septimo præcepto.



## Præceptum octauum.



## Pręceptum nonum & decimum.

# INDEX.

A

D

## N



## O

## T

V

FINIS.

## *Quid Lex sit.* CAP. I.

HActenus in explicatione Symboli Apostolici, & orationis Dominicæ, de Fide ac Spe disseruimus: proximum nunc est, vt de Charitate agamus; quæ cùm sit legis impletio, satis tunc explicata videbitur, vbi quid à nobis lex Dei exigat, commonstratum fuerit. Est autem Lex statutum quoddam de his quæ communitati agenda sunt, ad hoc vt bonum suum consequatur, ab eo qui curam communitatis habet ordinat[illegible], atque ipsi communitati expositum. Sic[illegible] non consulit alteri, qui consilium suum non [illegible]rit: ita nec pręcipit, qui statutum suum in subditorum notitiam non deducit. Bonum autem cōmune hominum est Deus, ipsa veritas incommutabilis. Hæc enim omnes amatores suos nullo modo sibi inuidos recipit, & omnibus cōmunis est, & singulis casta est. Nemo alicui dicit, Recede, vt etiam ego accedam: remoue manus, vt etiam ego amplectar, omnes inhærent, omnes ipsam tangunt, cibus eius null[illegible]

*Rom 13. 1.Tit.1.*

*Vide Bernar. epistol.77. lib.12. de ciu. Dei, cap.1. Aug.li. 2.de li.arb.cap.14 Vide Prosper sentent.198.*

ex parte discerpitur, nihil de ipsa bibis, quod ego non possim: non enim ab eius communione in priuatum tuum mutas aliquid, sed quod tu de illa capis, & mihi manet integrum. Quod te inspirat, non expecto vt reddatur abs te, & sic ego inspirer ex eo, non enim aliquid eius aliquando fit cuiusquam vnius, aut quorundam proprium, sed simul omnibus tota est communis.

## *De effectibus legis.* CAP. II.

Conatur legislator bonos efficere eos qui sibi subsunt (bonitas enim subiectorú, obedientia est) dum bona præcipit, mala prohibet, vtiliora media consequédæ fœlicitatis consulit, minus vtilia nihilominus permittens: dú ad præceptorum continuá custodiá, præmiorum pollicitatione inuitat, & à prohibitis pœnæ comminatione arcet: iis autem qui iam boni sunt, promissa præmia, & rebellibus comminata supplicia reddit. Lex enim illa æterna & incommutabilis est, per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur. Si enim peccatis detractis miseria perseuerat, aut etiam peccata præcedit, rectè deformari dicitur ordo atque administratio vniuersitatis. Rursus, si peccata fiant & desit miseria, nihilominus dehonestat ordinem iniquitas. Cùm autem non peccantibus adest beatitudo, perfecta est vniuersitas: cùm verò peccantibus adest miseria, nihilominus perfecta est vniuersitas. Sicut ergo violatio legis semper meretur pœnam, ita legis obseruatio sem-

*Aug. li. 1. de li. arb. cap. 6.*

*Lib. 3. de libe. arb. cap. 9.*

per est digna præmio. Bonum (ait Augustinus) non sumus, quicquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Vnde etiã summus legislator adducet in iudicium cuncta quæ fiunt, omne absconditum, siue bonum, siue malum sit. li. 4. contra Iulia. cap. 3. Mat. 7.

*De lege æterna.* CAP. III.

LEgũ alia est æterna, alia tẽporalis. Lex æterna, est ratio diuina vel volũtas Dei, ordinẽ naturalẽ conseruari iubẽs, perturbari vetãs. Nullo autem modo legi summi illius creatoris ordinatorisq; aliquid subtrahitur, à quo pax vniuersitatis administratur. Omnis irrationalis creatura sic subdita est legi ęternæ, vt eius particeps esse non possit, & proinde nihil facit contra æternam legem. Angelica sublimis natura non peccat, quia ita est particeps legis æternę, vt solus eam delectet Deus, cuius voluntati sine vllo experimento tentationis obtemperat. Homo autem (cuius propter peccatum tentatio est vita super terram) subdat sibi quod habet commune cum bestiis, subdat Deo quod habet commune cum angelis, donec iustitia & immortalitate perfecta atque percepta, ab istis exaltetur, illis æquetur. Porrò quando peccat, etsi contra legem Dei faciat, quia naturæ ordinem seruare non vult. non ideo tamen iusti Dei leges omnia bene ordinantis effugit. Quia enim nemo superat leges omnipotentis creatoris, non sinitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit benè vtendo quod accepit, aut reddit amittendo

*In quest. super Exod. q. 67. Lib. 1. de lib. ar. ca. 6. lib. 22. cont. Faustum. c. 27 Li. 10. de ciu. Dei cap. 12. Li. 22. contra Faustum c. 28.*

*Iob. 7.*

*Lib. 11. de ciu. Dei, cap. 23. Lib. 3. de lib. arb. cap. 15. Videatur idẽ,*

cap.13. lib. de catech. & alib. & li. de spir. & li. c.32. & Enchi c.100 104. & epist. 120.ca.2.

Vide eundem Aug. sub finē ser.3. inter hic emissos.

quo bene vti noluit. Itaque si non reddit faciēdo iustitiam, reddet patiendo miseriam, quia in vtroque verbū illud debiti sonat. Hoc enim etiam modo dici potuit quod dictum est: Si non reddit faciendo quod debet, reddet patiēdo quod debet. Nullo autem temporis interuallo ista diuiduntur, vt quasi alio tempore non faciat quod debet, & alio patiatur quod debet, ne vel puncto temporis vniuersalis pulchritudo turpetur, vt sit in ea peccati dedecus sine decore vindictæ. Sed in futurum iudicium seruatur ad manifestationem atque acerrimū sensum miseriæ, quicquid nunc occultissimè vindicatur. Sicut enim qui non vigilat, dormit, sic quisquis non facit quod debet, sine interuallo patitur quod debet, quoniam tanta est beatitudo iustitiæ, vt nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere. Dicit quidem Apostolus, prudentiam carnis legi Dei subiici non posse, quia videlicet per eam nihil boni agitur, redigitur tamen ipsa in ordinem legis diuinæ, quia non euadit supplicium.

Rom. 2.

Aug. li.1. cōtra Iulia. ca. 24.

## De lege temporali. Cap. IIII.

lib.1. de li. ar. c.6. quæst. 2. ad Simpli. lib.1.

IN lege temporali nihil est iustum atque legitimum, quod non ex æterna lege deriuatum sit. Ipsa enim lex æterna in ipsis rebus humanis terrenisque contractibus facilè animaduertitur: in quibus nisi supernæ iustitiæ quædam impressa vestigia teneremus, nunquam in ipsum cubile ac penetrale spiritalium præceptorum, nostræ infirmitatis suspiceret atque inhiaret intentio.

Beati qui esuriũt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. In ista igitur siccitate vitæ conditionisq; mortalis, nisi aspergeretur desuper velut tenuissima quædam aura iustitiæ, citiùs arescceremus quàm sitiremus. In his igitur summæ æquitatis vestigijs humanæ menti impressis, æternam legem, quæ est illa incommutabilis veritas, videre concessum est: & conditor humanarum legum, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit legem æternam, vt secundum eius incommutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendum vetandumque discernat. Et ipsi etiam impij multa rectè reprehendunt recteque laudant in hominum moribus. Quibus autem ea regulis tãdem iudicant, nisi in quibus vident quemadmodum quisque viuere debeat, etiam si nec ipsi eodẽ modo viuant? Vbi eas vident? neque enim in sua natura, cum proculdubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles: has verò regulas esse immutabiles videat, quisquis in eis & hoc videre potuerit: nec in habitu suæ mentis, cùm illæ regulæ sint iustitiæ, mentes vero eorum constet esse iniustas. Vbinam sunt istæ regulæ scriptæ, vbi quid sit iustum & iniustus agnoscit, vbi cernit habendum esse quod ipse non habet? Vbi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illius quæ veritas dicitur: vnde omnis lex iuxta describitur, & in cor hominis qui operatur iustitiam, non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur, sicut imago ex annullo & in ceram transit & annulum non

Mat. 5.

Aug. c. 31 lib. de vera relig.

li. 14. de Trin. c. 15.

*Vide Bedam in illud.36.c. Iob: Omnes homines vident eum.*

relinquit. Qui verò non operatur, & tamen videt quid operandum sit, ipse est qui ab illa luce auertitur, à qua tamen tangitur.

### *Diuisio legis temporalis.* CAP. V.

TEmporalium legum alia est naturalis, alia per hominum ratiocinationem ex superiori lege deriuata (quæ humana dicitur) alia à Deo lata, aliter quàm per naturalem instinctum aut humanã argumentationem: quæ specialiter, diuina dicitur. Nam si ab eo legem aliquam appelles diuinam, quòd authoritate Dei lata sit, atque eius transgressione offendatur Deus, omnis lex diuina est: sicut magis infrà patebit.

### *De lege naturæ.* CAP. VI.

*Ambros. epist.71.*

*Aug.lib.de perfectione iust.c.17.*

LEx naturalis est, quam Deus creator infudit singulorum pectoribus, quæ non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, & humanis ingenijs hauritur. Præcipit autem hæc naturalis lex, vt homo sit in omnibus rectus, quod particulatim per varia præcepta explicat, quorum summa tribus præceptis explicari potest. Quum enim præcipuum hominis sit ratio, per quam cum Deo (qui solus bonum est humanæ mentis) cõmunicare potest, primũ legis præceptum est: Diliges Deum ex toto corde tuo, &c. Per rationẽ etiam cum alijs hominibus communicat: & ideo secundum præceptum legis naturæ est, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quia verò & alia

*Vide Aug c. 23.lib.2.de pec.mer. &*

homo habet præter rationem: ideo tertium præceptum legis naturæ est, vt ratio dominetur atque imperet cæteris quibus homo constat. Videmus enim habere nos non solùm cum pecoribus, sed etiam cum arbustis & stirpibus multa communia, alimentum namque corporibus sumere, crescere, gignere, vigere, arboribus quoque tributum videmus, quæ infima quadam vita continentur. Videre autem atque audire, & olfactu, & gustu, & tactu corporalia sentire, posse bestias, & acrius plerasque quàm nos, cernimus & fatemur. Adde vires & valentiam firmitatemque membrorum, & celeritates facillimosque corporis motus, quibus omnibus quasdam earum superamus, quibusdã æquamur, à nonnullis etiam vincimur. Genus tamen ipsum rerũ est nobis certe cõmune cum beluis. Iam verò, appetere voluptates corporis, & vitare molestias, ferinæ vitæ omnis actio est. Sunt alia quædam quæ iam cadere in feras non videntur, nec tamen in homine ipso summa sunt: vt, iocari & ridere. Quod humanũ quidẽ, sed infimum hominis iudicat, quisquis de natura humana rectissimè iudicat. Deinde amor laudis & gloriæ, & affectatio dominandi, quæ tametsi bestiarum non sunt, non tamen earum rerum libidine bestijs meliores nos esse arbitrandum est. Nam & iste appetitus cum rationi subditus non est, miseros facit. Nemo autem cuiquam miseria se præponendum putauit. Hisce igitur motibus animæ, cùm ratio dominatur, ordinatus homo dicendus est. Non

*rem. dicentem quid fuerit. 1. hominis iustitia. Lib. 1 de li. ar. c. 8. Idẽ habet ca. 15 lib. 8. de ciui. Dei.*

enim ordo rectus, aut ordo apellandus est omnino, vbi deterioribus meliora subijciuntur.

*Legem naturæ ex integro fuisse impressam menti hominis in prima institutione.* CAP. VII.

*Aug li.1.de lib.ar. cap.11*

FIrmissima fide tenet Christianus, hominem tam perfectè à Deo conditum & in beata vita constitutum, vt ad ærumnas mortalis vitæ ipse inde propria voluntate delapsus sit. Christiano dubitare fas non est, rectum & omni vitio carentē creatum esse hominem primum, in quo omniū hominum concreata natura est; eumque tale accepisse liberum arbitrium, vt si auxiliantem sibi dominum non desereret, posset in bonis quæ naturaliter acceperat, perseuerare. quia vellet, & merito voluntariæ perseuerantiæ in eam beatitudinem peruenire, vt nec vellet decidere in deteriora, nec posset. Magnum porrò est vitium ignorantia agendorum & cæcitas cordis. Scientiā igitur boni Adā tunc habebat, quando bonum sanctumque mandatum Dei fideli corde seruabat, & erat iustus manens in imagine creatoris sui, legisque eius non obliuiscens.

*Prosp. contra Collatorem, sub medium libri. Aug. c. 10. li. de cor. & gratia, Saluberrimè confit. &c. Vide Cyril. l. 9. in Ioan. c. 47. Enchi. c. 24. & lib. 6 contra Iulia. c. 5. in fine Prosper ibidem infra.*

*De lege diuina data Adæ.*

CAP. VIII.

*Gen 2.*

PRæter legem naturę, homini sapienti ac recto adiecit Deus factitiam siue positiuam quandam legem. Vt non comederet de arbore quadam: quæ ex eo quod diabolus pollicitus est, & postea

non euenit, scientiæ boni & mali arbor dicta est. In quo præcepto obedientia commendata est, quæ virtus in rationali creatura mater quodammodo est omnium custosque virtutum, quandoquidem sic facta est, vt ei subditam esse sit vtile, perniciosum autem, suam, non eius à quo creata est, facere voluntatem. Hoc itaque de vno cibi genere non edendo, vbi aliorum tanta copia subiacebat, tam leue præceptum, ad obseruandum tam breue, ad memoria retinendum, vbi præsertim nondum voluntati cupiditas resistebat (quod de pœna transgressionis postea subsecutum est) tanto maiore iniustitia violatum est, quanto faciliore posset obseruantia custodiri, prohibuerat Deus externũ opus, quod cùm esset admissum, (præcedente initio omnis peccati superbia) nulla posset defendi imaginatione iustitiæ, vt videlicet homo se ruisse videret, & sibi displiceret, quando cõmissa esset mandati euidens atque aperta transgressio. Superbis enim vtile est, cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, vnde sibi displiceat, qui iam sibi placendo ceciderat. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando fleuit, quàm sibi placuit, quando præsumpsit.

*Li. 14. de ciui Dei, c. 12. & li. 2. de pec. me. & remis. c. 18.*

*Lib. 14. de ciuit. Dei c. 13. Eccl. 10.*

*Matt. 26.*

Debebat primus homo sumere etiam de arbore vitę, propterea ne mors ei vndecunque subreperet, vel senectute confectus, decursis temporum spatiis interiret, tanquam cætera ligna alimento essent, illud, sacramento: vt sic fuisse accipiatur lignum vitę in paradiso cor-

*Lib. 13. de ci. Dei, cap. 10. Gen. 2. Lib. 2. de pec. mer. et re. c. 21*

poralì,ſicut in ſpiritali, hoc eſt intelligibili paradiſo ſapientiaDei,de qua ſcriptũ eſt.Lignum vitæ eſt amplectentibus eam. Poſitiuum præceptum erat, quod ligno illo tanquam ſacramento vti iubebat.

*Pro.3.*

*Legatur Au. lib 8. de gen. ad lite.cap.4 & 5.*

*Præceptum ſucceſsiſſe in locum legis illius datæ Adæ.* CAP. IX.

ILlud quod ſcriptum eſt.Non eſt aliud nomen ſub cęlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri,ex illo tempore valet ad ſaluandum genus humanũ, ex quo inAdam vitiatum eſt genus humanum. Loco igitur præcepti de abſtinendo à ligno ſcientiæ boni & mali, & ſumendo ex ligno vitæ,ſucceſſit præceptũ Dei,vt adhæreatur Chriſto crucifixo, qui eſt lignum vitæ eum ſumentibus, ſed conatur diabolus perſuadere quod ſit lignum ſtultitiæ, propter ignominiam crucis.Per hũc compeſcimur à ligno, de quo perſuadet diabolus quod ſit lignum ſcientiæ boni & mali, hoc eſt, propriæ voluntatis arbitrio. Nec ſeipſo quippe homo diuina volũtate contempta, niſi perniciosè vti poteſtatque ita diſcit quid interſit, vtrum inhæreat: communi omnibus bono,àn proprio delectetur.Se quippe amans donatur ſibi: vt inde timoribus mœroribuſque completus cantet in Pſalmo( ſi tamen mala ſua ſentit) Ad meipſum anima mea turbata eſt:correctuſque iam dicat,fortitudinẽ meam ad te cuſtodiam.Sicut igitur abſtinendo ab arbore ſcientię boni & mali, ſumendoque de ligno vitæ manſiſſet homo in primo hono-

*Act.4.*
*Au.epi 157.*
*Aug.li.13 de ciuit. Dei c.21.*
*Vide etiam Proſper. epi. ad Demetr.*
*Pſa.41.*
*Pſal.41.*
*Pſal.58.*

re & dominio, ita & nunc, adhęrendo Christo crucifixo, reuertitur ad pristinam dignitatem. *Prosper ibidẽ* Vnde ab initio mundi semper mandauit Deus *Aug. contra* fidem mediatoris, semperque hęc fides aliquo *Iuli. lib. 5. c. 9* sacramento hominibus commendata est.

*De promissione & minis legis in statu innocentiæ.*

## CAP. X.

HOminem creauit Deus naturæ quodammodo mediæ inter angelos & bestias, vt si creatori suo tanquam vero domino subditus præceptum eius pia obedientia custodiret, in consortium transiret angelicum sine morte media, beatam immortalitatem sine vllo termino consecuturus, si autem dominum Deum suum, libera voluntate superbè ac inobedienter vsus, offenderet, morti addictus bestialiter viueret, libidinis seruus, æternoque post mortem supplicio destinatus. Quocunque, inquit, die comederis ex eo, morte morieris, vbi vniuersam mortem ei comminatus est. Sicut enim vniuersa terra ex multis terris, & vniuersa ecclesia ex multis cõstat ecclesiis, sic vniuersa mors ex omnibus, quoniam prima constat ex duabus, vna animę, altera corporis, vt sit prima totius hominis mors, cùm anima sine Deo & sine corpore ad tempus pœnas luit: secunda verò, vbi anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit Deus primo homini. Quacunque die comederis ex eo, morte morieris, nõ tantum primæ mortis partem priorem vbi anima priuatur Deo, nec tãtùm posteriorẽ vbi

*Lib. 12. de ci. Dei c. 22. & li. 9. c. 13.*

*Gen. 2.*

*Li. 13. de ciu. Dei. c. 12.*

corpus priuatur anima, nec solùm ipsam totam primam, vbi anima & à Deo & a corpore separata punitur, sed quicquid mortis est vsque ad nouissimam, quæ secunda dicitur, & qua nulla est posterior, comminatio illa complexa est. In eò quòd inobediens motus in carne ex motu animæ inobedientis exortus est (propter quem pudenda texerunt) sensu cognita est mors vna, in qua deseruit animam Deus. Ea significata est verbis eius, quando timore deambulantis sese abscondenti homini dixit. Adam, vbi es? non vtique ignorando quærens, sed increpando admonens, vt attenderet vbi esset, in quo non esset Deus. Cùm vero iam corpus anima ipsa deseruit ætate corruptum, & senectute confectum, venit in experimentum mors altera, de qua Deus peccatum adhuc puniens, homini dixerat, Terra es, & in terram ibis, vt ex his duabus mors illa prima, quæ totius hominis est, complectetur, quam secūda in vltimo sequitur, nisi homo per gratiam Dei liberetur.

*Lib. eodem cap. 15.* *Gen. 3.* *Ibidem.*

*Per peccatum deletam esse naturæ legem de cordibus hominum.* CAP. XI.

NOn solum iustitiam quam acceperat homo, sed etiam boni scientiam per peccatum perdidit: ita vt non videat nunc qualis esse debeat, sed ignoret quę sibi agenda à Deo præscripta sunt. Dominus (inquit Psalmista) de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deum: Non est, inquit

*Lib. 14. de trinit. cap. 15* *Prosper contra Collatorem, c. 21.* *Psalm. 13.* *Rom. 3.* *Tit. 3.*

Apostolus, intelligens aut requirens Deum, & Eramus, inquit, & nos aliquando insipientes, increduli, errantes. Ante illuminationem fidei in tenebris & in vmbra mortis hominem agere, sæpe scriptura testatur, quoniam priusquã à dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur, in illo profundo iacet, in quod se sua libertate demersit. Amat ergo languores suos, & pro sanitate habet, quod ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, vt incipiat nolle quod langueat, & possit opem medici desiderare qua surgat. Amor igitur vitiorum tantus est, vt nolit homo intelligere quomodo bene agat, atque hoc vitio lex Dei deleta est de cordibus, non solum vt non ametur, sed vt nec sciatur, sicut ait Sapiens de impiis loquens, Excæcauit eos malitia eorum. & ipse Dominus: Omnis, inquit, qui male agit, odit lucem, & non venit in lucem, vt non arguantur opera eius, ne videlicet conscientiæ stimulis quotidie peccans exagitetur. Lege infatigabili (ait Augustinus) spargit Deus pœnales cæcitates super illicitas cupiditates: ita vt non omnino falsum sit vetus prouerbium. Quod volumus sanctum est, Nemo suæ mentis motus non æstimat æquos. Quodque volũt homines, se bene velle putant.

*Prosp. resp. ad 6. ca. Gallorum.*
*Ench. ca. 26. 27.*
*li. de spiri. et lit. ca. 27.*
*Cyril. ca. 55. li. 2. in Ioannem.*
*Sap. 2.*
*Ioan. 3.*
*li. 1. confes. c. 18. Contra Cresco. gram. li. 4. ca. 37.*
*Prosper. epigramma. 98*

Narratur Iulius Cæsar dominandi libidine excæcatus dixisse: Si violandum est ius, regnãdi gratia violandum est, aliis in rebus pietatem colas. Sic quilibet sceleratus de vitio cui seruit dicit, nempe libidini vel auaritiæ deditus. Si

*Cicero post medium lib. 3 de officiis.*

vnquam peierandum est, vt scortis liberè fruaris, magnam pecuniæ vim compares, & te de aduersario vindices peierandum est, in cæteris colatur pietas. Quo liquet, de cordibus humanis deletum esse secũdum decalogi præceptũ.

*Vide Hier. lib. 2. aduer. Iouin.* Iam si ad immanes & feros barbararũ gentium mores, quos historiæ recensent, oculos conuertas, videbis certè primũ illud principium: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris (in quo præcepta secundæ tabulæ sita sunt) etiam ex eisdem cordibus expunctum esse amore & dominio vitiorum, successisseque aliud principium oppositum: id nimirum esse ius quod ei qui plus potest vtile est. *Augu. 19. de ciui. Dei c. 21*

Porrò quidam vitiis seruiétes vidétur quærere notitiam peccati sui: Me, ait dominus, de die in diem quærunt, & scire meas vias volunt quasi gens quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit: rogant me iudicia iustitiæ: appropinquare Deo volũt: Sed reuera dolose quærunt noscere iniquitatem suam, id est, non ex animo agunt inuenire & odisse, sed quia in ipsa inquisitione dolus est, in inuétione defensio iniquitatis erit. Cùm enim inuenerit iniquitatem impius, ecce iam manifestũ est illi quia iniquitas est. & ille qui dolose agebat vt inueniret, iam inuenit & nõ odit. Quid enim dicit? Quàm multi hoc faciũt? & quis hoc nõ facit? Et nũquid omnes perditurus est deus? aut certe hoc dicit: Si nollet Deus illa fieri, viuerent homines qui ista committunt? Vides quia dolosè agebas ad inueniendam iniquita- *Esa. 58.* *Augu. in Psal. 35.*

tem tuam. Nam si non dolose sed synceriter ageres, iam inuenisses & odisses: modò inuenisti & defēdis, dolose ergo agebas cū quæreres.

*De ignorantia Dei.* CAP. XII.

GEnus iniquorum hominū describēs propheta: Non est, inquit, Deus in *Psal.6.* conspectu eius: inquinatæ sunt viæ *Hilar. in* illius in omni tempore, non est ti- *Psal.52.* mor Dei ante oculos eius. Dixit insipiens in *Psalm.13* corde suo: Non est Deus. Fit enim frequenter vt cum veri necessitas ad cōfessionem Dei nos cogat, oblectatio tamen vitiorū Deum, nobis non esse persuadeat. Præcipue enim Dei ignorantiam incurrit homo per peccatum: Vnde Apostolus describit infideles gentes: Gentes, inquiens, quæ ignorant Deum, Dauidem imi- *1.Thess.4.* tatus dicentem: Effunde iram tuam in gentes *Psalm.78.* quæ te non nouerunt, & in regna quę nomen tuum non inuocauerunt. Hæc est quidem vis verę diuinitatis, vt creaturę rationali iam ratione vteti, non omnino ac penitus possit absçondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura *Trat. 106. in* nimium deprauata est, vniuersum genus hu- *Ioan.* manum Deum mundi huius fatetur authorē. In hoc ergo quod fecit hunc mundum cælo terraque cōspicuum, & antequam imbuerentur in fide Christi, notus omnibus gentibus Deus. In hoc autem quod non est in iniurijs suis & cum dijs falsis colendus, notus quōdam tantum in Iudæa Deus. In hoc verò quod pater est huius Christi, per quem tollit peccatū mundi, Christianis tantum notus est Deus.

*Quam variis modis errauerit homo circa Dei cultum.* CAP. XIII.

*Sap.14.* NOtum est quomodo incommutabile nomen diuinitatis attribuerint homines creaturis: non solum speciosa Dei opera, Solem, & Lunam, & astra, sed & mortuos homines sceleribus nobiles, imò & opera manuum, ligna & lapides, noxias bestias & earum similitudines, atque adeo ipsos generis humani sæuissimos hostes, dæmones népe pro diis colétes. Notum est quomodo omnibus hominibus qui à Deo illustrati non sunt, hoc optimum videatur, vt quę sua sunt quęrant, atque ex suo commodo tanquam primo & pręcipuo bono omnia metiantur. Ipsi vero philosophi, qui cæteris scientia præstare visi sunt, fœdius sæpius errauerũt, dum nõ solum neglecta Dei prouidentia suum commodum sectati sunt, sed etiam Deum non habere prouidentiam humanarum rerum, cõtra innatum consciẽtię remorsum asserere conati sunt, tan-
*Psal.93. Iob* quam dicentes: Non videbit Dominus, nec
*22. Mala.3.* intelliget Deus: Circa cardines cęli perambulat nec nostra cõsiderat. Vanus est qui seruit Deo. & quod emolumentũ quia custodiuimus pręcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram domino exercituum? Docuerunt ergo omnia ex proprio commodo metiri. Aristoteles pu-
*Epipha. in* tauit ea quę infra Lunam sunt, extra prouiden-
*fine operis de* tiam esse, & latione quadam temeraria ferri,
*hæres. Ambr.* prout contingit. Ideoque libro 2. Rethorico-
*lib.1. offic.c* rum c.9. docet ad bonos mores pertinere, do-
*13.*

lere de

lere de rebus ſecundis impiorum, contra ſcripturam dicentem: Noli æmulari in malignantibus. *a* Cicero, quia videbat hominẽ liberi eſſe arbitrij, negauit Deum eſſe præſcium futurorum, atque ita tentauit inſipiens aſſerere: Non eſt Deus: Nam confiteri Deum eſſe, & negare præſcium futurorũ apertiſſima inſania eſt. Sic Ariſtoteles amorem ſui docet eſſe menſuram amoris alterius, nullum agnoſcens altius eſſe amandum. Et Cicero libro 5. de finibus bonorum & malorum: Perabſurdum, inquit, ſit, ita diligi à ſe quenquam, vt ea vis diligendi ad aliam quampiam rem referatur, non ad eum ipſum qui ſeſe diligit. & Chryſipus: Nihil, inquit, poteſt nobis eſſe charius penſiuſque quã nos ipſi, idque natura nobis indidit. Vide quæſo quomodo præcipuum præceptum legis naturæ, de Deo præ omnibus diligendo, deletum ſit. Platonici verò, qui de Deo ſummo & vero ſenſerunt, quod & rerum creatarũ ſit effector, & lumen cognoſcendarum, & bonum agendarum, quod ab illo ſit principium naturæ, & veritas doctrinæ, & fœlicitas vitæ, nihilominus ſicut cæteri philoſophi, dijs plurimis eſſe ſacra facienda putauerunt.

*Grego. Niſſe. in lib. de prouidentia. a Aug. lib. 5. de ciui. Dei. ca. 9. Et lib. 4 cap. 30.*

*Apud Aulũ Gellium de noct. atticis li. 12. cap. 5. Lib. 8. de ciuit Dei. c. 9. et 12.*

Quamobrem rectè Sapiens: Vani ſunt omnes, inquit, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. *Sap. 13.*

*Quamuis creaturæ omnes clament Deum eſſe colendum, manet tamen homo æquè ſurdus & cæcus.* CAP. XIIII.

*Aug. lib. 10. confes. cap. 6.* A Magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter potest creator videri, inquit Sapiens. Cęlum enim & terra, & *Sapien. 13.* omnia quæ in eis sunt, vndique nobis dicunt vt Deum amemus, nec cessant dicere omnibus vt sint inexcusabiles. Altius autem Deus miserebitur cui misertus erit, & misericordiam præstabit cui misericors fuerit: alioquin cęlum & terra surdis loquuntur laudes eius, sicut ait *Psalmo 57.* Propheta, etiam post datam legem, Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa, furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. *Iere. 5.* & alius propheta: Annunciate, inquit, hæc domui Iacob, & auditum facite in Iuda, dicentes, Audi popule stulte, qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis, & aures, & non auditis, me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit, & commouebũtur & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud. Populo autem huic factũ est cor incredulũ & exasperans, recesserũt & abierunt, & non dixerũt in corde suo, Metu- *Cap. 6.* amus dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis, &c. & infra, Cui loquar? & quem contestabor vt audiat? ecce, incircuncisæ aures eorum, & audire non possunt, &c.

*De illis gentilibus, qui ex creaturis cognouerunt Deum esse colendum.* CAP. XV.

Erunt quidam, qui gratia dei à creatura mundi per ea quę facta sunt intellexerunt inuisibilia dei, *a* ipso manifestante illis, sempiternam quoque eius virtutem ac diuinitatem, ipsumque esse glorificandum: sed dum dixerunt se esse sapientes *b* (hoc est, dum sibi hoc ipsum tribuerunt, iactantes se ex eo quod non à seipsis, sed ab illo habebāt) stulti facti sunt: & nō in deo sed in semetipsis gloriantes, *c* quasi ad veritatis inspectionem suis studijs ac rationibus appropinquassent, euanuerunt in cogitationibus suis: & quod illuminante dei gratia inuenerunt, obcæcante superbia perdiderunt, relapsi à superna luce ad tenebras suas, hoc est, ab incommutabili atque æterno bono ad mutabilem corruptibilemque naturam. *d* Omnia quidem elementa mundi, & vniuersę creaturarum naturę, hoc ipsa sui exigunt specie, vt inuisibilia dei per ea quę facta sunt, intellecta conspiciantur, & in pulchritudine cæli & terrę quędam sunt paginę ad omnium oculos semper patentes, & autorem suū nunquam tacentes, quarū protestatio doctrinam imitatur magistrorum, & eloquia scripturarum: sed in quocunque agro cordis, cui impenditur ista cultura, illud quo corporeorum sensuum exteriora pulsantur radicem fixit, aut germen emisit, ille summus & verus agricola potētiam sui operis adhibuit, & ad vitalem profectum ea quæ sunt

*a Decius. Del lib. 2. c. 7. eps. 112. c. 11. tra. 2. in Ioan. & de verb. do. ser 55. & in psal. 57. ad illud Sicut cera fluxerunt: & in ser. de Kalen. Ian. citato Beda ad verba illa. Dicētes enim se, &c. Rom. 1. Haimo in c. 1 ad Roman.*

*b. August. c. 12 li. de spir. & lit.*

*c Prosp. li. 1. de voc. gen. c. 2.*

*d Prosp. eps. ad Demetriadē quæ est 84. inter epistolas Ambros.*

plantata perduxit. Siue enim contemplatio creaturarum, siue sacrorũ series voluminum, siue scientia differentium syncero & assiduo testimonio prædicet veritatem, neque qui plãtat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

*1. Cor. 3.*

Hic videtur sensus esse Apostoli ad Romanos capite primo: Reuelatur ira Dei de cælo: ex ipsa cæli fabrica clarum est quod Deus irascitur aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, hoc est, aduersus omnium hominum impietatem & iniustitiam, qui veritatem per iniustitiam detinent captiuam, vt non appareat vel emergat, vt non cognoscatur. Amor enim peccati excæcat hominem ne videat veritatem, nam quod de Deo est cognoscibile, & expedit nosse, manifestum est inter homines vel in ipsis cordibus hominum, non quod ipsi cognoscant, sed quia clarè ibi patet: sicut Areopagita dicit in dæmonibus munera angelica integra & lucidissima permanere, licet ipsi non videant, occlusis scilicet viribus, quibus ea intueri possent. Deus enim manifestat illis, quotidie scilicet, dum sine intermissione seipsum illis prædicat. Et audi quinam inuisibilia eius, sempiterna virtus, diuinitas, prouidẽtia, quod solus colẽdus sit vt Deus, ab origine mũdi, vel ab homine qui creatura mũdi maxima est, per ea quæ facta sunt ab eo intelligantur & conspiciãtur. nõ quasi ipsi homines corrupti Deum intelligant & videant, sed quia vident ipsa eius specula & ea in quibus ipse se prædicat & lucet: quemadmodum

*Ambros. cõment. c. 1.*

*Li. de diuinis nomin. par. 4 cap. 4.*

Esaias dicit Iudæos Christi miracula vidisse & *Esa.6.*
non vidisse, audisse eius verba, & non audisse. *Ioan.15.*
Item Christus, Et viderunt (inquit) & oderunt
& me & Patrem meum. dicens nihilominus, *Ioan.16.*
Non nouerunt Patrem neque me, ad hoc vt
sint inexcusabiles, non potentes dicere, Nemo
nobis prædicauit, Non est nobis annunciatus
Deus, sicut Christus dicit, Nunc excusationē *Ioan.15.*
non habent de peccato suo. Quia cùm cognouissent Deum, id est, potuissent, quantum erat
ex prædicatione, cognoscere, & habuissent illustres & eximias causas eum prædicantes, non
egerunt gratias, nec glorificarūt, imo non probarunt eum habere in notitia, sed sua cæcitate
& surditate eum abiecerunt. Atque ita, istud
consonat decimotertio capiti Sapientiæ, vbi
scriptum est: A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. & illi quod ad Cor. scribit Paulus: In Dei *1.Cor.1.*
sapientia non cognouit mūdus deum. & Ioan.
1. In mundo erat, & mundus per ipsum factus
est, & mūdus eū non, &c. & in Ps. Dominus de
cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, &c. quasi dicat, Ex cælo ipso declarantur omnes homines esse cæci & nō
nosse deum, quia cælum enarrat gloriam dei
& nemo credit. Tunc vero deus de cælo prospicit, quando reuelat cęcitatem hominum ipsis hominibus. Hęc expositio est Augustini 12. *Vide Cyrillū*
confessionum. c. 6. si bene expendatur, est & *in Ioan. li.1.*
Prosperi in epistola ad Demetriadem. est & *c.2. & 12.*
Phoci apud OEcumenium in illud, Quia cùm

cognouissent deum, sic dicentis, Cùm cognouissent Deum, hoc est, agnoscere potuissent si voluissent, aut eo quod quantum ad conspectam creationem ac adhortationē cognouerāt. & peracta erat eorum cognitio. Eadem est & Chrysosto. in illud, Mutauerūt gloriā dei, &c.

*Homil. 3. in epi. ad Roma.*

### *De ignorantia veræ virtutis.*

### CAP. XVI.

*Aug. c. 3. li. 4. cont. Iulia.*

IGnorato deo ergo, cui debent cuncta seruire, ignoratur etiam vera virtus: finibus enim, non officijs à vitijs discernuntur virtutes. Officium est quod faciendū est, finis vero propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid vbi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare conuincitur. Vt, manus abstinere ab alieno, si officium cogites, potest videri esse iustitiæ, sed cùm quęritur quare fiat, & respondetur, ne plus pecuniæ litibus pereat: quomodo iam hoc factum veræ poterit esse iustitiæ, cùm seruiat auaritię? Quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quæ omnino quicquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent, vel tenēdam. Absit autem vt virtutes veræ cuiquā seruiant, nisi illi vel propter illum cui dicimus, Deus virtutum conuerte nos. Proinde virtutes quæ carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis & emolumentis temporalibus seruiunt, veræ prorsus esse non possunt. Quæ autem nulli rei seruire volunt, nec ipsæ veræ sūt. veræ quippe virtutes deo seruiunt in homi-

*Psal. 79.*

nibus, à quo donantur hominibus, deo seruiũt in angelis, à quo donantur & angelis. Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit: & si officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. Quum igitur corrupta ratio ignorans deum dictet officia agenda alio fine quam fieri debẽt, manifestum est, eam nullam nosse virtutẽ.

*De ignorantia rectorum officiorum.*

CAP. XVII.

CVm is qui deum nouit diuersa æstimet regula recta officia, atque deum ignorantes: clarũ est hos multa æstimare recta, quæ deum noscens indicat praua. Illi seculi commoda in bonis ducunt, nos hæc etiam in detrimentis. Rursum cum amor vitij rectum peruertat iudicium, virtutumque semina, quæ beneficio creatoris inserta erant homini præuaricatione primi parentis euersa sint, & in eorum locum omnium vitiorum venena successerint: consequitur, etiam circa quælibet recta officia, seminaria cæcitatis atque erroris esse in homine, & pro qualitate vitij se exerentis, atque reliqua vitia non sanantis, sed frenantis quodammodo & opprimentis, esse etiam errorem atque cæcitatem, quæ tunc magnas vires accipit, cùm vitium consuetudine peccandi roboratũ fuerit. Peccata enim quamuis magna & horrẽda cùm in consuetudinem venerint, aut parua aut nulla esse creduntur, vsque adeo, vt nõ solum non occultanda, verumetiam iam prædi-

*Ambr. li. 1. offi. c. 9.*

*Prosp. contra collatorẽ c. 27*

*Au. li. 3. c. 4 contra 2. epi. sto. Pela.*

*Aug. enchi. c. 80.*

*Psal. 9.* canda atque diffamanda videantur, quando (ſicut ſcriptum eſt) laudatur peccator in deſideriis animæ ſuę, & qui iniqua gerit, benedicitur. In hoc errant homines (ait Aug.) cùm ſubdunt pretioſa vilioribus. Cùm enim conceſſeris, admittendum eſſe aliquod malum ne aliud grauius admittatur, non ex regula veritatis, ſed ex ſua quiſque cupiditate atque conſuetudine metitur malum, & id putat grauius quod ipſe amplius exhorreſcit, non quod amplius reuera fugiendum eſt. Hoc totum ab amoris peruerſitate gignitur vitium. Cùm enim duę ſint vitę noſtræ, vna ſempiterna quę diuinitus promittitur, altera temporalis in qua nunc ſumus: cũ quiſque iſtam temporalem amplius diligere cęperit quàm illam ſempiternam, propter hãc quam diligit, putat omnia eſſe facienda, nec vlla ęſtimat grauiora peccata, quàm quę huic vitę faciunt iniuriam, & vel ei commoditatis aliquid iniquè & illicitè auferunt, aut eã penitus illatam morte adimunt. Itaque fures & raptores & contumelioſos & tortores atque interfectores magis oderunt quàm laſciuos, ebrioſos, luxurioſos, ſi nulli moleſti ſunt. Non enim intelligunt aut omnino curant quod iſti Deo faciant iniuriam, non quidem in illius aliquod incommodum, ſed in ſuam magnam perniciem, cum dona eius in ſe corrumpunt etiam temporalia, atque ipſis corruptionibus auerſentur æterna. *Lib. de mẽdacio cap. 18.*

*De ignorantia officiorum quæ proximo debentur.* CAP. XVIII.

HInc fit, vt quem ſemel auaritia occupauit, multiplicem iniuſtitiam iudicet nō eſſe iniuſtitiam: ſicut ait Sapiens de *Sap. 15.* ignorantibus creatorem ſuum: æſtimauerunt luſum eſſe vitam noſtram, & conuerſationem vitę compoſitam ad lucrum, & oportere vndecunque, etiam ex malo acquirere. Atque hæc cæcitas ex auaritia exorta, varia eſt, prout varii ſunt modi, quibus homines lucra ſectantur. Efficit, vt parentes negligere, peccatum non putetur, quali cæcitate laborabant Phariſæi, cæci cæcorum duces. Salomon de *Mat. 7.* ea loquens, inquit, Qui ſubtrahit aliquid à *Pro. 28.* patre ſuo & à matre, & dicit hoc non eſſe peccatum: particeps homicidæ eſt. Imo auaritia perſuadet licitè ordinari Dei cultum ad quæſtum, quemadmodum ait Apoſtolus. Ho- *1. Tit. 6.* mines mente corrupti, & qui veritate priuati ſunt, exiſtimant quæſtum eſſe pietatem. Iudicū cæcitatem Moyſes oſtendit, Munera inquiens, *Exo. 23.* etiam excæcant prudētes, & ſubuertunt verba iuſtorum. Ementium cæcitatem Salomon ape- *Pro. 20.* rit, cùm ait, Malum eſt, malum eſt, dicit omnis *Lib. 13. de* emptor, & cùm receſſerit, tunc gloriatur. Iu- *trin. c. 3.* dicant enim ferè omnes iuſtum eſſe quod malè cupiunt, nempè vili emere & carè vendere, rem etiam nil mutatam, quod reuera vitium iniuſtitiæ eſt. Quòd vero quis debeat benefacere alteri, & etiam inimico ignoſcere ac ſuccurrere, non videt homo odio excæcatus, vt indicat cæcus ille Saul his verbis. Quis enim *1. Reg. 24.* cùm inuenerit inimicum ſuum, dimittet eum

in via bona? Amari vero sales, & cum ioco coniuncta maledicentia, etiam honestas habetur. Appetitus vindictæ & libido dominandi, nobilitas animi vocatur. Gentilium cæcitas circa officia præstanda proximo, satis est manifesta. Chananæi etiamtanquam religiosi obliuiscebantur paternæ pietatis, filios suos Idolis comburentes. Philosophorum libri iniquissimis legibus sunt referti. Videas Platonis de licenter mentiendo, de non succurrendo valetudinariis, de occidendis infantibus, de haud multum puniendis homicidis & parricidis. Licurgus suis legibus iubet hospites finibus pelli: pueros impunè prostitui, fœminas licenter exponi, leges nuptiales euerti. Sed quid opus est Gentiles commemorare, cùm etiam fulgente Euangelio Christi apud Christianos compleãtur, quæ de suis temporibus dixerunt Prophetæ? Stultus populus meus, inquit Hieremias, me nõ cognouit, filii insipientes sunt, & vecordes, sapientes sunt vt faciant mala, benè autem facere nescierunt. Domus eorum plenæ dolo, ideò magnificati sunt & ditati, incrassati sunt & impinguati, & præterierunt sermones meos pessimè. Causam viduę non iudicauerunt, causam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt. & Esaias, Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum. Quis cæcus, nisi seruus meus, & surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? quis cæcus, nisi qui vænũdatus est, & quis cęcus, nisi seruus Domini? qui vides multa, nónne custodies? qui apertas ha-

*Deut. 12. & 18. 4. Reg. 17*

*Videatur Theodo. li. 9. & 10. de gre. co. affect.*

*Ierem. 4*

*Ierem. 5.*

*Esa. 42.*

bes aures, nónne audies? & alibi. Speculatores *Cap. 56.*
eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes
muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem, ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsque ad nouissimum, Venite sumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius. *Ierem. 6.*
rursum alius, A minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student, & à Propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.

*De ignorantia regiminis proprii corporis.*

CAP. XIX.

CIrca leges Dei de temperantia, horridæ tenebræ occupant humanam mẽtem. Gentes, ait Apostolus, ambulãt *Ephe. 4.*
in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum. qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam. & alibi, Gentes, quæ ignorant Deum, possident vas suum in passione desiderii. Ibant homines post *1. Thessal. 4.*
concupiscentias suas, & qua trahebantur, currebant eiusque illecebras blandas, & ex carnali suauitate iocundas magnam fœlicitatem arbitrabantur. Laudatur enim peccator, ait lex, in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur. Totos se seruos dabant concupis- *Ex 4. serm. Aug. de verbis Apost.* *Psalm. 9.*

centiis suis, fornicabantur, inebriabantur. Hæc enim licitè committebantur. Quis enim aliquando ad iudicem ductus est, quia meretricis lupanar intrauit? Quis enim aliquando in publicis tribunalibus accusatus est, quia per suas listrias lasciuus, immundusque defluxit. Quis aliquando habens vxorem, quia ancillam suam vitiauit crimen inuenit, sed in foro, non in cęlo, in lege mundi, non in lege creatoris mundi. Luxuriosus autem immundus atque lasciuus fœlix dicebatur, abundare voluptatibus, frui deliciis. Iam verò si se etiam vino ingurgitabat, si bibebat mensuras sine mensura, parum erat, quia non inueniebat crimen, etiam viri fortis nomen accipiebat, tanto nequior, quanto sub poculo inuictior. Laudabantur ista, & dicebatur: Fœlix est, magnus est, bene est illi, & non solùm hoc non putabatur esse peccatum, sed etiam putabatur vel Dei donum, vel certè suaue, blandum, & licitum bonum. Sic peruersa & aduersa corda mortalium fœlices res humanas putant, cùm tectorum splendor attenditur, & labes non attenditur animorum, cùm theatrorum moles extruuntur, & effodiuntur fundaméta virtutum, cùm gloriosa est effusionis insania, & opera misericordiæ deridentur, cùm ex his quæ diuitibus abundant, luxuriantur histriones, & necessaria vix habent pauperes, cùm Deus qui doctrinæ suæ publicis vocibus contra hoc malum publicum clamat, in Euangelistis suis, ab impiis blasphematur, & tales magistri requiruntur, qui eá ipsa cor-

*Aug. epist. 5 ad Marcellinum.*

porum & animorum dedecora excusent, imò tanquam recta defendant. Hæc si Deus pollere permittat, tunc indignatur grauius. Hæc si impunita dimittat, tunc punit infestius. Cùm verò euertit subsidium vitiorum, & copiosas libidines inopes reddit, misericorditer aduersatur. Quid verò de Philosophis dicamus? Certè Plato, & Solon (vnus eorum quos Græci sapiētes vocant, cùm reuera fatui fuerint) aliique Philosophi multi, non nominandam turpitudinem, tanquam honestam, & liberos, non seruos decentem, exercere docuerunt: de quibus Paulus epistolæ ad Rom. primo cap. Sed his omissis magis miremur Christiā. circa ista cæcitatē apud quos adulteriū (quod morte plecti consueuerat, & lege Moysi, & lege Gētilium) tantum non impunè cōmittitur. quin & scurrilia colloquia cum risu tanquam pulchra recreatio excipiuntur: comessationes quoque ac ebrietates (pro quibus etiam iuuenes, ab huiusmodi dehortantibus parentibus rebelles lapidari iussit Dominus) cum gloria frequentantur etiam apud rerum publicarum rectores. Quis vero non miretur, in his rebus sacerdotes suam fœlicitatem collocare, quorum est & sumere & alijs distribuere panem cælestem, cùm Christiano prohibeatur, ne cum ebrioso panem prophanum sumat? Nunc completur quod ait Dominus: Si seruus ille malus dixerit in corde suo, Moram facit dominus meus venire, manducet autem & bibat cum ebriosis, & percusserit cōseruos suos, &c. & illud Esaiæ:

*Vide Theodore. lib. 9. de græca. affect. & Chrysost. in illud 1. ca. Epistolæ ad Roman: Et mercedem quā oportuit erroris sui, &c.*

*Deut. 20*

*Hiero. in epist. ad Innocen. de muliere septies percussa.*

*Deu. 21.*

*1. Cor. 5.*

*Mat. 24.*

*Cap. 18.*

Sedentes super iudicium, & reuertentes de bello ad portam, hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt. Sacerdos & Propheta nesciérũt prę ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita vt non esset vltra locus. Atque hæc ex honestatis officio necessaria putantur. O deprauati cordis humani cæcitatem!

*De ignorantia præmiorum & suppliciorum.*

CAP. XX.

PRæmii & supplicii sempiterni non minor ignorantia inuasit homines, quàm agẽdorum. Animam enim aut crediderunt mori cum corpore: in quorum persona dicit Esaias, Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. & Salomon: Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum? Vnus est interitus hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius. Et rursum: Non est qui agnitus sit reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquã non fuerimus: Aut, inquã, hoc crediderũt, aut suspicati sunt tantũ aliquid de futura vita: quomodo multa fabulosa crediderunt. aut si & animam immortalẽ cognouerunt pauci aliqui Philosophi, stabilem tamẽ ei beatitudinem in vita æterna non inuenerunt. Ad miseriam quippe eam post aliquot se-

*Cap. 22.* *Eccle. 3.* *Sapie. 2.* *Aug. de trini. lib. 14. ca. 19.* *Lib. 13. de trini. ca. 9.*

cula redire dixerunt. corpori vero aliquod pręmium esse repositum nec suspicati sunt. Quia vero miserias huius vitæ pœnas primi peccati esse non cognouerunt, de natura tanquam nouerca cōquesti sunt, vtique hoc modo Deum tanquam iniustum accusantes. Qui verò hoc exhorruerunt, in alium errorem inciderunt, vt dicerent nos in superiori vita peccasse. Cùm ergo nihil nouissent de homine, nisi quod in hoc seculo videbant, manifestumque eis esset vniuersa bona & mala præsentis seculi iustis & iniustis æqualiter euenire: hinc factum est, vt putarent aut nullum esse Deum, aut iniustum esse, aut non curare res humanas. Vnde & corda eorum impleta sunt malitia, & contemptu in vita sua, sicut ait Sapiens: Qui vero prudētiores fuisse videntur: hoc vnum cupiuerunt, vt memoriam sui, & bonum nomen quā maxima maximè longum efficerent. Nescierunt, inquit Sapiens, Sacramenta Dei, neque mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarū, quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. inuidia autē diaboli mors introiuit in orbem terrarū. imitantur autē illū, qui sunt ex parte illius. Iustorū autem animę in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, & existimata est afflictio, exitus illorum. & ab itinere iusto abierunt in exterminium, & quod à nobis est iter exterminij: illi autem sunt in pace. & si coram hominibus

*Li. 4. contra Iulia. cap. 12.*

*Eiusd. lib. cap. 15.*

*Aug. in Psal. 31. versiculū: Gloriamini oēs recti &c.*

*Ecclesiaste. 9.*

*Sapien. 2.*

*Ibid. cap. 3.*

tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. & in paucis vexati, in multis benè disponentur.

## *Non tolli per ignorantiam legis, eius obligationem vel punitionem.* CAP. XXI.

*Aug. c.2. li. de gratia & lib. arb. ēt c.3. Rom.2.*

QVi nouerunt diuina mandata, auferetur eis excusatio quam solent homines habere de ignorantia, sed nec ipsi sine pœna erũt, qui legem Dei nesciunt, qui enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt. Et non sine causa dictum est. Effunde iram tuam in gentes quę te non nouerunt. & illud quod ait Apostolus: Cùm venerit in flamma ignis dare vindictã in eos qui ignorant Deum. Ipsum verò qui non debet puniri, condemnare, exterum existimat iustus Deus à sua virtute. Nulla vindicta, nulla correptio, nullum Dei flagellum debetur nisi peccato, excepto illo qui in flagella paratus est, vt experiretur omnia secundum similitudinem sine peccato, vt esset sanctus sanctorum sacerdos interpellans etiam pro sanctis. Patet igitur culpa, vbi non latet pœna, sicut ostendit Apostolus, dicens: Peccatum non imputabatur cum lex non esset, sed vt scias etiam tunc fuisse peccatum, subiecit. Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, conuincens videlicet ex pœna, etiam tunc fuisse peccatum, cùm esse non putaretur. Vbi verò peccatum est & pœna, ibi etiam lex prohibens & puniens sit necesse est. Neque enim peccatum erit si quid erit si non diuinitus

*Psal.75. 2.Thessal.1. Sap.12. Gen.18: Vide infra fo. 92. Lib.2. de pec. mer. & remis. cap.16. Prosper contra Collato. cap.20. Rom.5. Sic Aug. c.27 lib.2. de nup. & concup.*

diuinitus iubeatur vt non sit. Sic autem est lex naturæ in humana natura etiam dum ignoratur, sicut in omnibus elementis est prędicatio cultus Dei: quia videlicet si homo excæcatus non esset, & ex seipso & ex alijs creaturis intelligeret legem naturæ. In codice scripta permanent edicta, etiam si homo cęcus sit vt legere ea non possit. Nec est quod causemur legem naturæ ignorantibus non esse promulgatam: quoniam ille excusare non potest ignorantiam edicti qui sibi oculos eruit, ne mandatum conscriptũ legeret. Quamuis ergo ignorantes se excusare videantur, non tamen admittit hanc excusationem, qui scit se fecisse hominem rectum, eique obedientiæ dedisse præceptum, nec nisi eius quo male vsus est libero voluntatis arbitrio, etiam quod transiret in posteros manasse peccatum. Ac per hoc, inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis vel additamento etiam propriæ voluntatis, siue qui nouit, siue qui ignorat: quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerũt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem qui non potuerũt, pœna peccati est. Ergo in vtrisque non est iusta excusatio, sed iusta damnatio. Porrò promulgatio legis naturæ quæ erat in prima institutione, significata videtur in prima legis Moysi promulgatione. Sicut enim Deus per semetipsum, sine vlla hominis opera, decem præcepta & voce propria pronunciauit, & in tabulis digito suo inscripsit: ita & in prima hominis institutione, per omnes creaturas

*Lib. 2. de pec mer. & remis. cap. 16.*

*Aug. epist. 105. ad Sixtũ*

*Eccle. 7.*

*Idem concione 2. in Psal. 32. ad initiũ.*

homini audienti loquebatur mandata sua, & in tabulis cordis eius per spiritum suum ea inscripsit. Sicut vero dum filij Israël relicto Deo
*Exod.32.* vitulum adorarũt, tabulæ ab irato Moyse confractæ fuerunt: ita etiam dum primus parens Deo relicto adhæsit diabolo, cor eius iusto iudicio in varias cupiditates in scelera discissum est, & sic lex de corde deleta. Denique, quemadmodum domini pietas instaurauit tabulas,
*Exod.34.* sed non sine Moysi ministerio, qui secundas tabulas & dolauit, & inscripsit: ita post hominis lapsum Deus cordi hominis rursum legem suam clementer inscribit, sed non sine hominis docentis ministerio, & Iesu Christi gratia.

*Quomodo dicantur quidam esse sine lege.*

CAPVT XXII.

APostolo dicuntur quidam esse sine lege: aut quia legem per Moysen datam
*Romano.2.* non acceperunt, vt dum dicit: Gentes
*Aug. de spi. et lit. cap. 26.* quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, aut quia legem naturæ non nôrunt: vt dum ait, Ego viuebam sine lege ali-
*Rom.7.* *Aug. epist. 89. ad Hilarium. Et cap. 9. li. 1. contra 2. epistolas Pelagianorum. Lib. 2. contra Iulia. c. 4.* quando. Hoc modo infans sine omnibus reliquijs legis naturę esse dicitur, quia nihil nouit, cùm tamen reuera ei sint innatæ, sed adhuc consopitæ. In illo enim vtrunque consopitum vacat, & bonum naturale rationis, & malum originale peccati. Sicut ergo in eo est pruden-
*Romano.7. vide c. 16. lib. 21. de ciui. Dei.* tia carnis legi Dei inimica, & (vt vocat Apostolus) peccatum mortuũ, siue latẽs: ita etiam in eo est mortua lex, ex cuius dissonantia dicitur peruersus. nihil enim peruersum, nisi quod

à regula sua dissonat. Sicut in eo est lex peccati, ita est & lex mentis. Sicut enim semen virtutis, virtus est, & semen peccati, peccatum: ita & semen legis, lex est. Porrò annis accedentibus, euigilante ratione, simul noscitur mandatum, simul reuiuiscit peccatum: quod aduersus crescentem cum pugnare cœperit, tunc apparebit quòd in infante latuerit mandatum simul & peccatum: & vt hyperbolicè dicamus, nouoque verbo vtamur ad explicandum sensum. Peccatum, quod priusquã haberet puer intelligentiam absque peccato erat, per præuaricationem mandati incipiet ei esse peccantius peccatum. Sciet enim quid sit malum, & nihilominus faciet: talis quippe homo præuaricator est legis.

*Aug. epist. 89.*

*Iam citato loco libri contra Iulia.*

*Aug. ca. 10. lib. de gra. & lib. arbitr.*

*Quod ignorantia legis non mutet legem, licet minuat peccatum.* CAP. XXIII.

PEccata ignorantium legem minora sunt quàm scientium legem, sicut ait Dominus, Ille seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Tanto maiore iniustitia violatur præceptum, quanto faciliore potest obseruãtia custodiri. Ignoranti deest scientia & bona voluntas: scienti, tantum bona voluntas. Igitur qui sciens peccat, liberiore voluntate peccat

*Aug. c. 3. de gra. & li. ar.*

*Luc. 12.*

*Ca. 12. lib. 14 de ciuit. Dei.*

*Li.1.retr.c.15* quàm nesciens, quanquam peccatum nescientis sine voluntate non sit, sed voluntate facti, non voluntate peccati: quod tamen factũ, peccatum est. Hoc enim fit, quod fieri non debet. Vult speciem mali, non genus. Voluntariè eligit malum in particulari, sed inuitus vt concipitur in genere. ideoque non excusatur in toto. Est ibi voluntas quædam bona in genere, sed non est bona in particulari, contra qualia oramus: Ab occultis munda me. & Apostolus seipsum iudicare non audebat. Inuariata enim & fixa permanet naturæ lex, quantumcunque ignoretur, quantacunque prauitas hominis fuerit. eadem est lex de non fornicando viro casto & viro impuro: & sic cæteræ naturæ leges eædem sunt scientibus & ignorantibus, iu-

*De Genesi ad literam li. 8. cap. 23.* stis & impiis. Nunquam enim sic punit Deus voluntatem malam, vt naturę perimat dignitatem, Si eadem naturę dignitas impiis est quę sanctis, vtique idem est vtrisque naturalis ordo, eadem ergo & lex, quæ illum ordinẽ conseruare iubet. In omnibus rebus regula siue mensura immobilis est, vt mensuranda, quæ mutabilia sunt, mensuræ adaptari possint, ne (sicut habet Prouerbium) Lesbya fiat regula, hoc est, non rès mensuræ, sed ipsis rebus mensura accommodetur. Ergo & lex naturæ nõ ad

*In Psal. 94.* mores hominum curari, seu contra, mores hominum ad legem erigi debent. Ne voluntatem Dei velis torquere ad voluntatem tuam, sed tuam corrige ad voluntatem Dei (ait August.) voluntas Dei sic est quomodo regula. ecce, pu-

ta,torsisti regulam vnde habes corrigi. illa autẽ integra manet, regula enim est incõmutabilis. Hęc est in hominibus magna & vsitata peruersitas, quia cum debeant viuere ipsi secundũ voluntatem Dei, Deum volunt viuere secundũ voluntatem suam. vnde dicit. Existimasti iniquè quod ero tui similis, & cùm ipsi nolunt corrigi, illum volunt deprauari, rectum non arbitrantes quod ille vult, sed quod ipsi volũt. Duæ voluntates sunt, tua, & Dei. sed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei de torqueatur ad tuam. praua est enim tua, regula est illa. stet regula, & quod prauũ est ad regulam corrigatur. Sicut ergo prauitas ad Dei voluntatem, quæ ordinem naturalem conseruare iubet, corrigenda est: ita & ignorãtia nostra ex lege, quæ, vt ait Sapiens, lux est, illustranda est, non ipsa lux per nostras tenebras obscuranda, aut varianda est.

*Au. initio cõmentar in Psal. 48. Psal. 49.*

*Idem ad ver. Ps. 31. Gloriamini omnes recti, &c.*

*Prou. 6.*

*De reliquiis legis naturæ post peccatum relictis.*

CAP. XXIIII.

NOn vsque adeo in anima humana, imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint: vnde meritò dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suę facere aliqua legis, vel sapere. Nam remansit vtique id, quod anima hominis nisi rationalis esse non potest. Nec potuit natura humana in omnibus malis suis amittere beatitudinis appetitum. *a* Acquirendæ enim beatitudinis causa faciunt omnes homines quicquid

*De spi. & lit. c. 27.*

*Enchi. c. 25. et dena. & gra. ca. 46.*

*a. Au. cõci. 2. in ps. 32.*

*b. Idem cap. 49. li. de nat. & grat.*

*c Lib. 22. de ciu. Dei. c. 30*

vel boni faciunt vel mali. *b* Quis enim vllo modo velle esse possit infælix, etiam si aliud vult vbi eum & nolentem infælicitas consequatur? *c* Nam peccando nec pietatem nec fælicitatem tenuimus, voluntatem verò fœlicitatis nec perdita fœlicitate perdidimus. Similiter

*d Cap. 12. li. 19. de ciu. dei*

*e Id. c. 17. en.*

*f de ciu. Dei li. 11. cap. 27.*

*d* nemo est qui gaudere nolit, sicut & nemo est qui pacem habere nolit. Et *e* vsqueadeo eadem natura refugit falsitatem, & quantum potest deuitat errorem, vt falli nolint etiam quicunque amant fallere. Quantū quoque *f* ametur nosse vel hinc intelligi potest, quod lamētari quisque sana mente mauult quàm lætari in amentia. Ex hoc autem veritatis & beatitudinis appetitu, nouit consequenter, bonum & conueniens ad veritatis & fœlicitatis assecutionem esse agendum, malumque vitandum, deteriora melioribus subdenda, melius esse

*Au. li. 2. de lib. arbit. cap. 10.*

*Au. initio enarrationis Psal. 57.*

æternum temporali, inuiolabile violabili, non corruptionem, sed incorruptionem diligendā. Quicquid verò ab alio pati non vult, ideo pati non vult quia malum iudicat. quod sibi ab alio fieri exigit, ideo exigit quia bonum iudicat. Vnde manifestum est homini, hoc alteri homini non faciendum, quod ipse pati non vult, & id alteri præstandum, quod sibi fieri postulat. Hanc legem scriptam in cordibusho-

*Au. confes. lib. 2. cap. 4.*

*Idem in psal. 118. tract. 25*

minum nec ipsa delet iniquitas. Quis enim fur ęquo animo furem patitur? nec copiosus adāctum inopia? Nullus est qui facit alteri iniuriā, nisi qui sibi fieri nolit. Et in hoc transgreditur naturę legem, quam non sinitur ignorare, dum

id quod facit non vult pati. Iudicat etiam homo, pœna aliqua dignum esse, quod malè agitur: quod verò benè, præmio aliquo ac laude. Ideoque sicut ille qui bene agit, naturaliter gaudet: ita & qui malè agit, naturaliter metuit remorsumque conscientiæ patitur. Vnde dici solet, Conscientia mille testes: &, Se iudice nemo nocens absoluitur. Ex hoc naturæ instinctu cognouit Cain peccatum suum, dicens: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. & Adam & Eua post lapsum cognouerũt peccatum suum. Pharao quoque antequam lex daretur per Moysen sua crimina confitetur, dicens, Dominus iustus, ego autem & populus meus, impii.

*Prosper li. cõtra Col. c. 22.*

*Prosp. in fine ca. 11. li. 2. de vita contemp*

*Iuuenal. Satyra. 13. Hiero. ad Algasiam in q. 8.*

*Gen. 4.*

*Exo. 9.*

*Quid agat homo ex legis naturæ reliquiis.*

CAP. XXV.

EX lege naturæ adhuc reliqua quorũdam impiorum, nec Deum verum veraciter iusteque colentium, quædam facta prodiisse nouimus, legimus, vel audiuimus, quæ secundum iustitiæ regulam, non solùm vituperare non possumus, verumetiam meritò recteque laudamus, quamquam si discutiatur quo fine fiant, vix inueniũtur quæ iustitiæ debitam laudem defensionemve mereantur. Etsi enim naturaliter quæ legis sunt vtcunque fecerunt, scriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, vt aliis non facerẽt, quod perpeti nollent: hoc tamen peccauerunt, quòd homines sine fide non ad eum finem ista opera retulerunt ad quem referre debuerũt.

*Aug. ca. 27. lib. de spi. & lit.*

*Contra Iulia lib. 4. cap. 3.*

Minus enim Fabricius quàm Catilina punietur non quia iste bonus, sed quia ille magis malus, & minùs impius quàm Catilina Frabricius, nō veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimū deuiando. *a* Ex his naturæ à Deo conditæ reliquiis, intelligit etiam homo, mores ciuitatum concordiamque populorum nō posse aliter contineri, nisi vt rectè factis prēmia & peccatis pœnæ decernerentur. Ideoque ad similitudinem legalium mandatorum proprio iudicio multa sanxerunt, *b* Attende vniuersum orbem terrarum ordinatum in ipsa humana repub. quibus administrationibus, quibus ordinibus potestatum, conditionibus ciuitatum, legibus, moribus, artibus. Si enim nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiara esset, sed extincta natura.

*a Prosper cōtra Collato. cap. 22.*
*b Aug. tra. 8. in Ioan. Vide medium capitis 24. li. 22. de ciuit. Dei.*
*Prosper loco citato.*

*Ex lege naturæ salutem æternam non esse.*

CAP. XXVI.

*Aug. de spi. & lit. cap. 27*

INest igitur hominibus vis illa naturæ, qua legitimum aliquid anima rationalis & sentit, & facit, sed pietas, quæ in aliam vitam transfert beatam & æternam, legem habet immaculatā, conuertentem animas vt ex illo lumine renouentur, fiatque in eis quod dicitur. Signatum est super nos lumen vultus tui domine. Vnde & auersi obsolescere metuerunt, renouari autem nisi gratia Christiana, hoc est, nisi mediatoris intercessione non possunt. Vnus enim deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, qui dedit semetipsum redemptio-

*Psal. 4.*
*1. Ti. 2.*

nem pro omnibus. Vnde ſicut eis qui volentes in lege iuſtificari à gratia exciderunt, veriſſimè dicit Apoſtolus: Si ex lege iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. ſic & de his qui gratiam quam commendat & præcipit fides Chriſti putat eſſe naturam, veriſſimè dicitur. Si ex natura iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Iã hic enim erat lex, & nõ iuſtificabat. Iam hic erat & natura, & non iuſtificabat. Ideò Chriſtus non gratis mortuus eſt, vt & lex per illum impleretur, qui dixit: Non veni ſoluere legem, ſed adimplere, & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit veniſſe ſe quærere & ſaluare quod perierat: in quem venturum antiqui etiam Patres crediderunt, qui diligebant Deum.

*Idem c.13. li. de gratia & lib. arbit. Et can.22. conci. Arauſic. Item c.3. lib. 4. cõtra Iuli. Galat.2.*

*Mat.7. Luc.15.*

*Videatur Aug. ca.26. lib.1. de gratia Chriſti.*

*Proſper in carm. de ingratis ſub finem.*

* *Nemo etenim nemo eſt qui non cum vulnere primi,*
*Sit patris genitus quo vulnere mens priùs intus*
*Percuſſa eſt, quam membra foris, cum mente receptum eſt.*
*Quod regione poli diſiecta ſuperbia ſuaſit.*
*Sic animus, cui lumen erat de lumine ſummo,*
*Arbitrium inuoluit tenebris, & luce relicta*
*Conſilio legit tetræ nigreſcere noctis.*
*Nec iam captiuos oculos extollere in altum*
*Sponte poteſt: quoniam hoc etiam, ſpoliante tyranno,*
*Perdidit, vt quanto iaceat ſub vulnere norit.*
*Si quid enim de principiis fœlicibus illi*
*Et vita exilii ſupereſt prudenter agenda,*
*Hoc ſanum, & quo nil fuerit ſublimius in ſe*
*Credit, amatque ſuum mundi ſapientia ſenſum,*
*Innumeras ſeſe claram mirata per artes.*

*Quòd coniecturis sublimibus abdita quærit,*
*Quòd meminit rectè, sapit acriter, æstimat aptè,*
*Quòd studium fundi excoluit, quod legibus vrbes*
*Instituit, moréſque feros ratione recidit.*
*Vt pœnæ metus officio certarit amoris,*
*Iam cùm exercetur numeris ad ſydera cæli*
*Per curſus noſcenda ſuos, & ſcire videtur*
*Effectus ſolis varios, Lunæque labores.*
*Quàm ſpecioſa ſibi eſt? & quàm vaneſcit in ipſis?*
*Quæ licet ex primo naturæ habeantur honore.*
*Non tamen ad veram poſſunt perducere vitam.*
*Denique ab his præceps in multas religiones*
*Decidit, & factis hæſit factore relicto.*

*Omnes adultos, antequam ad Chriſtum veniant, naturæ legem præuaricari.*

CAP. XXVII.

*Aug. de ciuit. Dei li. 5. c. 12.*

ETſi pauci quidam ignorantium Deum ita fuerint gloriæ auidi, vt huius vnius ingenti cupiditate cæteras cupiditates preſſerint, ideoque à magnis, apud alios conſuetis, iniuriis proximorum opere externo abſtinentes *a* vtcunque non fecerint, quod pati nollent, *b* hi ipſi tamen & omnes alii iam ratione vtentes peccatores, huiuſque legis, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, præuaricatores fuerunt. *c* Qui enim nondum iuſtitiam propter Deum & propter ipſam iuſtitiam diligit, ſed eam ſibi vult ad conquirendum terrena ſeruire, vbi viderit ex alia parte ipſam, ex alia cõmodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, & relinquit iuſtitiam: quam propterea tenere conabatur, vt haberet illud

*a Idem ad medium cap. 3. lib. 4. contra Iulia.*
*b Idem ad illud Pſ. 118. Præuaricatores reputaui, & epiſt. 89.*
*c Aug. in 5. c. epiſt. ad Gal.*

quod se nunc videt amittere si illam tenuerit. Qui verò inter Gentiles iustitiam non propter terrena commoda, sed propter iustitiam, sectandam esse sciuerunt, id nihilominus non fecerunt. Non potest enim scientia ex naturæ opibus residua, sui perceptione præstare, vt quod faciendum nouerimus, etiam facere diligamus, & si homo excellentissimis artibus & cunctis mortalium polleat disciplinis, iustificari ex se non potest, quia bonis suis malè vtitur, in quibus sine cultu veri Dei impietatis, immunditiæque conuincitur, & vnde se defendi existimat, accusatur. Quanquam autem tanta vis sit probitatis & castitatis, vt omnis vel penè omnis eius laude moueatur humana natura, nec vsqueadeò sit turpitudine vitiosa, vt totum amittat sensum honestatis: amor tamen vitiorum efficit, vt frequentissimè innatam sibi honestatem homo non consideret, & ita paulatim praua consuetudine obscurantur, & tantùm non extinguuntur reliquiæ legis naturæ: adeò vt incipiat iam iustú videri id, quod ei qui plus potest magis prodest, quod principiùm contrarium est illi, Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias. Ex illo principio tyrannides, publicè priuatim fraudes inualescunt: sicut ex hoc, defensio ciuitatum & familiarum. Similiter ipsam conscientiam, & innatum remorsum, iuxta illud quod in Prouerbijs scriptum est: Impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnit, cernimus præcipitari apud quosdam & suum locum amittere, qui ne pu-

*Prosper contra Collatorem c.22.*

*Aug. de ciuit. Dei li.2.c.26*

*Idem initio enar. Psal.57*

*Idem c.21.l.19. de ciui. Dei.*

*Hiero. in 1. caput Ezec.*

*Prouer.18.*

dorem quidem & verecundiam habent in delictis, & merentur audire: facies meretricis

*Hieremi. 3.* facta est tibi, noluisti erubescere. Quemadmodum igitur de lege Moysi scriptum est: Lex

*Romano. 5.* subintrauit vt abundaret delictum: ita de reliquijs legis naturæ scriptum est: Ego viuebam

*Romanorũ 7* sine lege aliquando, at vbi venit mandatum, peccatum reuixit, ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum, accepta occasione per mandatum, seduxit me, & per illud occidit.

*Naturæ legem gratia Christi accedente, operari opera sancta.* CAP. XXVIII.

Sicut scientia legis Moysi in eo quem spiritus Christi dirigit efficax est ad omne bonum (vt magis patebit infra) ita & lex naturæ quæ adhuc reliqua est in homine, operante Christo hominem eò perducit, vt etiam particulatim quid

*Aug. cap. 27. lib. de spi. & lit.* agendum sit noscat, & hoc opere præstet. Hoc

*Et Prosp. lib. Sent.* enim agit spiritus gratiæ vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis.

*Sent. 258.* Vitium quippe, contra naturam est, quod vtique sanat gratia, propter quam Deo dicitur:

*Psalmo. 40.* Miserere mei, sana animan meam, quoniam

*Romano. 2.* peccaui tibi. Proinde naturaliter homines quæ legis sunt faciũt. Qui enim hoc nõ faciunt, vitiose faciũt quo vitio lex Dei deleta est de cordibus ac per hoc, vitio sanato cùm illic scribitur, fiunt quæ legis sunt naturaliter: non quod per naturam negetur gratia, sed potius, per gratiã

reparetur natura. Simul autem & hoc dicendum, quod naturalem illam iudicandi vim nobis inseuit, ac fecit nil indignam doctrinæ, qui nos condidit. Deus, Nemo enim est qui doceat colorum aut schematum aspectus internoscere, aut inter strepitum aut vocem, vel inter ea quæ malè & quæ bene olent, siue inter saporum aut alterius succi gustus, vel inter mollia & dura, aut inter calentia & frigida discernere. Neque mentem sanè quisquam docebit sese illis applicare quæ sunt intelligibilia. Et quemadmodum ipsi sensus, si quid illis acciderit incommodi, cura tantum opus habent, & propriam facilè operationem adimplent: ita & mens carni alligata, & illius impleta phantasiis, fide opus habet, & recta vitæ conuersatione, quę pedes ipsius instar cerui componunt & instituunt, ipsamque in sublimibus constituunt. Naturales sunt virtutes, & naturaliter & æquè in omnibus insunt, & si non omnes ęquè operemur ea quę sunt naturæ. Nam ex eo quod secundum naturam, in id quod præter naturam per transgressionē lapsi sumus. Verum Dominus ex eo quod præter naturam, ad id quod secundum naturam nos reparauit. Hoc enim est secundum imaginem, & secundum similitudinem. Et exercitatio, & huiusmodi labores: non ad acquirendam virtutem, quę forinsecus sit inducenda, excogitati sunt, sed ad inductam & pręter naturam prauitatem expellendam. Quemadmodum & ferri rubiginem non naturalem existentem, sed

*Basil in fine epist. 141. ad Cæsariem.*

*Damasc. ca. 14. lib. 3. de ortho. fid.*

*Videatur Leo ser. 1. de ieiunio 10. mensis & ser. 4. de nati. Do.*

ex negligentia contractam, per laborem detergentes, naturalem ferri splendorem nitescere

*Aug. li. 2. de lib. ar. ca. 10.* facimus. Porro quáto magis quisque ad agendam vitam regulis & luminibus virtutum in natura relictis vtitur, & secundum hęc agit vitam, tanto magis viuit facitque sapienter.

*Reliquias legis naturæ non esse impijs semina virtutum.* CAPVT XXIX.

*Semen virtutis.* ID est homini semen siue origo virtutis, quod omnibus quę in homine sunt expensis, ferax est nihilominus boni operis, sicut bona opera semen sunt vitæ ęternę. Qui seminat, ait Apostolus, in spiritu, de

*Gala. 6.* *Aug. c. 7. lib. 2. de pec. me. & remis.* *1. Ioan. 3.* *Mat. 13.* spiritu metet vitam æternam. & Ioannes nouitatem ex spiritu Dei conceptam, per quam quis ex Deo nascitur, semẽ Dei appellat: Qui, inquiens, natus est ex Deo non peccat, & non potest peccare, quia semen eius in ipso manet.

*Prosper contra Col. c. 27.* *Ibidem.* & Christus filios regni appellat semen suum, id est, à se seminatos. Cùm igitur ante Christi gratiam vitia homini dominentur, quę suffocant Dei verbum, cum quibus virtutes habitare non possunt,

*Rom. 7.* vsque adeo vt propterea appellentur omnes nequam zizania semináta à diabolo & nata ex diabolo: & cùm ipsa prauitas occasione accepta per reliquias legis naturæ longè fiat maior: clarissimè patet, has legis

*Simile.* naturę reliquias non esse homini ante gratiam semina virtutum: sicut scortatori diuitię non sunt principia bonæ vitę, nec gladius furioso vitę custodia est. Lex igitur naturę impijs iram

*Rom. 4.* operari dicenda est, non vitam, sicut de lege

Moysi dicit Apostolus. Similiter non est dicẽdum, quod propter has reliquias legis naturę, in homine remanserit lumen decusque virtutum: cùm maiora dedecora atque tenebras occasione legis naturæ adducat peccatum. Inerant homini quidem ante peccatum virtutum semina beneficio creatoris inserta, sed pręuaricatione primi parentis euersa sunt, nec haberi queunt nisi eo restituente qui dederat. successerunt vero in tota natura humana pro virtutum seminibus omnium vitiorum venena.

*Prosper. contra Collato c. 27.*

*Idem ca. 19 contra eũdem*

## *Quomodo reliquiæ legis naturæ rectè dicantur semina virtutum.* CAP. XXX.

SI autem semen virtutis appellemus verbum Dei, siue quicquid secundũ naturam suam consideratam hominem ad virtutem adducit (quomodo appellat Christus semen suum in parabola de quadruplici genere auditorum) in omnibus elementis habemus virtutum principia, cùm nihil clament aliud quàm Deo esse seruiendũ. Euidentius autem virtutum semina habemus in legis naturæ reliquijs cordibus nostris inscriptis: per quas in conscientia cuiuslibet animæ, quantumcunque peruersæ, quę tamẽ vllo modo ratiocinari potest, loquitur Deus. quod Dei verbum etsi generatim fiat, principium tamen est, ex quo, Christi spiritu operãte, procedit fides, procedit dilectio Dei, qui enim Deo credit, aut Deum diligit: ideo hoc agit, quia bonum est, quia suum cuique reddere oportet, quia Deo debitum est. Ad omnia, ait

*Luc. 8.*

*Aug. li. 2. de ser. domini in monte. c. 15.*

*in regulis fusius disp. 2. c. Videatur etiam ho. 9. hexameron.*

Basilius, quæ descripta nobis à Deo præcepta sunt consequenda, naturales etiam ab ipso facultates accepimus. Cum igitur præceptum nobis sit, vt charitatem in Deum habeamus, in ipso confestim ortus nostri initio, vim quandam nanciscimur, per quam nostrapte sponte ad ipsum diligendum impellimur. Nam & rerum pulchrarum natura appetentes sumus, & item sponte nostra quicquid necessitúdine aliqua, propinquitateque coniunctum nobis est, diligere, & ijs, quicunque de nobis bene meriti sunt, charitatẽ omnẽ præstare consueuimus sine præuia doctrina. Verum quid est quæso pulchritudine diuina admirabilius? quis nobis coniunctior quàm is qui nos creauit? quis plura beneficia nobis præstitit quàm Deus? Quãquam igitur post peccatum, non sine Christi gratia, magnoque labore assequantur homines amorem honesti ac probitatis, & malitiæ totius detestationem: tamen nobis non arduum adeo sit & difficile amorem recuperasse iustitiæ, modò id ardenti affectu expetamus, simul & odium iniquitatis. Omnem enim ad vtriusque consequutionem, Deus impartiuit vtiliter potentiã animæ rationali, vt amandi, ita & habendi odio: vt præduce ratione directi virtutẽ quidẽ amemus, odio verò habeamus iniquitatẽ. Creando enim Deus vniquique semẽ sapiẽtiæ, id est, pietatis, atque intelligendi radices inserit. Et hoc modo rationalẽ efficit creaturã naturæ suæ participem faciens, a & ineffabilis sui splendoris quasi lucidos vapores, eo modo quem

*Sic August. ad illud Psal. 144. Et virtutem tuam annuntiabũt. Basil. homil. in Psal. 44. ad illud, Dilexisti iustitiam. Vide eundem ad extremum homilia ad hoc, constitues eos principes &c. & Hiero. in eundẽ locum.*

*Cyril. in illud primi Ioann. Qui illuminat omnem hominem, &c.*

*a Au. se. 38. de*

do qué ſolus nouit, in mentem hominis immittens, propterea noſter pater Adam nõ tempore (quemadmodum nos) prudentiam didicit, ſed ſtatim à ſui creatione perfectè ſapiens fuit, datum ſibi diuinitus lumen adhuc conſeruans, naturæque dignitatem integram retinẽs. Perſpicuum eſt, *b* inquit Hier. natura omnibus Dei ineſſe notitiá, nec quemquam ſine Chriſto naſci & non habere ſemina in ſe ſapientiæ & iuſtitiæ, reliquarumque virtutũ. Vnde multi abſque fide & euangelio Chriſti, vel ſapienter faciunt aliqua vel ſanctè, vt parentibus obſequantur, vt inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, nó aliena diripiant, magíſque iudicio dei obnoxij fiant, quòd habentes in ſe principia virtutum & Dei ſemina, nõ credunt in eo ſine quo eſſe non poſſunt. Ideóque cùm in Chriſtum non credant, fruſtrà ſe fortes & ſapientes, temperantes vel iuſtos eſſe putant. nullus enim abſque Chriſto viuit: ſine quo omnis virtus in vitio eſt. Quemadmodum verò dicuntur ſemina virtutum relicta in homine poſt peccatum: ita dicitur homo noſſe regulas luminá que virtutum: quia videlicet lex naturæ generalia quædam præcepta de veris virtutibus præſcribit: quanquam in particulari neſciat homo in quo vera virtus ſita ſit. Nõ enim abſurdè virtus definita eſt ab eis qui dixerunt: Virtus eſt animi habitus, naturæ, modo, atque rationi conſentaneus. Verum dixerunt: ſed quid ſit conſentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium neſcierunt. Neque

*verbis domin. voluit Deus omni animæ inſeminare initiam tellectus, initia ſapiẽtiæ.*

*b In illud 1. ad Gal. Vt reuelaret filium ſuum, &c.*

*Idem in cap. 3. eiuſdem epiſt. ad hoc: Iuſtus ex fide viuit.*

*Aug. capit. 10. lib. 2. de libe. arb.*

*Aug. c. 3. li. 4. contra Iulia.*

enim omnes homines naturali instinctu immortales & beati esse vellemus, nisi esse possemus. Sed hoc summū bonum præstari hominibus non potest, nisi per Christum, & hunc crucifixum, cuius morte mors vincitur, cuius vulneribus natura nostra sanatur. Ideóque iustus ex fide Christi viuit. Atque in eo omni modo lex naturæ semen virtutum appellanda est. Iubente domino Deo nostro germinat anima nostra opera misericordię, secundum genus diligens proximum in subsidiis necessitatum carnalium, habēs in se semen secundū similitudinem: quoniam ex nostra infirmitate compatimur ad subueniendum indigentibus, similiter opitulantes quemadmodum nobis vellemus opem ferri, si eo modo indigeremus.

*Abac. 2.*

*Aug. lib. 13. Confess. ca. 17*

Hactenus de lege naturæ & eius abolitione: nunc de eius reparatione dicendum.

---

*De necessitate legis diuinæ.*

CAP. XXXI.

*Ambros. epi. 71. ad Iren.*

SOluit naturalem legē Adam, qui voluit sibi arrogare quod non acceperat, vt esset sicut creator & conditor suus, & diuinum honorē affectaret. Itaq; per inobediētiam offensam traxit, & culpam incidit ex insolentia, qui si nō rupisset imperium, & obediens fuisset mandatis cælestibus, prærogatiuam naturæ atque ingenitæ sibi innocentiæ hæredibus propriis reseruasset. Ergo quia per inobedientiam prærogatiua naturalis legis corrupta atque interdicta est: ideo

ſcriptũ legis exiſtimatum eſt neceſſariũ, vt vel partẽ haberet qui vniuerſum amiſerat : & cui perierat quod naſcendo aſſumpſerat, diſcendo ſaltẽ cognoſceret & cuſtodiret. Ne ergo homines ſibi aliquid defuiſſe quererẽtur, ſcriptum eſt & in tabulis, & quod amiſſum erat, & illud etiam exiguum, quod homines in cordibus ſuis non legebant. Non enim & ſcriptum non habebant, ſed legere nolebant. Oppoſitum eſt oculis eorum quod in conſcientia videre cogerentur: & quaſi forinſecus admota voce Dei, ad interiora ſua compulſus eſt homo, dicente ſcriptura: In cogitationibus impij, interrogatio erit. Vbi interrogatio ibi lex, Sed quia homines appetẽtes ea quæ foris ſunt etiam à ſeipſis exules facti ſunt, data eſt etiam conſcripta lex, non quia in cordibus ſcripta nõ erat, ſed quia tu fugitiuus eras cordis tui, ab illo qui vbique eſt comprehẽderis, & ad teipſum intrò reuocaris. Propterea ſcripta lex quid clamat de eis qui deſeruerũt legem ſcriptã in cordibus? Redite præuaricatores ad cor.

*Aug. initio enar. Pſ. 57.*

*Sapien. 1.*

*Eſa. 46.*

*Deut. 5.*

*Quòd congruo tempore Iudæis data ſit lex.*

CAPVT XXXII.

VSque ad Moyſi tempora relictus eſt homo in tenebris ſuis : & tunc ſolis Iudæis, ex quibus naſciturus erat Chriſtus, data eſt iterum lex naturæ: vt ex lege accepta, & ex aliorũ horrenda ignorantia, diſceret homo in quantis tenebris antea fuerat verſatus: quod agnoſcens Dauid, extollit miſericordiam Iudæis præſtitam : Qui

*Pſal. 147.*

annunciat, inquiens, verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Tam diu homo in ignorantiam relictus est, solíque Iudæi demum illustrati sunt, vt disceret homo nō nisi Dei misericordia agnosci legem eius: sicut ait Propheta Dominus illuminat cęcos, & Nehemias gratias agens pro Iudæis: Spiritum tuum bonum dedisti eis qui doceret eos. Si statim à lapsu legem eis dedisset, vel omnibus gentibus tradidisset, facilè superbus homo sibi arrogasset legis Dei notitiam, tanquam ipse sibi eam parasset, aut suis meritis eam obtinuisset. Ea enim vel quibus nunquam caruimus, vel quę cum omnibus habemus communia, non ex gratia accepta, sed aut ex viribus nostris, aut ex meritis nostris reputare solemus. Vnde Moyses, vt gratiæ dei esse ostenderet notitiam legis: Memento, ait, dierum antiquorum, cogita generationes singulas. interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi; quando diuidebat Altissimus gentes: quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel. Pars autē domini, populus eius: Iacob funiculus hęreditatis eius. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis circunduxit eum & docuit. Tanto verò tēpore ante Christi aduentum data fuit léx: vt homo cognita lege & præuaricata, disceret se non solùm ignorantem esse, sed & prauum, qui propter suā

*Psal. 145.* *2. Esd. 9.* *Deut. 32.*

prauitatem etiam cognitam legem seruare nõ valeret.

*Cur ab occiso agno paschali quinquagesimo die data sit lex.* CAP. XXXIII.

Decimo quarto *a* die primi mensis (quo agnus Paschalis ad vesperam occisus est) computatis septendecim diebus primi mensis, & triginta diebus secundi mensis & tribus tertij mensis (cuius tertio die lex promulgata est, digito Dei conscripta in duabus tabulis lapideis) inueniuntur vsque ad datam legem quinquaginta dies: Vt nobis significaretur, quòd merito occisi agni immaculati Christi lex de diligendo Deo & proximo scriberetur per Spiritum sanctum in cordibus fidelium quinquagesimo die, non quidem à morte Christi, sed à resurrectione eius: in qua secundus Adam totus nouus & præparatus ad nos regenerandos & penitus innouandos apparuit, in cuius figuram post ingressum populi in terrã promissam celebrabatur quinquagesimus dies, non ab occiso agno, sed ab oblato manipulo primitiarum, qui in figuram primogeniti mortuorum Christi offerebatur postridie sabbati in diebus azimorum, hoc est, primo die hebdomadæ (quem nos Dominicum vocamus) occurrente in hebdomada Paschali, & ita festum Penthecostes semper occurrebat die Dominico, erat enim primus dies hebdomadę octauæ, sicut annus iubileus erat primus annus octauę hebdomadę annorum. Vnde etiam festum Penthecostes festum hebdoma-

*a Ex Aug. q. 70. quæst. in Exod. & c. 16. epist. eius. 119. Hiero. ad Fabiol. mansio. 12. Exod. 19.*

*Act. 2.*

*Leui. 23. Aug. c. 43. lib. 16. de ci. Dei videtur habere quòd à morte comput. Et c. 16. Epist. 119. & Prosper li. 2. de voc. gent cap. 16. Isychius in Leuit. lib. 6. in cap. 23.*

*Leui 23.*

darum appellabatur: in quo offerebatur sacrificium nouum domino ex omnibus habitaculis filiorum Israel, duo panes primitiarum, vtique ad designãdum primitias spiritus, siue inchoatam nouitatẽ, quam in hac vita ex Christi passione & resurrectione accipimus, Spiritusancto primum in die Penth. in ecclesiam effuso, sicut in Paschate perfecta atque integra nouitas mentis & corporis nobis ex Christi passione & resurrectione, futura designatur.

*Quòd lex data Moysi contineat omnia præcepta legis naturæ.* CAPVT XXXIIII.

*Aug. contr. Faust. lib. 19. Cap. 28. Exod. 20.*

NVlla sunt in euangelio, ad pietatem & ad bonos mores spectantia tam ardua pręcepta, quin & eadẽ data sunt in lege Moysi. Nam & illa dicit: Non concupisces vxorẽ aut rem proximi sui, ex quibus mandatis satis intelligitur, omnẽ concupiscentiã operum prohibitorũ à Deo esse prohibitam. Quòd verò Dominus in Euangelio dicit: Non veni soluere legem, sed adimplere, non sic intelligendum est, quasi semiplena lex verbis domini integraretur, sed vt quod litera iubente propter superborum præsumptionem impleri nõ poterat, suadẽte gratia propter humilium confessionem impleretur, opere factorum, non adiectione verborum. Sic Christus, vbi quibusdam antiquis sententiis propositis, adiunxit: Ego autem dico vobis: non legem quę per Moysen data est auxit, sed potius commendauit pręcepta legis Moysi, vt quicquid ex per-

*Mat. 5. Idem c. 27. eius. lib.*

*Idem eius. lib. cap. 26. Mat. 5.*

ſona ſua inſuper loqueretur, contra falſam Phariſęorum aut inſufficientem doctrinam, & ad declarandam legis Moyſi expoſitionem valeret. Quia enim non intelligebāt homicidium niſi peremptionem corporis humani, per quā vita priuaretur: aperuit Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri, in homicidij genere deputari, vnde & Ioannes dicit: Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et quoniam putabant tantummodo corporalem cum fœmina illicitam commixtionem vocari mœchiam, demonſtrauit Magiſter, etiam talem concupiſcentiam nihil eſſe aliud, & ita in cæteris quæ dominus in ſermone illo prolixo mandauit, rem ſe habere infra patebit. Quia autem clarius & expreſſius etiam ipſis carnalibus quædam præcepta à Chriſto proponuntur quàm à Moyſe, cautius & moderatiùs dicitur, penè nulla præcepta quàm nulla eſſe in nouo teſtamento, quæ non ſint in veteri.

*Eiuſdem lib. c. 23.*

*1. Ioan. 3.*

*Idem 1. retra. cap. 22.*

*Quòd lex Moyſi contineat promiſſa & ſupplicia terrena.* CAP. XXXV.

PRomiſſa fuit homini in prima inſtitutione, ſi obediens permāſiſſet, & æterna fœlicitas in ſocietate angelorum & ſimul corporis & animę in hoc tempore beatitudo. Sed ipſe relicto Deo, æternis temporalia, ſpiritalibus bonis corporalia, ſocietati ſanctorum Sathanę conſortium præpoſuit: & nimis quęrendo huius temporis fœlicitatem, vtramque pariter tam temporalem quam æternam perdidit. Vt igitur ad priſtinam fœlicitatē

reduceretur, debuit rurſus contemptis temporalibus & corporalibus bonis, quibus inordinatè inhæſit, æterna atque ſpiritalia amplecti. Verùm quia homo carnalibus affectibus implicatus niſi temporalia deſiderare non nouerat, perſuadendum illi prius fuit, quòd etiam iſta tèrrena Deus dat homini, vt etiam in ipſis infimis rebus quodammodo Deum diligere aſſueſcerent carnales, & tandem ad ſpiritalem Dei dilectionem adducti, etiam ipſa terrena pro eo contemnerent. Miſericorditer igitur carnali populo Iſrael promiſit Deus diuitias, gloriam, & fœlicitatem terrenam ſi ſeruaret ſua mandata, miſericorditèrque minatus eſt omnia contraria ſi non ſeruaret mandata ſua: ſicuti eſt videre Leui. 26. & Deu. 38.

*Aug. cõtra Adimantũ Manichei diſcipulũ ca. 20.*

*Legem Moyſi etiam æterna promittere & comminari.* CAP. XXXVI.

AT quia reuera ſtipendium peccati eſt mors, non tantùm temporalis, ſed & æterna: Deus per Moyſen, tanquam perfectus legiſlator ſicut peccatum prohibuit, ita & æternam mortem comminatus eſt. Maledictus, inquiens, qui non permanſerit in ſermonibus legis huius, nec eos opere perficit. quem locum pertractans Apoſtolus: Chriſtus inquit, nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Cùm Chriſtiani non magis quàm alij impij ex temporali miſeria eripiantur, manifeſtum eſt, ſecundum Apoſtoli interpretationem, Moyſen minatum eſſe æternam maledictionem. Huc pertinet,

*Rom. 6. & 5.*

*Deuter. 27.*

*Gala. 3.*

*Gen. 17.*

quòd incircuncisus, & non aspersus aqua lu- *Numer. 19.*
strationis, & non celebrans Phase, & come- *Numer. 9.*
dens sanguinem, & Prophetam similem Mosi *Leu. 7.* *Exod. 20.*
hoc est, Christum, non audiens: in lege dicun- *Deut. 18.*
tur perituri de populo suo obfirmáte Deo vl- *Ioan. 3.*
tore faciem contra eos: quemadmodum in *Ioan. 13.*
euangelio dicitur: Nisi quis renatus fuerit ex *Ioan. 6.*
aqua & Spiritu sancto, non potest introire *Vide Aug. lib. 16. de Ci.*
regnum Dei: &, Si non lauero te, non habebis *Dei cap. 27.*
partem mecum: &, Nisi manducaueritis car- *& de nup.*
nem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, *& con. li. 2.*
non habebitis vitam in vobis. &, Qui incre- *c. 11. & lib. de pecca. ori.*
dulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei *c. 30. & con*
manet super eum. Quod enim in lege dicitur: *tra Iulia. li.*
Peribit de populo suo, hoc in Euangelio di- *5. cap. 9.*
citur: Non potest introire in regnum Dei, *Ioan. 3.* *Aug. contra*
Non videbit vitam. Quód in lege dicitur: Ego *Iulian. lib. 2.*
vltor existam, Obfirmabo faciem meam con- *cap. 6.*
tra hominem illum, in Euangelio dicitur: Ira
Dei manet super eum. Sed Prophetæ manife-
stius de æterno supplicio sunt locuti, quàm ip-
se Moyses. Dauid inquit. Inueniatur manus *Psalm. 20.*
tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat
omnes qui te oderunt. Pones eos vt clibanum
ignis in tempore vultus tui. Dominus in ira
sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.
& iterum: Intereant in seculum seculi. item *Psalm. 91.*
Esaias: Vermis eorum non morietur, & ignis *Ca. vlt.*
eorum non extinguetur.

Similiter, quia sola terrena bona non sunt
præmium iustitiæ, siue finis propter quem iu-
ste agendum est, quum omni terrena fœlici-

tate præſtantior ſit iuſtitia, quæ perpetua eſt & immortalis, hoc eſt, cui debetur vita æterna Dominus Deus vt perfectam iuſtitiam præcepit per Moyſen, ita etiam verum præmium iuſtitiæ vitam æternam promiſit, dicens: Qui fecerit mandata mea, viuet in eis. & Ezechiel hanc promiſſionem repetens: Iuſtus, inquit, vita viuet, & non morietur: Loquens vtique etiam de morte & vita æterna. ſicut & Chriſtus in Euangelio quęrenti. Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? ad legem remiſit, dicens: Hoc fac (quod de diligẽdo Deo & proximo pręcipit) & viues. & alteri reſpondit ſimiliter. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: deinde ſolùm legis Moyſi mandata commemorans. Vnde & ipſe Stephanus inquit in Actis: Moyſes accepit verba vitę dare nobis. & Apoſt. Mãdatum erat ad vitam *a* Prophetę verò clariùs de vita æterna à lege promiſſa ſũt locuti. Habitabũt recti, inquit Dauid, cum vultu tuo: &, Cuſtodit dominus omnia oſſa eorũ, vnum ex his non conteretur. Daniel quoque, Euigilabunt, ait, alij in vitã æternam, alii in opprobrium, vt videant ſemper. Sanè Dominus in euangelio, loquens de ſcripturis veteris inſtrumenti: Scrutamini, inquit, ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere. Et ante Chriſti aduẽtum Sadducęorum ſecta meritò abominationi erat: quia reſurrectionem tollebat. contra quos liber ſecundus Machabęorum pulcherrimè introducit ſanctos martyres Eleazarum & ſeptem fratres cum matre

*Vide Aug. paulo ante medium epiſt. 95 ad Inno. & contra 2. epiſt. Pela. li. 4. c. 5. & lib. de ſpirit. & lit. cap 28. item Hilar. ad hoc Pſal. 68 Delebitur de lib. viuen. Aug. in ſuper lib. 4. de ciui. Dei c. penul.*

*Leu. 18.* *Eze. 18.* *Luc. 10.* *Mat. 19.* *Act. 7.* *Rom. 7.*

*a Vide Aug. cap. vlt. lib. 19. contra Fauſtum.*

*Pſal. 139.* *Pſalm. 33.* *Dan. 12.* *Ioan. 5.* *Mar. 12. ca. 6. & 7.*

sua resurrectionem defendentes, etiam ex Moysi cantico, vbi scriptum est: Et in seruis suis consolabitur. quod proculdubio de resurrectione dictum esse, ex eo in loco præcedentibus manifestum est. Mea est vltio, & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum: iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora. Iudicabit dominus populum suum: quod ad Hebræos cap. 10 de extremo iudicio interpretatur Paulus apostolus qui in tribunali Felicis præsidis dicit Iudæos expectare resurrectionem iustorum & iniquorum. item corá rege Agrippa. In spe, inquit, quæ ad patres nostros repromissionis facta est à Deo, sto iudicio subiectus, in quam duodecim tribus nostrę nocte & die deseruientes, sperant deuenire. De qua spe accusor à Iudęis, Rex. Quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat? Spiritalia quoque bona promisit dominus, dicens per Moysen: Si in præceptis meis ambulaueritis, ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abiiciet vos anima mea, ambulabo inter vos, & ero Deus vester. vósque eritis populus meus. Et iterum: Suscitabit te dominus sibi in populum sanctum, sicut iurauit tibi, si custodieris mandata domini Dei tui, quę promissiones nil aliud significãt, quàm id quod dominus in Euangelio dicit: si quis diligit me, sermonem meum serúabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Vnde etiam Paulus huiusmodi promissiones ad

Deut. 32.
Act. 24.
Act. 26.
Leu. 26.
Deut. 28.
Ioan. 14.

2. Cor. 6. filios noui testamenti pertinere ostendit in posteriore epistola ad Corinthios: Vos inquit, estis templum Dei viui, sicut dicit dominus:
Leu. 26. Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt
Esa. 52. mihi populus, propter quod exite de medio illorum, & separamini, dicit dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos.
Hie. 31. & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit dominus omnipotens. Has ergo habentes promissiones, Charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.

*Cur raro spiritalia & æterna promiserit lex Moysi, & plus minus quàm promissis egerit.* CAP. XXXVII.

OBscurè & raro spiritalia bona atque æterna promisit lex Moysi: quia nondũ diuulgata atque propalata gratia Christi, paucissimi spiritales erant. Maxima verò turba caducis bonis inhiabat,
Aug. contra Faust. lib. 4. c. 2. alia bona nec cognoscens nec desiderans. Et ipsi pauci spiritales in omnibus illis terrenis præmiis cælestia significari intelligebant: sicut Apost. de Patriarchis loquens, testatur: Iuxta
Heb 11. fidem, inquiens, defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à lõgè eas aspicientes & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt: significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de qua exie-

runt · habebant vtique tempus reuertendi. nunc autem meliorē apperunt, id est, cœlestem. Sic tēpore illo maximè prædicabatur, vt crassissima quæque peccata, velut idololatriam, adulterium, & similia vitaret vulgus: rariùs autem, vt studerent omnes latentes in corde prauas concupiscētias euellere. Atque hac eadem de causa, quia ferè omnes carnales erant plus minis quàm promissis tunc temporis agebantur. *a* Carnalibus enim terror præcipuè vtilis est temporalisque vindicta infirmos animos terret, vt enutritos sub disciplina erudiat, & à sempiternis atque ineffabilibus suppliciis possit auertere, quia plus timent carnales quod in præsenti Deus vindicat, quàm illud quod futurum minatur. Vnde & lex Moysi cum horrendo populi terrore data est.

*a Aug. contra Adimantum Manich. discipul. c. 17.*

*Exod. 19.*

---

*Tempore gratiæ reuelatæ promissiones & minas rariùs esse temporales.*

CAP. XXXVIII.

AT ex quo Spiritus sanctus cum magna dulcedinis consolatione de cælo missus est: maximè Dei bonitas commendatur, & quia spiritales per omnes gentes multiplicati sunt, valde expressé ac frequenter cælestia promissa inculcantur. Ad quam manifestationem pertinet nomen regni cælorum tam crebrò nominatum à Domino: quod in illis libris veteribus non inuenitur. Testimoniis quidem vitæ æternæ &

*Aug. contra Fau. lib. 19. cap. 31.*

resurrectionis mortuorum abundat vetus scriptura: sed hoc nomẽ, Regnum cælorum, propriè pertinet ad reuelationem noui testamenti
Matt. 3. ab eo primùm nominatum, qui palam demon
Ioan. 1. strauit agnum qui tollit peccata mundi. Ita
Matt. 25. quoque, frequenter & admodum expressè ter-
Luc. 13. ribile illud iudicium, ignis æternus, tenebræ exteriores, fletus & stridor dentium, societas diaboli impiis præparata, hoc tempore gratiæ dicuntur. Cæterùm, quia & hoc tempore reuelatæ gratiæ carnales reperiuntur, imò ipsi
Aug. contra iusti adhuc ex parte tales sunt, Dominus etiam
Admant. c. 18. iisdem ipsis quos vult esse rerum temporalium contemptores, vt in euangelio sibi seruiant promittit earum multiplicationem, in hoc seculo dicens: Nemo est qui reliquerit domum,
Mar. 10. aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrẽ, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantùm nunc in hoc tempore, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus, & in seculo futuro vitam æternã.
2. Cor. 6. Vnde exultat Apostolus, dicens: Quasi nihil
Matt. 6. habentes, & omnia possidentes. Et promittit Christus, quòd cibus & potus, & vestimenta adiicientur iis, qui quæsierint primùm regnum Dei & iustitiam eius. Vnde & Apostolus Paulus veteris scripturæ quasdam tẽporales promissiones ad filios noui testamenti ostendit pertinere. Honora, inquiens, patrem tuum,
Eph. 6. & matrem tuam: quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & sis lon-

gæuus super terram. & iterum: Pietas promissionem habet vitæ quæ nunc est, & futuræ ité: Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus. ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam, ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor, nó timebo quid faciat mihi homo. Et quemadmodum Christus in aduentu suo corporalia beneficia multis dedit: ita & nunc per sanctos suos corporalium sanitatum miracula non desinit operari. Simili modo, propter violatum votum Ananias & Zaphira corporaliter occisi sunt à Domino: & propter indignam sumptionem Eucharistiæ multi erant infirmi & imbecilles, & moriebantur multi. Famem quoque & pestem, bella & similes tribulationes, propter peccata etiam núc immittit Dominus. Sed quia nunc tempus est, vt abnegatione sui, portatione crucis, contemptúq; terrenorum reuertatur quisque ad Deú comparatione promissionú spiritalium ac cælestiú, minatúmque futuri iudicii, raró nunc temporalia promittit & minatur Dominus, præsertim si perpendamus quo modo egerit cum veteri populo.

*Exod. 20. 1. Tot. 4. Heb. 13. Iosua 1. Psal. 117. Au. de serm. dom. in monte lib. 1. ca. 38. & contra Adi. c. 17. Act. 5. 1. Cor. 11.*

*De consiliis Euangelicis.* CAP. XXXIX.

CÆterum non ea tãtum ad quæ omnes obligantur (quæ propriè præcepta appellantur) sed cósilia quoque euangelica sub veteri lege & insinuata sunt & cœpta obseruari: licet apertius tempore legis gratiæ. Consuluit Christus

in Euangelio paupertatem, dicens. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Consuluit perpetuam castitatem Apostolis, dicentibus considerata causa hominis cum vxore. Non expedit nubere, respondēs. Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui seipsos castrauerūt propter regnum cælorum, qui potest capere, capiat. Perfectam obedientiam consuluit, dicens adolescenti: Veni, & sequere me. Consuluit hæc obseruari in communi vita, dum ipse primùm discipulos in vnam familiam congregauit, & postmodum Spiritu sancto misso de cælo primos Christianos in communi viuere docuit, atque voti sui violatores Ananiam & Saphyram terribiliter puniuit. Hæc quidem in populo carnali veteris legis non expresſè proposita sunt, sunt tamen insinuata, dū per Prophetam Iob & Danielem ostenduntur etiam impij sæpè prosperari & ditari, pij verò ac filij Dei in hoc mundo affligi, pauperesque esse. Itē dum idem Propheta docet, non ex abundantia terrenorum quenquam beatum esse, sed ex eo quod dominus Deus eius sit, dum Ecclesiastes omnia terrena vana esse, & vniuersa æquè euenire iusto & impio. omnia quoque contēnenda esse propter Dei timorem & mandatorum eius custodiam. Similiter Hieremias & alij Prophetæ sensere. Itidem & perpetua castitas à Salomone commendatur. Fælix (inquit) est sterilis & incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto

Matth. 19. Act. 4. Act. 5. Iob. 21. Psal. 72. Psal. 143. Vide Aug. c. 18. contra Adimantum. Sap. 3.

in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. & spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima. dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima. bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidit radix sapientiæ. Et Esaias capit. 56. Non dicat eunuchus, Ego lignum aridum. quia hæc dicit dominus eunuchis, qui custodierint sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus nomen sempiternum dabo eis quod non peribit. Nec solùm ista ibi prædicta sunt, sed & opere à quibusdam præstita. Iosue dux populi, Hieremias Propheta, virgines permāserunt, Helias & Helisæus, Ioannesque Baptista pauperes fuere, & filij prophetarum habitantes in agris & solitudinibus facientes sibi tabernacula prope fluenta Iordanis. Accedunt his filij Rechab, qui à vino abstinuerunt, domum non ędificauerunt, sementem non seuerunt, vineas non plantarunt, nec ista habuerunt. Vnde per Hieremiam Domini voce laudantur, & non solum à paupertate, sed etiam ob specialem obedientiam valde prędicantur: in quibus vtique cœnobiticę vitę norma pręcessit. Sed quia carnales ferè erāt, modicum est, quod tēpore veteri de Christi consilijs eluxit. Iephte impleuit votum suum, dicando virginitatem filię suę Deo, sicut

*Vide August. c. 3. contra Adimantum. Hieronymũ quoque in Esaiam qui legit ita textum, Dabitur fidei eius electa gratia.*

*Vide Hieronym. in epist. ad Paulinum.*

*Hier. 35.*

*Iudith. 16 & 1. s.*

Iudith viduitatem suam Deo consecrauit, eodem veteris legis tempore, sicut etiam prophetissa Anna, sic etiam Virgo Maria dicebat se vouisse virginitatem suam Deo tanquã propinquior tempori gratię. Ita enim illud intelligitur: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco, id est, non cognoscere voui. Nisi enim vouisset virginitatem, cogitasset se viro fore cõiungendam, cum actus matrimonii non sit prohibitus illi qui non vouit castitatem.

*Luc.2.*
*Luc.1.*
*Vide Au. c.4. li. de S. virg.*

*Omnia praecepta legis naturae contineri in decalogo.* CAP. XL.

CVm valde multa locutus sit Deus Moysi: duæ tantùm tabulæ dãtur ei lapideæ, quæ dicuntur tabulę testimonii: reposit ęque sunt in arca. Nimirum omnia cætera quæ præcepit Deus ex illis decem præceptis, quæ duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quærantur & benè intelligantur, quomodo hęc ipsa rursus decem præcepta ex duobus illis, dilectione scilicet Dei & proximi, in quibus tota lex pendet, & Prophetæ. Alibi ad tria præcepta, vniuersa reducuntur. Cùm enim dominus in Euangelio dixisset: Nolite facere iustitiam vestram coram hominibus, vt videamini ab eis, ne istum nostrum cursum fine humanæ gloriæ metiremur, non est in expositione iustitiæ ipsius executus, nisi tria ista, ieiunium, eleemosynas, orationes: Ieiunio scilicet, vniuersam corporis castigationem

*Au.q.140. in Exod.*
*Matt.22.*
*Matt.6.*
*Idẽ li. de perfect. iusti. respons. ad ratiocin. 17.*

ſignificans : eleemoſynis , omnem beneuolentiam & beneficentiam, vel dandi, vel ignoſcendi : & oratione inſinuans omnes regulas ſancti deſiderii. Hoc modo Apoſtolus in epiſtola ad Tytum, ſobrietate, iuſtitia, & pietate, omnem noſtram iuſtitiam complexus eſt : ſicut contra Ioannes, vniuerſa peccata tribus generibus comprehendit. Omne, inquiens, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Iuxta quæ tria Dominus Chriſtus ter à Sathana tentatus omnibus ſibi adhęrentibus vicit. Quandoque verò vno pręcepto omnia comprehēduntur : nunc quidem dilectionis Dei, cùm dicitur: Et nunc Iſrael (audi) quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deũ tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum ? nunc verò dilectionis proximi, vt dum dicit Apoſtolus. Omnis lex vno ſermone impletur, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Conſequens eſt enim, vt qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente Deum diligit, diligat & proximum tanquam ſeipſum: Quia hoc iubet ille quem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligit. item diligere proximum, id eſt, omnem hominem tanquam ſeipſum, quis poteſt, niſi Deum diligat, cuius præcepto & dono dilectionem proximi poſſit implere ? Cum ergo vtrunque præceptum ita ſit, vt neutrum ſine altero poſſit teneri, etiam vnum horum commemorare plerunque ſufficit, cùm agi-

*Cap. 2.*
*1. Ioan. 2.*
*Vide Au. tractat 2. in canoni. Ioan. & Ambroſ. ad illud cap. Lu. 3. Conſummata omni tentatione.*
*Deut. 10.*
*Galat. 5.*
*Leui. 19.*
*Aug. in ca. 5. ad Gala. et epiſt. 52. Cum ergo illa, etc.*

tur de operibus iustitiæ, sed opportunius illud de quo quisque facilius conuincitur. De dilectione Dei possunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant. In dilectione autem proximi facilius conuincuntur eam non habere, dum iniquè cum hominibus agunt. Vnde Ioannes dicit: Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non

*1. Ioan. 4.* videt quomodo potest diligere? Mentiebãtur enim quidam dilectionem Dei se habere, & de odio fraterno eam non habere conuincebantur

## *Distinctio decem præceptorum.*

## CAP. XLI.

*Aug. q. 7. super Exod & conc. 1. in Ps. 32 & de decẽ chord. c. 5 & 6. Et epist. 119. cap. 11.*

HÆc decem Dei præcepta, in duabus tabulis lapideis sculpta fuerunt: quæ sic distinguenda sunt, vt in prima tabula tria sint deum concernentia: in secunda verò, septem ad proximum pertinentia: Trium ad Deum pertinentium primum est: Non habebis Deos alienos coram me. non facies tibi sculptile, &c. non adorabis ea neque coles. Secundum, Non assumes nomen Domini tui in vanum. Tertium, de sabbatho. Nonum, Non concupisces vxorem proximi tui, &c. Decimum, Non concupisces domum proximi tui, &c. Et sanè conuenienter admodum in prima tabula tria sunt præcepta de Deo loquentia. quoniam Trinitatem diuinam videntur insinuare diligentius intuentibus. Nam in Deo Patre primò apparet vnitas, quæ primo

*Ioan. 14.* præcepto commẽdatur, dum multitudo deorũ

reijcitur. Filius veritas eſt: de qua in ſecundo præcepto prohibente periurium. Spiritus ſanctus ſanctificatio & requies eſt rationalis creaturæ: cuius meminit tertium præceptum.

### *Quòd hæc decem præcepta ex dilectione iuſtitiæ impleri debeant.* CAP. XLII.

MAndatum Dei ſi fit timore pœnæ, non amore iuſtitiæ, ſeruiliter fit non liberaliter, & ideo nec fit. Non enim fructus eſt bonus, qui de charitatis radice non ſurgit. Qui ergo terrenorum adipiſcendorum amore & amittendorum timore Dei pręcepta ſeruant, non ſeruant, ſed ſibi ſeruare videntur. Neque enim fides in eis per dilectionem operatur, ſed terrena cupiditas metuſque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, proculdubio inuitus facit, ac per hoc in animo non facit. mauult enim omnino non facere, ſi ſecundum ea quæ cupit & metuit, permittatur impunè. Ac per hoc, in ipſa voluntate intus eſt reus, vbi ipſe qui præcipit inſpicit Deus. Ideò hi verè non faciunt: quoniam carnalis cupiditas qua peccatum augetur, cupiditate alia non ſanatur. Similiter, qui ſolo timore gehennæ rectè agit, nondum agit quemadmodum debet. Audit homo, Noli furtum facere, timet gehennas, mallet non eſſe gehennas in quas fures mitterentur. Quando autem incipit amare iuſtitiam, niſi quando mallet furta non eſſe, & ſi gehennæ non eſſent in quas fures mitterentur? Attamen timendo noli facere iniqua, diſces & amare non facere.

*Aug. de ſpi. & lit. ca. 14. & de gratia Chri. li. 1. cap. 36. Idem c. 4 lib. 3. cōtra. 2 epiſto. Pela.*

*Eod. ca. infr.*

*De ſpi. & lit c. 31. & trac. 9. in can. Ioā. & ſerm. 19. de verb. Apoſt. Idem coin. 2. in Pſal. 32.*

*Præcepta debere fieri ex dilectione Dei.*

CAP. XLIII.

Aug.c.25. li. 19.decim.Dei & contra Iulia.lib.4.cap. 3.

NOn solùm autem amore recti officii rectè agere oportet, sed & Deo in omnibus seruire. Nam licet à quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes cùm ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam inflatæ tunc ac superbæ sunt, & ideo non virtutes sed vitia

1.Cor.10.

iudicanda sunt. Vnde Apostolus. Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia

Deut.6.

in gloriam Dei facite, sicut & Moyses ante præcepit, dicens: Audi Israel, Dominus Deus noster dominus vnus est, & diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Et vt cognoscas omni tempore hominem ad hoc obligatum, subiicit: Eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos

Aug.de doc. Christia.li.1. cap 22. Mat.22.

tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ. Hęc ergo regula dilectionis diuinitus constituta est. Diliges, inquit, proximum tuum sicut teipsum. Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, vt omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas à quo habes ea ipsa quæ conferas. Cùm autem ait. To-

to corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui, sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quo totius dilectionis impetus currit. Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, vt etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deũ. Sic eum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se riuulum duci extrà patitur, cuius deriuatione minuatur. Omnia igitur præcepta diuina referuntur ad charitatem, de qua dicit Apostolus: Finis autem præcepti est charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. Omnis itaque præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit vel timore pœnæ vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris: nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur. Charitas quippe ista Dei est & proximi, & vtique in his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Adde euangelium, adde & Apostolos, non enim aliunde vox ista, finis præcepti est charitas, & Deus charitas est. Quæcunque ergo mandat Deus, ex quibus vnum est, Non mœchaberis, & quæcunque non iubentur, sed speciali consilio mouentur, ex quibus vnum est, Bonum est homini mulierem non tangere,

Aug. Ench. 121. 1. Tit. 1. Mat. 22. 1. Tit. 1. 1. Io. 4. Exo. 20. 1. Cor. 7.

tunç rectè fiunt, cùm referũtur ad diligendum Deum & proximum propter Deum,& in hoc seculo & in futuro.

*Quòd non oporteat de Deo expressè semper cogitare.* CAP. XLIIII.

EX ipso præcepto dilectionis tenetur homo quandoque à cogitatione de deo abstinere. vt miro modo ex Dei amore deum non cogitet, Deũque amet dum ab amãdo cessat, sicut ex iudicio rectæ rationis debet homo somnum assumere, & cessare ab vsu rationis:& sic rectè agit, dũ nihil agit. Debemus deum ex omnibus viribus totáque vita diligere. & nihilominus ipsa dilectio. facit, vt etiam ipsas vires atque vitam propter deum perdat martyr. atque hac ratione domino non solum viuit,sed & moritur. Non solum vigilat domino Christianus,sed & dormit ei.

*Hilariter seruanda esse præcepta Dei.* CAP. XLV.

*Gala.5* SIcut nobis præcipitur agere ex dilectione Dei & iustitie, ita & idipsum hilariter operari. Gaudiũ enim,
*Psa.99.* *2.Cor.9.* est fructus sancti Spiritus dilectionẽ concomitans Seruite,ait Propheta,domino in letitia.& Apostolus:Qui miseretur in hilaritate, non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Quicquid facis, cũ hilaritate fac,& tunc bene facis. si autem cum tristitia facis, fit de te : Non facis. Nec aliam
*Au.in li. de* ob causam scriptura commemorat non esse
*cl in.* grauia diuina præcepta , nisi vt anima quæ

illa grauia sentit, intelligat se nondum accepisse vires, quibus talia sint præcepta domini qualia commendantur, quia scilicet atque suauia. nec arbitretur ea se perficere, quando ita facit vt grauia sint. Hilarem enim datorem diligit Deus. Nec tamen cum ea grauia sentit, desperando frangatur, sed ad quærendum, petendum, pulsandumque cogatur. Quis autē nesciat, cùm pręceptum sit generale charitas quia finis præcepti est charitas, & plenitudo legis est charitas, non esse graue quod diligendo fit, non timendo? Laborant autem in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere: sed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam leuem, non solum non prementem onere ponderum, verum etiam subleuantem vice pennarum. Merito igitur iustus dicit in oratione Dominica: Dimitte nobis debita nostra: quando prę languore animæ fastidire incipit spiritales delitias, ita vt eum nulla oratio, nec verbum Dei delectet. Vnde exclamat propheta: Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. De cuiusmodi fastidio scriptum est: Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis. Et clamauerunt ad dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Similiter meritò precatur iustus, quando ei per infirmitatem animę in ipsa beneficentia qua consuluit proximo, vel cum minus sufficitur necessitatibus aliorum,

*ad ratiocinā. 17. & de na. & gratia cap. 69.*

*1. Tim. 1. Rom. 12. 1. Ioan. 4.*

*Matt. 6. Vide Au. in. Psalm. 106.*

*Psa. 118.*

*Psa. 106.*

*Citato loco lib. de perfe. iust.*

vel parum in eis proficitur, surrepit tædium quo fuscetur hilaritas, in qua datorem diligit Deus. Surrepit autem tanto magis, quanto minus quisque, & tanto minus, quanto magis profecerit. Contra istud tædium ac tristitiam mandat Apostolus. Gaudete in domino semper, &, Regnum Dei est, inquit, iustitia & gaudium, & pax in Spiritu sancto. Cum (inquit Prosper) bonum operaris, hilaris operare. nam si quid boni tristis feceris, fit de te magis quàm facis.

Phil. 4.
Rom. 14.
Prosper sen. 112. & Au. 1. Confes. cap. 12.

*Nunc ad verba Decalogi veniamus: Ego sum Dominus Deus tuus.* CAP. XLVI.

Exo. 20.

NOn est hoc vnum decem preceptorũ, particulares actiones præscribentiũ, sed est precipuum primumque preceptum omnia decem complectens, quo mandat Deus, vt habeat eum homo pro domino Deo suo, hoc est, credat ei, timeat eum, speret in eum, diligat eum, eique obediat tanquam supremo domino & summo bono suo. Quod preceptum maximè inculcatur in Deuteronomio, dum verbis plurimis frequentissimè homini dicitur vt diligat Deum, eique seruiat. & Hieremias. illud omnibus preceptis præponens. Non sum locutus, inquit, cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum & victimarum. sed hoc verbum precepi eis, dicens. Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via quã mandaui vobis, vt bene sit vo-

Cap. 7.

bis. Est autem generale hoc mandatum ratio & causa omnium decem sequentium, repetiturque statim tanquam ratio primi mandati ex decem: Non sint, inquit, tibi alii Dii: quia ego sum dominus Deus tuus. Item in Leuitico ferè cuilibet pręcepto adiicitur illud tanquam ratio, dum posito præcepto dicitur toties: Ego dominus, siue, Ego sum dominus Deus tuus, siue, Ego dominus, qui sanctifico vos. Quasi diceret, faciendo hoc vel illud seruietis mihi domino Deo sanctificatori vestro, docens vtique omnia ex sui dilectione esse facienda. Vnde & Apostolus Moysen imitatus, dum de bene agentibus loquitur. Qui viuunt, inquit, iā non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. & rursus: Qui sapit diem, domino sapit. & qui manducat, domino manducat, gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, domino non manducat, & gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur. Siue enim viuimus, domino viuimus, siue morimur, domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur, domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur. Vt autem ostenderet Apostolus, quid esset, domino aliquid facere, adiecit. Gratias enim agit Deo. Domino ergo áliquid facere, est in eius laudem facere. Tunc enim rectè, tunc iustè, tunc piè fit opus bonum, cùm in eius laudem fit, cuius gratia donatur vt fiat.

Cap.2. 21.22.

2.Cor.5. Rom.14.

Au.ca.29. epist.120. Rom.14.

& tam magna fecit Deus, vt eius potentia & prouidentia atque misericordia erga Israelem, etiam carnalibus vtcunque innotesceret. At nunc, ab incomparabiliter excellentiori, & ab homine nunquam comprehenso beneficio, in eductione Israel aliquousque obumbrato, describitur nobis Deus noster. In hoc, inquit Apostolus, Christus mortuus est, & resurrexit: vt viuorum & mortuorum dominetur, ita vt iam meritò dicamus: Dominus Deus noster ille est, qui pro nobis liberandis à peccato & æterna morte, & in vitam æternam traducendis mortuus est, & resurrexit. Hanc rem ita prædixit Hieremias. Ecce dies veniunt, dicit dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudiciũ & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster, hoc est, deus iustificator siue iustitia nostra. Sed quia Christi passionem atque resurrectionem etiam sibi arrogare conantur, qui ad Christum non pertinent, sensibilius beneficiũ ex Christi passione & resurrectione ortum, nos habituros affirmat Hieremias, per quod Deum nostrum describamus. Propter hoc, inquit, ecce dies venient, dicit dominus, & non dicent vltra, Viuit dominus qui eduxit filios Israel de terra Ægypti, sed, Viuit dominus qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, & de cunctis terris ad quas eieceram eos illuc, & habitabunt in terra sua. quasi

*Rom. 14.*

*Hier. 23.*

diceret, Non amplius deſcribent Deum noſtrum ab illo beneficio quod præſtitit ſoli carnali Iſrael, quando eduxit eum de terra Ægypti: ſed deſcribent eum ab illo beneficio, quod toti poſteritati domus Iſrael conferet. Quid eſt autem educere, & adducere ſemen domus Iſrael de terra Aquilonis, & de cunctis terris ad quas eiecti erant, niſi non ſolùm gentem
*Ioan.11.* Iudaicam, ſed & alios filios Dei oueſque Chriſti quę diſperſę erant congregare in vnum ouile Eccleſiæ? Quid eſt, niſi per diuerſitatem linguarum cunctarum omnes gentes in vnitatem fidei congregare? Nominatur verò deus ab hac omnium gentium congregatione, dum vocatur Deus catholicæ Eccleſiæ, quod nomen etiam Eſaias prædixit, quando Eccleſiam, con-
*Eſa.54.* ſolans eam, ſic eſt allocutus: Dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius, & redemptor tuus ſanctus Iſrael, Deus omnis
*Pſ.46.* terræ vocabitur, & Propheta Dauid: Pſallite Deo noſtro, pſallite: pſallite regi noſtro, pſallite, quoniam rex omnis terræ Deus: pſallite ſapienter. Regnauit Deus ſuper omnes gentes: Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam. Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham. Ergo iuxta Prophetarum vaticinia, pro iſto quod dixit Dominus Iudæis. Ego ſum
*Exo.20.* dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis, nunc in auribus noſtris ſonare debet. Ego ſum dominus Deus tuus, qui vt te liberarē à peccato & morte æterna, ducęremque ad vitam æternam, pro te

mortuus sum, & resurrexi, & per Spiritum meum ex omnibus gentibus catholicam Ecclesiam in vnam fidem & pietatem congregaui.

*De infidelibus.* CAP. XLVIII.

CVum igitur hoc præcepto, vt Deo credamus tanquam primæ & summę veritati mandetur, sicut scriptum est, Qui timetis dominum, credite illi: patet, rebelles ei esse omnes atheos, qui audent dicere in corde suo: Non est Deus, aut, Non est noster Deus, hoc est, prouidentiam humanarū rerum non habet. Item, omnes apostatas, à Christianismo deficientes. Iudæos omnes, atque Turcas, Christi derisores, Item, omnes hęreticos, qui Christo per catholicam Ecclesiam loquenti non credunt, sed pertinaciter falsis dogmatibus assentiuntur, aut de veris dubitare pertinaciter eligunt. Secundùm Augustinū, Enchiridii cap. 20. Academici putant nihil pro certo suscipiendum, sed omnem assensum suspendendum esse. Sicut igitur hi sectam condiderunt, ita & qui de vno articulo pertinaciter iudicium suspendit, sectarius est, vti & ille professor hæreseos est, qui dicit se non credere talem articulum, etiā si non dicat eum falsum. Thomas quoque ponit hanc hæresis definitionem, quòd renitatur fidei apertè susceptæ. Et sanè pertinaciter dubitans, videtur errare, quòd incertum virtute iudicet quod certum est. Ambrosius in Concilio Aquileiensi. Arrium qui non damnat (ait) similis illius est, & hęreticus verè dicendus. Sanè in Synodo Ephe-

*Eccli. 2.*
*Psalm. 13.*

ſina prima, canon.1.2.11. & 12. & in definit. 7. Sinodi anathematizantur non confitentes fidem, Titulo de hære.c.ad abolendam: dicuntur hæretici, qui aliter ſentiunt de Euchariſtia quàm Romana Eccleſia. Sed qui dubitat, ſentit non eſſe credendum, iudiciumque ſuſpendendum, Eccleſia Romana ſecus iudicante: ſicut Celeſtius iudicabat quæſtionis rem eſſe, non hæreſis, traducem peccati: teſte Auguſt.ca.2.& 3. libri de peccato originali. de quo idem Auguſtinus dicit, quòd liberior fuit in errore, quia ſe dubitare profeſſus eſt. Hi omnes euerſi ſunt à fundamento, & radice fidei penitus exciſi. Hi ſunt rami oliuæ fidelium patriarcharum nunquam inſiti, aut penitus effracti. Sed & hi contra hoc præceptum grauiſſimè impingunt, qui hæreticis credunt, aut propter ſerpentinum ſermonem nutant in dogmate fidei, quãquam citra pertinaciam. Ouium enim Chriſti eſt alienum non audire, ſed fugere ab eo. Attendite, ait Chriſtus, à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. &, Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Rurſum nec illi ſatis fideles ſunt, qui (vt loquitur Euangelium) ita dediti ſunt villis & negotiationibus, iugis boum probandis & rei vxoriæ ſimilibuſque ſpinis ſeculi, vt dogmata fidei, ſatis tamen apertè, tum feſtorum celebratione, tum concionibus ſanctis, tum ſacramentorum celebratione in Eccleſia promulgata, neſciant: aut ſi ſciant, tamen vel nunquam vel rariſſimè viuaciter con-

*Aug.ca. vlt. li. de vnit. Eccleſ. & q 11.ſ.Matth.*

*Ioan.10.*

*Mat.7.*

*Mat.10.*

*Luc.14.*

citer considerant. De huiusmodi conqueritur *Prou.* 1
æterna sapientia: Vocaui, inquiens, & renui-
stis: extendi manus meas, & non fuit qui aspice- *Esa.* 50.
ret. Veni, & non erat vir. Vocaui, & non erat *Psa.* 77.
qui audiret. Et Propheta Dauid: Generatio, inquit, quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus eius. Hi & si præcones Dei contumelijs non afficiant, facillimè tamen circunferuntur omni vento doctrinę in hęre- *Ephes.* 4.
ticorum astutia.

*De malè securis.* CAP. XLIX.

PRæcipitur etiam hoc præcepto vt Deum timeamus, sicut scriptum est, Si *Mal.* 1.
ego dominus, vbi est timor meus? dicit dominus exercituum. Peccant ergo in illud, quicunque vel quia citò non profertur *Eccle.* 8.
in malos sententia vel aliqua alia ex causa, absque timore vllo mala perpetrāt, & spreta Dei seruitute confidunt: se etiam permanentes in sceleribus misericordiam consecuturos, aut si vitam quandoque in melius mutare proponant, id nihilominus ita de die in diem differunt, atque si forent certi de dono pœnitentiæ semel accipiendo. Rursum illi contra hoc prę-ceptum peccant, qui & si crimina sua derelinquant, Deum tamen placare non satagunt per eleemosynas, ieiunia, orationes, ecclesiasticaque Sacramenta, vt veniā consequantur. Contra quos inquit Apostolus: Existimas autem *Rom.* 2.
hoc, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longa-

nimitatis contemnis? ignoras quoniã benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius. & Propheta Dauid: Existimasti iniquè quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum: nequando rapiat, & non sit qui eripiat. Contra hos & Sapiens: Ne, inquit, sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui: & ne dixeris, Quomodo potui? aut quis me subijciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit, Ne dixeris, Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum. Et ne dicas, Miseratio domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Non tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Rursum nec illi huic præcepto obediunt, qui ita immersi sunt terrenis cupiditatibus, vt terribile Dei iudicium, seueramque iustitiam, imminentem mortem, inexplicabiles gehennæ pœnas non cogitent. De qualibus dicitur: Non est timor Dei ante oculos eorum. & rursum. Heu viuunt homines tanquã mors nulla sequatur: Et velut infernus fabula vana

*Psalmo 49.*

*Ecclesiast. 5.*

*Psal. 13.*

foret. De omnibus iſtis malè ſecuris dicit Eccleſiaſtes: Sunt impij qui ita ſecuri ſunt quaſi iuſtorum facta habeant. Hos (vt habet Apoſtolus) dies domini ſicut fur in nocte comprehendet: & cum dixerint, Pax & ſecuritas: tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugient. *Eccleſ.8.* *1.Theſſal.5.*

*De deſperantibus.* CAP. L.

IVbemur hoc præcepto etiam ſperare in Deum, ſicut ſcriptum eſt: Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra: Deus adiutor noſter in æternum. Sperare, inquam, iubemur & veniam commiſſorum ſcelerum, & auxilium ad benè agendum deinceps, vitamque æternam, & neceſſaria huius vitæ ſubſidia. Ideoque huic præcepto aduerſantur omnes qui magnitudine ſcelerũ ſuorum territi veniam à Deo obtinere deſperant: ita ſe gerẽtes cum fratricida Cain, & Dei traditore Iuda, tanquam maior eſſet iniquitas eorum immenſa Dei bonitate: quaſi mors vnigeniti filij Dei non ſufficeret ad exoluendum quæ ipſi rapuerunt. Inſuper & illi peccant in hoc præceptum, qui conſiderata vehèmentia prauæ cupiditatis ſuæ, & ad bene agendum imbecillitate, ſuperare eam per Dei gratiam deſperant. de qualibus dicit Apoſtolus: Qui deſperantes tradiderunt ſemetipſos impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis. quales dicunt apud Hieremiam, eos admonentem ex perſona domini, vt reuertatur vnuſquiſque *Pſal.61.* *Gen.4.* *Mat.27.* *Iſa 68.* *Eph.4.*

à via sua mala, & dirigat vias suas, & studia
Hie.18. sua: Desperauimus, post cogitationes enim
nostras ibimus, & vnusquisque prauitatem
cordis sui mali faciemus. Illi quoque, qui expensa magnitudine cælestis gloriæ, & vilitate humanæ conditionis, tanti animi non sunt, vt ad æternam gloriam audeant aspirare, quia videlicet omnipotentiam & immensam bonitatem Dei non satis considerant, inter desperantes reputandi sunt. contra quos Sapiens loqui-
Eccl.16. tur: Non dicas, A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar. quæ est enim anima mea in tam im-
Mat.10. mensa creatura? His dicendum est: Nónne duo passeres asse væneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autẽ & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis
Mat.23. vos. Nec illi etiam satis bonæ spei sunt, qui culicem excolantes (hoc est, minima peccata magnificientes) ita cum Deo agere volunt, atque si pater noster non esset, sed rigidus aliquis tyrannus, & tanquam sophista quispiam, vocularum per insidias captator, non animum nostrum, sed calcaneum obseruaret. Quibus hoc dicendum venit: Quomodo miseretur pater
Psa.102. filiorum misertus est dominus timentibus se. quoniam ipse cognouit figmentum nostrum,
Psa.85. &, Tu domine suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.
Sæpè verò non ex spei defectu, sed ex imperitia hoc malum oritur, & tunc eruditione

Christiana, quandoque verò ex mala corporis habitudine, & tunc Hypocratis fomentis sanádum est. Illi verò, qui non attendentes quod Deus passeres & coruos pascit, herbam agri pulcherrimo colore ornat, nec expendentes quòd Deo cura sit de omnibus, quibus corpus & animam dedit, longè maiora vtique quàm sit cibus & potus & vestimenta, tam soliciti sunt de his subsidiis acquirendis, vt & in rerum copia sibi defutura metuant hæc necessaria, & magna solicitudine de futuris in longum sibi prospicere satagant: etiam non satis in salutare Dei sperant: quum promissum nobis sit, quòd primùm quęrentibus regnum Dei & iustitiam eius, omnia necessaria huius vitæ adiicientur. Qui verò ita cupiditatibus carnalibus immersi sunt, vt promissiones Dei quibus spes erigenda est, raro aut nunquam viuaciter expendant, in Deum sperare non assuescunt: ideoque dum in pericula extrema deuenerint facillimè de Dei bonitate desperant. At qui ad orandum pigriores sunt, spemque abiiciunt, quòd in longum differri videatur id quod obtinere sperant: etiam huic præcepto de sperando in Deo non satisfaciunt. Contra quos dicitur ab Apostolo, quòd Abraham longanimiter ferens, adeptus est repromissionem.

*Mar.6.*

*Mat.6.*

*Hebr.6.*

---

*De fidentibus in carne.*

CAP. II.

*Hie.17.* SPem ſuam à domino auferunt illi, qui ponẽtes carnem brachium ſuũ, confidunt ſe veniam ſcelerum ſuorum, in quibus permanere volunt, habituros, aut ſaltem conuerſionem à Deo, quando ſcilicet eis amplius peccare non libebit, obtenturos, propterea quòd rectam habeãt fidẽ, aut quòd ſacramenta Eccleſiæ perceperint, aut munera aliqua Deo obtulerint, aut eleemoſinas proximis dederint, aut ieiunia aliqua frequentent, aut ſanctos quoſdam colant, aut quia ex piis parentibus nati ſunt, vel denique quia iuxta ſeculum nobiles & conſpicui ſunt. Contra tales loquitur ſcriptura: *Iaco.2.* Quid prodeſt fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſaluare eum? & iterum: *Hiere.11.* Quid eſt quòd dilectus meus in domo mea facit ſcelera multa? nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? & rurſum: *Eccl.7.* Ne dicas, In multitudine munerum meorum reſpiciet Deus, & offerente me Deo altiſſimo munera mea ſuſcipiet. &, Qui contemnit legem, oratio eius erit execrabilis. &, Miſerere animæ tuæ placens Deo. & in perſona huiuſmodi dicit Eſaias: *Pro.28.* *Eccleſia.30.* *Eſa.58.* Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti: humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? Quibus reſpondet dominus: Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. *Ibid.* Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare ſicut vſque ad hãc

diem. Similiter per Hieremiam loquitur dominus. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum domini, templum domini, templum domini est. & Ioannes Baptista: Ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham. & Sapiens: Potentes potenter tormenta patientur. non enim subtrahet personã cuiusquam Deus, qui est omnium dominator, nec verebitur magnitudinem cuiusquam. *Hieremia 7.* *Mat. 3.* *Sapien. 6.*

Maximè vero illi carnem ponunt brachium suum, qui per proprias vires liberi arbitrij conantur implere legem Dei sine singulari Dei auxilio: aut aliquid, propter quod à Deo suscipiantur & adiuuentur, solo suo arbitrio se præstare posse confidunt. Contra quales, inquit Hieremias: Scio domine quia non est hominis via eius: nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos. & Psalmista: Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam: Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Et horum superbam præsumptionem sæpe flagellat Apostolus, dum ostendit eos qui quærunt suam statuere iustitiam, hoc est, per solas suas vires partam, iustitiæ Dei, siue quam dat Deus non esse subiectos aut participes: quia videlicet in carne fiduciam habent, hoc est, in homine, siue in seipsis, & non in Christo Iesu. Qui verò magis ex incerto diuitiarũ suarum vel industria sua, aut multitudine amicorum, quam ex Dei prouidentia sibi adfutura sperãt subsidia huius vitæ: confidunt in baculo arun- *Cap. 10.* *Psal. 126.* *Rom. 10.* *Esa. 35.*

dineo;ſuper quem ſi incubuerit homo, perforabit manum eius. Sicut & illi principes, qui victoriam magis ex multitudine equitum, magnitudine exercitus, & induſtria ſua, quàm ex dei directione ſperant. His connumerandi ſunt etiam illi literarum ſtudioſi, qui laborem & ingenium ſuum ad ſcientiam quampiam comparandam pluris æſtimant, quàm Dei gubernationem. Contra hos ita ſcriptura loquitur:
1.Tit.6. Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo qui pręſtat nobis omnia abundè ad fruendum. & iterum: Si exieris ad bel-
Deut.20. lum contra hoſtes tuos, & videris æquitatus & currus, & maiorem quàm tu habeas, aduerſarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia dominus Deus tuus tecum eſt. & rur-
Eſa.31. ſus: Væ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis quia multæ ſunt, & ſuper equitibus quia prævalidi nimis: & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael, & dominum non requiſierunt. Omnes autem iſti in carne confidentes, maledicti ſunt, dicente Propheta: Hæc
Hie.31. dicit dominus, Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à domino recedit cor eius. At confidere in domino, & fiduciam habere, quòd in die iudicij nos non condemnabit, propterea quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mūdo, hoc eſt, quia nos diligimus inimicos: Item
1.Ioan.4. ſperare veniam peccatorū ex Chriſti paſſione

quia pœnitẽtes sumus, atque credẽtes in Christum, sperare auxilium ad bene viuendum, & necessaria huius vitæ, quia in nomine Christi petimus, & vt alij nobiscum petant satagimus: spẽ in domino Deo firmat atque corroborat. sicut ait Apostolus, Patientia probationem operatur, probatio verò spem. tantùm abest, vt spem nostram à domino transferat ad carnem. *Rom. 5.*

*De non amantibus Deum, sed odientibus.*

CAP. LII.

OMnes quidem qui legem Dei violant Deum non diligũt, sed tamen peculiarius rebelles sunt præcepto charitatis illi, qui se vel aliquam aliã creaturam æquè aut plusquam Deum diligũt, quem iubemur & super omnia diligere, & omnibus præponere. De qualibus Christus, inquit: Qui amat patrem aut matrem plusquã me, non est me dignus. & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Incomparabile autem scelus est odium Dei: dum homo peccatis penitus immersus, & in iis obstinatus, eousque progreditur, vt quia considerat Deo displicere peccata, ac ab eo puniri, quæ tamen ipse amat, cuperet Deum non esse, aut iniquum esse. O miseros homines: qui cùm volunt esse mali, nolunt esse veritatem qua damnantur mali, nolunt enim eam esse quod est, cùm ipsi debeant nullo modo esse quod sunt, vt ipsa manente mutentur, ne ipsa iudicante damnentur. *Mat. 10.* *August tract. 90. in Ioan. tractãs hoc, Qui me odit, odit & patrem meũ.*

Supra modum quoque horribile peccatum eſt,cum quis tanta nauſea afficitur in ſpiritu,vt de ipſo Deo triſtetur, & tanquam ſibi malum apprehendat ipſum ſummum bonum, aut ita affectus eſt peccato ſuo,vt doleat ſucceſſum ac proſperitatem eis præberi,qui Dei gloriam cupiunt dilatare, gaudeatque vehementer ſi illi ſua voluntate fruſtrentur.

*De rebellantibus Deo, & contemnentibus eum.*

CAP. LIII.

DEO obedientia debetur. Violant igitur hoc ſummum pręceptum,qui ſtatuunt Deo non ſubiici,ſiue quia contēnunt ipſum pręcipientem,ſiue quia contemnunt eius præceptum, ſicut ſcriptum

*Pro.18.* eſt: Impius cùm in profundum venerit, contemnit. De eiuſmodi peccato dicit ſcriptura:

*1.Reg.15.* Quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ,nolle acquieſcere. Hu-

*Hier.2.* iuſmodi homines dicunt Deo: Deſperaui, nequaquam faciam: adamaui quippe alienos, & poſt eos ambulabo. Hi dicunt Deo, Recede

*Iob.22.* à nobis, & quaſi nihil poſſit facere Omnipotens, æſtimant eum. Rurſum: Recede à nobis,

*Iob.21.* & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt Omnipotens,vt ſeruiamus ei?& quid nobis prodeſt ſi orauerimus illum? Hinc dominus rebellibus Iſraelitis ita loquitur: A ſeculo con-

*Hie.2.* fregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti, Non ſeruiam. Huiuſmodi dicunt præconibus Dei: Sermonem quem loquimini ad

*Hie.44.* nos in nomine domini, non audiemus ex vo-

bis, sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro. De qualibus inquit & Esaias: Populus ad iracundiam prouocans est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, Nolite videre, & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel. Porrò, sicut Dei præcepta contemnuntur, ita & eius promissiones atque misericordia grauissimo scelere spernuntur ab eis, qui in tantam venere superbiam, vt veniam atque misericordiam à Deo petere contemnant. Ca.30.

*Non habebis Deos alienos coram me.* Exo.20.

## Cap. LIIII.

O Primo ordine dominus, particulatim nodum præscribens quo ad summi præcepti iam dicti impletionem veniamus: primo prohibet grauissimam illam iniuriam sibi irrogari, qua aliquem alium præter ipsum pro Deo nostro habeamus, non quasi sit aliquis alius Deus, sed quia hoc peruersitas hominum confinxit. Quod verò adiicit: Coram me, magnam habet emphasim. Longe enim grauius est aliquem alteri palàm, præsentem præsenti inferre iniuriam, quàm occultè & absentem lædere. At qui Dei honorem ad alium Deum transfert, coram ac præsente Deo id agit. Vbique enim præsens omnia intuetur. Quamobrem idololatras Iudęos increpans: Iuxta me, inquit, discooperuisti, & Esa.57.

ſuſcepiſti adulterum, dilataſti cubile tuum: ſumpta videlicet metaphora à muliere adultera, quæ præſente marito in eodem lecto adulterum admittit, longè grauius maritum lædens, quàm ſi hoc eo abſente faceret.

*De ſuperſtitione diuinationum.*

CAP. LV.

NOn ſolum autem colitur alius Deus, ſi alteri præter Deum verum offeratur ſacrificium, ludus, ſpectaculum, vel quiddam ſimile tanquam ſacrificiũ quoddam exhibeatur, aut manifeſta profeſſione velut Deus laudetur (quomodo Gentiles, & hodie pauciſſimæ quædam gentes coluerunt & colunt deos ſuos) ſed etiam per vſum atque requiſitionem diuinatoriæ artis, qua per conſultationes atque pacta quædam, cum dæmonibus placita atque fœderata, de futuris aliiſque occultis inquiritur & diuinatur. vbi manifeſtè tribuitur creaturæ, quod Deo proprium eſt. Hoc enim proprium diuinitatis eſt, noſſe quę futura ſunt, & ea quæ cauſas certas in natura non habent, ſed ex hominum arbitrio, vel incerta aliqua alia cauſa pendent. Vnde dominus per Eſaiam alloquens dæmones, Annuntiate, inquit, quę ventura ſunt in futurũ, & ſciemus quia dij eſtis vos. Vnde dominus Deus, ne falleremur, etiã expreſſè prohibuit diuinationes earumque requiſitiones Quando, inquit, ingreſſus fueris terram quam dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium. nec in-

*Au. li. 2. de doct. Christ. cap. 20.*

*Eccleſiaſt. 8*

*Eſa. 41.*

*Deut. 18.*

ueniatur in te qui lustret filium, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria. nec sit maleficus nec incantantor, neque qui pythones consulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. omnia enim hæc abominatur dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Vbi varia genera diuinationũ recensens scriptura, demõstrat non solùm condemnandam esse eam diuinationem, vbi expressè dæmon inuocatur, vt fit in necromantia & consultatione pithônis: sed etiam eam, vbi tacitè dũtaxat aduocatur: vt fit in auguriis, vbi ex garritu vel volatu auium prædicũtur futura. Tũc autem tacitè inuocatur: dæmon, quando quis ex iis rebus futura tentat prænoscere, vnde nequeunt prænosci, æstimans secretam quandam vim, vnde diuinetur, rebus illis inesse vel adesse. Cùm enim illa secreta virtus non sit nisi dæmon ingerens se vanis & curiosis hominum indagationibus, &, vt mentes eorum vanitati implicentur ac in ea confidant, interdum faciens aliquid certo modo euenire, dæmonem inuocat tacitè, quisquis per huiusmodi vanam obseruationem aliquid tentat prescire. Tunc est superstitio, cum quis adhibet aliquid, non existimans id valere vi sua naturali, cui aderit alia virtus quá verus Deus. Vnde (inquit August.) adhibentur non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes occultas vel manifestas. Præsumere rem valere vt signum, est

*Anathema dicitur ei qui dicit astrologiæ vel Mathesi credendum.*

*a.1. Toletano in fine symboli.*

lingua qua quis vtitur & virtute paciſcitur cum dæmone.

*De Genethliacorum diuinatione.*

CAP. LVI.

*Vide Chryſo. in homil. in epiſt. ad Col. Cap. 18.*

EX iis autem diuinationibus, quas Deuteronomij ſcriptura expreſſit, reliquas ſimiles intelligere conuenit. Vnde & ij qui ex aſtrorum inſpectione euenta atque opera hominum conantur prędicere, aut huiuſcemodi conſulentes, à domino condemnantur. ſicut apud Hieremiam ait. Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis cęli nolite metuere, quę timent gentes, quia leges populorum vanę ſunt. Creauit Deus aſtra cæli, vt lucerent ſuper terram, in ſigna pluuiarum ac tempeſtatũ, in temporum & annorum diſcretionem, &, vt Moyſes ait, in miniſterium cunctis gentibus quę ſub cælo ſunt, non vtique in dominium. At diabolus, ſicut gentibus idololatriam perſuaſit, ita varios modos alios, quibus ipſe coleretur, excogitauit, & vt homines culpam propriam non agnoſcerent, libereque peccarent, finxit ex aſtris hominum peccata oriri, hoc modo Deum, authorem aſtrorum, faciens authorem peccati. ſicut & nunc, quaſi mitius agẽs, ad excuſandum hominum malitiam perſuadet quibuſdam, prauas concupiſcentias ſiue inclinationes eſſe ex aſtris, quaſi videlicet Deus per aſtra nos ad malum tentaret & incitaret. Horum aſtrologorum vanitati impliciti ſunt, non ſolum qui natis filiis quid euenturũ ſit conſulunt, a ſed & ii, qui certis diebus, ſiue

*Hie. 10.*

*Gene. 1.*

*Deut. 4.*

*Anathema iis qui hoc dicunt, dicitur in 1. cõ. Brac. c. 9. & augurriis ſeruiens, ab eccleſiæ cõuentu ſeparatur cõcilii Charta. 4. ca. 89.*

*Vide Baſi. hõ 6. hexameri, & Amb. ca. 4 lib. 4. hex. m. & Au. de ci. u. Dei lib. 5.*

mensibus, siue annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas hominum doctrinas fausta vel infausta existiment tempora. *b* Hi dicunt: Hodie non proficiscar, quia posterus dies est, siue quia postridie calendas est, aut quia Luna sic fertur. rursus: Proficiscar vt prospera cedant, quia ita se habet positio sydérum. Non agam hoc mense commerciũ, quia illa stella mihi agit mensem. vel, Agam, quia suscepit mensem. Non plantem hoc anno vineam, quia bissextus est. Hodie quidquam mali accidet, quia festum est Mariæ Magdalenæ, vel Innocentum. Vocant autem dies infaustos Ægyptiacos. *c* Non autem quisquam sapiens arbitretur obseruatores temporum reprehendendos, qui dicunt. Non proficiscar hodie, quia tempestas exorta est, aut, Non nauigem, quia adhuc sunt hybernę reliquię: aut, Tempus seminandi est, quia imbribus autumnalibus terra satiata est: vel si qui fortè alij naturales effectus circa motum aeris & humoris ad variandas temporum qualitates in sydérum ordinatissima conuersione notati sunt, de quibus dictum est cum conderentur. Et sint in signis & temporibus & diebus & in annis.

*c.1 & lit.2. de Genesi ad lit. c.17. & ad illud Psal.31 Confitebor aduersum me. &c. Et lib.4. confe.ca.3.*
*a Au. enchirid.79.*
*b Idem epi. 119. ca.7.*
*c Au. eodem c. eius. episto.*
*Gen.1.*

*Cur interdum vera prædicant diuinatores.*

CAP. LVII.

Occulto quodam iudicio diuino, cupidi malarum rerum homines traduntur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum suarum, illudentibus eos atque decipientibus præuarica-

*Au. li.2. de doctr. Christia. cap.23.*

*Opiniones Genethliacorum quibusdam rerum signis humana præsumptione institutis ad illa quasi quædam cum dæmonibus pacta & conuenta referenda sunt.*

*Deut.13.*
*1.Reg.18.*
*Act.16.*
*1.Cor.10.*

toribus angelis: quibus ista pars mundi infima, secundum pulcherrimum ordinem rerũ, diuinæ prouidentiæ lege subiecta est. Quibus illusionibus & deceptionibus euenit, vt istis superstitiosis & perniciosis diuinationum generibus multa præterita & futura dicantur: nec aliter accidant quàm dicuntur, multaque obseruantibus secundum obseruationes suas eueniant, quibus implicati curiosiores fiant, & sese magis magisque inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ salubriter diuina scriptura non tacuit, neque ab ea sic deterruit animam, vt propterea talia solum negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur à professoribus eorum. sed etiam si dixerint vobis, inquit, & ita euenerit, ne credatis eis. Non enim quia imago Samuelis mortui Sauli regi vera prænunciauit, propterea talia sacrilegia, quibus imago illa præsentata est, minus execrãda sunt: aut, quia in Actibus Apostolorum ventriloqua fœmina verũ testimoniũ perhibuit Apostolis domini, ideo Paulus Apostolus pepercit illi spiritui, ac non potius fœminam illius dæmonii correptione atque exclusione mundauit. Omnes igitur artes huiusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudiendæ & fugiendæ Chistiano: non quod idolum sit aliquid, vt ait Apostolus, sed quia quę immolant, dæmoniis immolant,

molant & non Deo: nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Quod autem de idolis, & de immolationibus, quæ honori eorum exhibētur, dixit Apostolus, hoc de omnibus imaginariis signis sentiendum est, quæ vel ad cultum idolorum, vel ad creaturam eiusque partes, tanquam Deum colendas trahunt, vel ad remediorum aliarumque obseruationum curam pertinent: quæ non sunt diuinitus ad dilectionē dei & proximi, tanquam publicè constituta, sed per priuatas appetitiones rerum temporalium, corda dissipant miserorum. In omnibus ergo istis doctrinis societas dæmonū formidanda atque vitanda est, qui nihil cum principe suo diabolo, nisi reditum nostrum claudere atque obserare conantur. Sicut autem de stellis quas condidit & ordinauit Deus, humanæ & deceptoriæ coniecturæ ab hominibus institutæ sunt: sic etiam de quibusdam nascentibus, vel quoquo modo diuinæ prouidentiæ administratione existētibus rebus, multi multa humanis suspicionibus, quasi regulariter coniecta, literis mandauerunt, si fortè insolitè acciderint: velut si mula pariat, aut fulmine aliquid percutiatur. Quæ omnia tantum valent, quantum præsumptione animorū, quasi communi quadam lingua, cum dæmonibus fœderata sunt. Quæ tamen omnia plena sunt pestiferæ curiositatis, cruciantis solicitudinis, mortiferæ seruitutis. Non enim quia valebāt, animaduersa sunt, sed animaduertendo atque signando factum est, vt valerent. & id

*Deo propriū est, pro placito operari ad hibita re ex natura non valente hoc dæmoni tribuitur.*

*Exo. 24. c. eiusdem lib.*

*Aug. 21. de ciuit. Dei ca. 6. docet, dæmones dupli-*

*citer docere quomodò signis alici possint ab hominibus, Vel apparendo vel inspirando quibusdam, hic secundi fit mentio.*

diuersis diuersa proueniunt, secundum cogitationes & præsumptiones suas. Illi enim spiritus qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irretitum per suspitiones & consentiones eius viderint. Sicut literæ ideò valent ad significationem, quia homines in eas consenserunt. Sic etiam illa signa, quibus perniciosa dæmonum societas comparatur, pro cuiusque obseruationibus valent. Quod manifestissimè ostendit ritus augurum, qui & antequam obseruent, & posteaquam obseruata signa tenuerint, id agunt, ne videant volatus, aut audiant voces auium: quia nulla ista signa sunt, nisi consensus obseruantis accedat.

*Non sine superstitione consuli dæmones, etiam in his quæ naturaliter norunt.* CAP. LVIII.

EX his satis patet, quòd & si multa hominibus occulta nouerint dæmones per naturam (verbi gratia, quis rem aliquam furatus sit, vbi ea reposita sit, & similia) nihilominus etiam talia inquirere ab eis, superstitiosus cultus sit (quanquam non sit proprium diuinitatis talia nosse) eo quòd diabolus nunquam cum hominibus cõmunicet, seu societatem habeat: nisi vt eos à vero Deo abducat, & se tandem pro Deo colendum ingerat. Et omnis societas inchoata, naturaliter deducit ad perfectam. vbi ergo perfecta necessario pessima est, liquet & imperfectam esse malam: vt initium credendi seductori. Quisquis igitur hac diaboli pessima voluntate non obstante audet cum eo communicare, petitque

ab eo aliquid: intelligitur petere aliquid sibi eo modo præstari, quo tantum paratus est ille hoc cōmunicare, si videlicet recedatur à vero deo (qui cuncta & potest & paratus est meliùs præstare) & adhæreatur hosti eius capitali. sicut ait Helias ad Ochoziam: Misisti ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel à quo posses interrogare sermonem. 4. Reg. 1.

*De his quæ adhibentur à superstitiosis ad hominem sanandum vel aliquid aliud operandum* CAP. LIX.

AD pacta cum dæmonibus inita pertinent etiam omnes ligaturæ, atque remedia quæ medicorum quoque disciplina condemnat: siue in precationibus, siue in quibusdā notis, quas characteres vocant, siue in quibusdā rebus suspendendis atque illigandis, vel etiā saltandis quodammodo, nō ad temperationē corporum, sed ad quasdam significationes, aut occultas, aut etiā manifestas: quę mitiore nomine physicam vocant, vt non quasi superstitiose implicare, sed natura prodesse videantur. sicut sunt inaures in summo aurium singularū, aut de struthionum ossibus ansulæ in digitis, aut cū tibi dicitur singulcienti, vt dextera manu sinistrū pollicē teneas, aut cum ad sistendum sanguinem nomen infirmi sanguine ipsius in charta scribitur, ponitur que charta in fronte. His adiungūtur milia inanissimarum obseruationum, si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus ami- *Aug. lib. 2. de doc. Christ. cap. 20.*

cis,lapis,aut canis,aut puer medius interuenerit. atque illud quod lapidem calcant,tanquã diremptorem amicitiæ, minus molestum est, quam quòd innocentem puerũ colapho percutiunt,si pariter ambulantibus intercurrerit. Sed bellum est, quòd aliquando pueri vindicantur à canibus : nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, vt etiam canem, qui medius interuenit, ferire audeant, non impunè, namque à vano remedio, citò interdum ille percussorem suum ad verum medicum mittit. Hinc sunt etiam illa : limen calcare cùm ante domum suam transit:redire ad lectum,si quis, dum se calciat, sternutauerit : redire domum, si procedens offenderit : cùm vestis à soricibus roditur plus timere suspicionem futuri mali, quã præsens damnum dolere. Vnde illud eleganter dictum est Catonis, qui cùm esset consultus à quodam,qui sibi à soricibus erosas caligas diceret, respondit, non esse illud monstrum, sed verè monstrum habendum fuisse, si sorices à caligis roderentur. Ad eadem pacta cum dæmonibus, pertinet etiam, quòd quis sine studio &magistro,inspectione figurarum, & aliis quibusdam vanis obseruantiis, sperat aliquam scientiam acquirere. Item,siquis verba diuina, vel reliquias sanctorum ad collum suspendat, spem habendo in quibusdam characteribus,vel modo ligandi,aut scribendi,aut idiomate scripto,vel in ipso vase, quod continet reliquias,quia est triangulare vel quadrangulare, vel in numero dierum quo portantur

reliquiæ, vel in verbis potius quàm in sensu verborum: vt puta, æstimando quòd si idem sensus aliis verbis proferretur, nihil iuuaret: aut quadocũque speratur in alia vanitate, quæ ad Dei & sanctorum inuocationem atque reuerentiam non pertinet. Vnde rectè dicit Martinus Papa: In collectionibus herbarum, quæ medicinales sũt, nullas obseruationes aut incãtationes licet attendere, nisi tantum cum Symbolo & Dominica oratione, vt tantùm Deus creator omnium & dominus honoretur. & vt paucis absoluamus: Quandocunque aliquis conatur vel diuinare vel præscire aliquid, aut aliquem effectum inducere per rem illam, ex qua naturaliter hæc fieri nequeunt, nec à diuina prouidentia huiusmodi præscientia & effectus quæruntur, superstitio est. *Apud Gratianum caus. 26. q. 5. cap. Non liceat Christ.*

*Ecclesiam in suis cæremoniis carere superstitione.* CAP. LX.

ET si à Deo debito modo decentique expectetur aliquis effectus, etiam si ex natura haberi nõ possit, superstitio non est. quemadmodum in sacramentis Christi à Deo petitur aliquid fieri per ipsa corporalia, quod ex ipsorum corporalium natura obtineri non potest. In benedictione salis, aquæ, candelarum siue luminis, cinerũ, ramorum atque florum, petitur à Deo vt sanitas, liberatio ab infestatione dæmonum, & similia, per ista corporalia præstentur: nihilque aliud in istis agit Ecclesia, quàm quòd potestaté suam à Christo sibi concessam exercet, Dedit, inquit Euangeli- *Mat. 10.*

*Matt.*10. ſta, illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languoré & omnem infirmitatem: Ecce, ait Chriſtus, de-
*Luc.*10. di vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit, Sicut enim diabolus Chriſtianos infeſtare non deſinit, ita & hæc poteſtas nunquam penitus Eccleſiæ deficit: quam non ſolùm verbis, ſed & corporali-
*Ioan.*9. bus rebus, tanquam quibuſdā viſibilibus ver-
*Mar.*7. bis adhibet Eccleſia hominibus, imitata ſponſum ſuum, qui cæcum à natiuitate luto & aqua illuminauit: qui ſputo ſuo, & immiſſione digitorum in auriculam, ſurdum & mutum
*Exo.*15. curauit. imitata & Moyſen & Heliſæum, quo-
*4. Reg.*2. rum ille ligni immiſſione in aquas, eis amari-
*Tob.*11. tudinem abſtulit, hic ſale ſteriles aquas ſanauit. Tobiam quoque, qui iecore piſcis oculos patris liniens viſum ei reddidit. Hanc autem benedictioné non adhibet Eccleſia niſi certis quibuſdam in rebus ſignificatione præſtantiſſimis: vt aquæ, quæ purificanté ſpiritum refert: ſali qui ſapientiam: cineribus, qui mortem & pœnitentiam ob oculos nobis ponant. lumini, quod Chriſtum dominum veram lucem deſignat: floribus, qui Chriſti victoriam repræſentent. Et in his omnibus noua atque priuata adinuenire nequaquam permittit (hoc enim ſuperſtitione non caret) ſed quæ iam olim & ab antiquo, ad dæmonum & morborum atque aëris infeſtationem vel mitigandam, vel tollendam, ſibi ſunt tradita tanquam benedicen-

da, benedicit. Aquam (inquit Alexander Papa, & martyr, quintus à Petro, nondum elapsis quinquaginta annis) sale conspersam populis benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificentur ac purificentur: quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus sanguine, populum sanctificabat atque mundabat: multo magis aqua sale aspersa, diuinisque precibus sacrata, populũ sanctificat atque mundat. Et si sale asperso per Helisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est: quanto magis diuinis precibus sacratus, sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat, atque mundat, & expurgat, & cætera bona multiplicat, & insidias diaboli auertit, & à phantasmatis versutiis homines defendit? Nam si tactu fimbriæ vestimenti Saluatoris saluatos infirmos esse nõ dubitamus, quanto magis virtute sacrorum eius verborum diuinitus sacrantur elementa, quibus sanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas? His ergo & aliis instructi documentis, vota singulorum, domini sacerdotes, respicite, & in virtute Spiritus sancti diuinis precibus, per ministerium vobis diuinitus collatum, perficere certate. Elementa quoque, tam ea quæ prædiximus quàm cætera diuinis apta vsibus, & humanis necessaria infirmitatibus, sacrate, infirmos curate, & cætera, quæ ad vos pertinent, diligẽter perficite. Ipse enim Saluator, tribuendo nobis exemplum, discipulis suis ait: In nomine meo dæmonia eiicite, infir-

*In epist. eius 1. quæ est in 1. tomo concil.*

*Nu. 19*

*4. Re. 2*

*Mat. 14*

mos curate, ægros sanate, leprosos mundate, &c. super infirmos etiam manus imponite, & bene habebunt. In harum tamen consecratarum rerum abusu superstitio committi potest: puta si ipsis rebus, non Deo cuius nomen super illas inuocatum est, tribuatur virtus quam ex natura non habent, aut, si quis per istas res magica exerceat.

*Quomodo à superstitionibus sint rudes dehortandi.*

CAP. LXI.

PRoponendum est eis, quòd dæmones parũ boni nobis præstare possint, nihilque eos præstare auxilij, nisi in melioribus nocendo, & in potioribus bonis: quodque Deus verus omnia possit, nec nobis parua bona negaturus sit, nisi vt meliora tribuat, qui timentibus se in bonum melius conuertit, quicquid diabolum illiusque opera maleficos, temporalis nocumenti sinit inferre: quemadmodum in Iob patuit. Rursum admonendi sunt, quod sicut ad initium cælestis fœlicitatis & patriæ nostræ spectat conuersatio in hac vita cum angelis & hominibus sanctis: ita & ad initium ęternæ damnationis, & perpetuæ cum Sathana societatis, pertinet præsentis vitæ societas cum dæmonibus. Cur non igitur omissis dæmonibus, nostris atque ipsius Dei capitalibus hostibus, in omnibus pendeamus à Deo patre nostro, & misericorde & omnipotẽte, atque societatem sanctorum angelorum potiùs quæramus?

*Aug. in 83. quæstionibus q. 79. & de ci. Dei lib. 10. ca. 22. Leo ser. 19. de pass. Do.*

*Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, &c.* *Exo. 20.*

CAP. LXII.

Quod dictum est: Non habebis Deos alienos coram me, hoc ipsum perfectius explicatur, dū prohibentur coli figmenta. Prohibet autem dominus fieri sculptile & similitudines, non quasi ei displiceat ars sculptoria aut pictoria: quandoquidem ipsemet iussit fundi serpentem æneū & Cherubin (qui in specie iuuenum figurabantur) & constat leones, & palmas, & mala punica in templo Salomonis, & vestem Pontificis collocata ei placuisse, donūque sui spiritus testatur esse huiusmodi artem: Sed prohibuit imagines statui ad cultum diuinitatis, quasi vel ipsa imago esset Deus, vel creatura per eam repræsentata, vel quasi aliqua imago veram diuinitatem exprimere posset.

*Aug. in quest. super Exo. q. 71. li. 2.*

*Nu. 21.*

*Exo. 25.*

*De his qui imagines deos esse sunt arbitrati.*

CAP. LXIII.

Eo enim dementiæ venit stulta gentilitas, vt putaret deos esse opera manuum suarum, argenteas atque aureas imagines, ligna & lapides, de qualibus Moyses: Seruietis, inquit, diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno & lapidi, qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur. & Hieremias: Dicunt ligno, inquit, Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuisti. *a* Plus enim valent simulacra ad curuandam infœlicem

*Benè Epiphan. in synodo Nicen. 2. Dominus ait, actione 6. Israeliticā gētē ducturus erat in terrā promissionis, in qua habitabant gentes quæ adorabāt & colebant idola, dæmones, solē, lunam & astra, reliquasque creaturæ, &c.*

animam, quòd os habent, oculos habent, aures habent, nares habent, manus habent, pedes habent, quàm, ad corrigendam, quòd non loquentur, non videbunt, non audient, non odorabunt, non contrectabunt, non ambulabunt. *b* Hanc vanissimam sententiam Hermes Trismegistus, insignis dæmonum cultor, colorare conatus est, fingens inesse simulachris, veluti corporibus deorum, quosdam spiritus inuitatos, qui valerent aliquid, siue ad nocendum, siue ad desideria eorũ nonnulla complenda, à quibus eis diuini honores, & cultus obsequia deferũtur. *c* At contrà ipsa scriptura clamat, reique euidentia. Simulachra gentium, ait Propheta, argentum & aurum, opera manuum hominum: &, *d* Non est spiritus in ore ipsorum. Illi verò spiritus, qui finguntur inesse idolis, dæmones sunt, quouis modo quærentes sibi vendicare diuinitatem, de quibus Psalmista, cum describeret deos gẽtium, qui intellectum habent, atque gentes nonnunquam alloqui videntur: Omnes, ait, dij gentium dæmonia.

*Quare tam diligẽter eis præcepit ne facerent vllã similitudinẽ, &c. Postquã autem eos ab idololatria abduxisset, iussissetque tabernaculũ testimonij fabricari, Moses sensibilia Cherubin, habentia hominum formam &c. formauit a August. tract. 2. in Psal. 113.*
*b Idem c. 23. li. 8. de ciu. Dei.*
*c Psal. 113.*
*d Psal. 134. Psal. 95.*

## *De his qui creaturas imaginibus repræsentatas coluerunt.* CAP. LXIIII.

AT fuêre, qui sibi visi sunt sapientiores vulgo Gentilium, qui non tam imagines ipsas colerent, quàm creaturas per imagines designatas: vtpote homines iam olim mortuos, serpentes aut volucres, aut alias bestias, ipsum mare aut solem, aut alia similia. de qualibus Sapiens, Acer-

bo, inquit, luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem: & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deú colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta. & hos quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc quòd longè essent, è longinquo figura eorum allata, euidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt, vt illum qui aberat, tanquam præsentem colerent sua solicitudine. *Sap. 14*

Hac quasi subtilitate conatus est Varro vulgi errorem mitigare physicis interpretationibus. Cum enim vulgus Gentilium ipsa simulachra coleret, & homines sceleribus nobiles per simulachra designatos, conatus est omnia referre ad mundum eiusque partes. Mundum enim esse Deum arbitratus est: vt etiá sub nomine Iouis atque eius simulachro, aerem; sub nomine Neptuni, mare coli docebat. atque ita reliquos Deos gentium per aliquam partē mundi interpretatus est. Sed hac ratione vulgum non reduxit ab errore suo, & docuit eos seruire creaturę potius quàm creatori, qui est benedictus in secula, Amen. *Vide Augu. de ciui. Dei, lib. 7. ca. 5. 6. &c.* *Rom. 1.*

*De his qui Deum verum figurare conati sunt.*

C AP. LXV.

Verunt & alij, qui æstimauerunt se posse Deú exprimere aliquo simulachro, propter quod ait Moyses: Loquutus est dominus ad vos de medio ignis: vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis. & rursum: Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est dominus vobis in Oreb de medio ignis: ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel fœminæ, similitudinem omnium iumentorum quæ sunt super terram, vel auium sub cælo volãtium, atque reptilium quæ mouentur in terra, siue piscium qui sub terra morantur in aquis: ne fortè eleuatis oculis ad cælum videas Solem & Lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit dominus Deus tuus in ministeriũ cunctis gentibus quæ sub cælo sunt. Esaias quoque: Cui, inquit, similem fecistis Deũ? aut quã imaginem ponetis ei? qui scilicet spiritus est, & in omnibus est, & vbique discurrit, & terram quasi pugillo continet. & infrâ: Cui assimilastis me, & adæquastis, dicit sanctus? Vnde & Apost. Paulus Atheniensibus dicebat: Genus cùm simus Dei, non debemus existimare auro & argento aut lapidi, sculpturæ artis & cogitationis hominis, diuinum esse simile. Non igitur quasi humana forma circunscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, vt de illo cogitantibus, dextrum aut sinistrum latus animo occurrat: aut idipsum quòd sedere pa-

*Deu. 4.* *Ibid.* *Esa. 40.* *Hiero. in 40. cap. Esaie.* *Ibid.* *Act. 17.* *Aug. c. 7. li. de fide & symb.*

ter dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est ne in illud incidamus sacrilegiũ, quo execratur Apostolus eos, qui commutauerunt gloriã incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulacrum Deo nefas est Christiano in templo collocare: multo magis in corde nefarium est, vbi verè est templum, si à terrena cupiditate atque errore mũdetur. De huiusmodi figura sic habet conciliũ Elibertinum cano. 36. Placuit picturas in Ecclesia esse nõ debere: ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur. Supra omnem enim circunscriptionem est diuina natura, sed humana circunscribi & definiri potest. Vnde secundum illam naturam, qua Christus visus est, Christiani illius imaginem depingere didicerunt, non secundum eam, qua inuisibilis erat. Hæc enim describi non poterat. Insipientię, inquit Damascenus, & extremæ impietatis est figurare diuinitatẽ. Hinc in antiquo testamento tritus non fuit imaginum vsus. At verò posteaquã Deus per viscera misericordiæ suæ secũdum veritatẽ factus homo est propter salutem nostrã, non vt Abrahæ visus est in specie hominis, non vt prophetis, sed secundum substantiam veraciter factus homo est, diuersatus in terra, & cum hominibus cõuersatus est, miracula operatus est, passus est, crucifixus est, sepultus est, resurrexit, assũptus est. Et hęc omnia secundum veritatem gesta sunt, & visa ab hominibus, & scripta nobis ob memoriã & doctrinã sunt, cùm præsentes non essemus, vt cũ

*Rom.1.*

*In Syno. 7. acti.6.*

*Lib.4. de orthod. fidẽ c.17.*

*Gen.18. Baru. 3.*

non viderimus, audientes & credentes adipiſcamur beatitudinem Dei. Et quia non omnes literas nôrunt, neque lectioni incumbunt, patres noſtri conſenſerunt veluti quædam trophæa hæc in imaginibus repræſentare ad promptam memoriam. Siquidem ab negligentiam frequenter cogitatione non tenentes paſſionẽ Chriſti, imaginem transfictionis Chriſti vidẽtes, in Saluatoris paſſionis memoriã redimus, & procidentes adoramus, non materiam, ſed imagine repræſentatum.

*Imago Christi eo proſequẽda honore, quo ſacra euãgelia, &c. constitutio eſt conc. 8. in depoſ. Photij. canone 3*

## *De imagnibus Dei Patris, ſiue ſanctæ Trinitatis.*

### CAP. LXVI.

*Pſal. 109* VErum quidem eſt, quod Deus Pater ſicut voce dicitur ſedere, per quandam tranſlationem vocabuli, ita

*Dan. 7* *Apoc. 5* Danieli & Ioanni in ſpecie humana, ſedenſque, in viſione apparuit: ſed non tam ad ſignificandam ipſam perſonã Dei Patris, quàm eius operationem, nempe iudicium quo cuncta gubernat. Sic apparuit eis, vt non tam propriè Deus viſus dicatur, quàm aliud eius opus deſignans: Quemadmodum Spiritus ſanctus

*Luc. 3* in ſpecie columbæ apparuit, non tam ad ſuam ſubſtantiam & perſonam repræſentandam,

*Rom. 8* quàm ad deſignandum certum effectum. vt, quod homines efficiat ſimplices ſicut columbas, moreque columbarum ingemiſcentes.

*Act. 2.* Corda Apoſtolorum ipſe incendit, vt omnium gentium linguis gloriam Chriſti per totum mundum annuntiarent. Licet autem periculũ non ſit, ne rudes opinentur Spiritum ſanctum

esse columbam, vel linguas igneas: sicut nec *Exo.19* Iudæis periculum erat, ne putarent vocem quam audiuerant in monte Sinai, aut ignem & fumum quem videbant, esse Deum (vnde permittitur depingi historia baptismi Christi, *Mat.3* dieique Penthecostes, in sexta synodo, actione 5.) ex imaginibus tamen quibus Deus Pater aut Spiritus sanctus effigiatur in humana specie, facilè in errorem Anthropomorphitarum, qui putant Deum secundum diuinitatem habere corpus & humanam effigiem, esseque circunscriptum, incidant imperiti: propter quos præcipuè imagines ponuntur. Rudibus enim imagines non videntur tam facilè esse metaphoricæ, quam spiritualibus viris visiones. Vnde non facilè admittendæ sunt huiusmodi imagines: sicut suprà ex patribus fecimus manifestum. Imò tanta fuit cura sanctis Patribus vt rectè proponerentur hominibus scripturæ, vt noluerint Ioannem Baptistã pingi cum figura agni bruti, sed potiùs cum imagine mediatoris Dei & hominũ hominis Christi Iesu. Veteres (inquiunt Patres in sexta Synodo vniuersali) typos, figuras, & vmbras, tãquam veritatis signa & notas Ecclesiæ traditas suscipientes, gratiam & veritatem agnoscimus, tanquam legis plenitudinem hanc arbitrantes. Vt igitur & in colorum effectibus, omnium oculis subiiciatur figura illa, quæ agnum illum, qui abstulit peccata mundi, nimirum Deum nostrum, iuxta humanam effigiem delineat: censemus, ab hoc tempore, pro

*Citãtur hæc in epistola Adri. Põti. ad Tharasiũ, quæ est in actio. 2. syno. 7. & actio. 3. in epist. Tharasi. & acti. 4. ab Helia venerabili, &c.*

veteri illo agno nouum in Ecclesiis Dei erigẽdum, quo per eum exaltationem humilitatis verbi Dei consideremus, quo in memoriam politiæ illius qua in carne vixit, item passionis eius & salutiferæ mortis, vnde mundo liberatio contigit, veluti manu ducamur. Verum quidem est, imaginem Dei Patris in tali effigie, quali Ioanni & Danieli visus est, non fore reiiciendam, si non nisi ab eruditis & spiritalibus viris posset conspici, sed quia imago fixa manet, & omnibus conspicua semper est, nec semper rudibus præsto est doctor: omittenda est eiusmodi imago. Et hactenus de imagine Trinitatis quæ ex scripturis sumi videtur. At pingere Trinitatem tanquam vnum hominem tricipitem, aut vnius capitis, sed tres nasos triáque ora habentem, pictorum non toleranda præsumptio est, sanctis Patribus penitus ignota: quæ dormientibus Ecclesiarum præpositis (sicut & lasciuæ imagines) irrepsit. Angelos
*Gen.18.* verò pingimus, quòd & conscriptibiles sint, &
*Tob.5.* humana forma cum hominibus conuersati sint: nec magnum salutis periculum est, si circa substantiam eorum errent simpliciores. Porrò de sanctorum inuocatione, imaginibus, & earum adoratione seu salutatione, non est quod hîc repetamus, quum abundè satis id expeditum sit in 3. part. Symboli.

---

*Exo. 20.* *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes.*

CAP. LXVII.

Quia

QVia verò hoc potissimũ exigit Deus, vt homo alienos Deos non habeat, Iudeisque pronis ad idololatriã difficile videbatur, non imitari omnes alias gentes, quę iactabant multa commoda sese à diis suis recipere: Dominus rationem reddit huius præcepti, addens graues minas eius transgressoribus, & insigne promissum obedientibus sibi. Intelligendum est enim in textu vocabulum, enim, quasi diceret: Ego enim sum Dominus Deus tuus, sicut patet ex Deuteronomio. Dicit autem se fortem zelotem, siue, quod idem est, Deum æmulatorem, non humanę perturbationis vitio, vtpote qui semper atque omnimodo incommutabilis atque tranquillus permanet: sed hoc verbo indicat non impunè plebem suam per alienos Deos fornicaturam. Ductum est enim verbũ per metaphoram à zelo maritali, quòd castitatem custodit vxoris, id quod nobis prodest, non Deo. Quis enim tali genere fornicationis Deo nocuerit? sed sibi plurimum, vt pereat. Quod Deus prohibet terrore grauissimo, zelantem se appellans. Cui dicitur in Psalmo, Perdidisti omnem qui fornicatur abs te: mihi autem adhærere Deo bonum est. Vnde & alibi dicitur: Noli adorare Deum alienum, Dominus zelotes nomen eius, Deus est æmulator. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum (hoc est, cum Chananæis) ne cum fornicati fuerint cum diis suis, & adorauerint simulachra eorum, vocet te quispiam vt come-

*Cap. 5.* *Aug. q. 158. in Exodum. & q. 52. in q. 83. Vide August. c. 12. & 14. li. 1. de cons. euangel. & cap. 18.* *Psa. 72.* *Ex. 34.*

das de immolatis. Nec vxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos. Sicut ergo ea quæ dicitur ira Dei, non perturbatio mentis est, sed potentia vindicandi: sic zelum Dei non cruciatum animi, quo maritus aduersus vxorem, vel vxor aduersus maritum torqueri solent, sed tranquillissimam synceriſsimamque iustitiam, qua nulla anima beata esse finitur, falsis opinionibus, prauisque cupiditatibus corrupta, & quodammodo grauidata, dicit scriptura. Tolle de zelo errorem & dolorẽ, quid remanebit aliud, nisi voluntas custodiẽs, castitatẽ & corruptionem vindicãs coniugalem? Quo igitur verbo, nisi zelo Dei melius posset insinuari, quo vocamur ad coniugiũ Dei, & non vult nos turpi amore corrumpi, & punit impudicitiã nostrã, & diligit castitatem? Non enim etiam frustra vulgo dici solet: Qui non zelat, non amat. Vehementem ergo amorem suum erga homines hac voce explicat Deus. Rectè autem zelo fortitudinem adiungit, vt ostendat se non solum velle vindicare in eos qui à se fornicãtur (quomodo homines subinde multam vindictam animo concipiunt, quam imbecilliores reddere nequeunt) sed etiam se omne id posse quod voluerit: ideoque grauissimam vindictam manere eos, qui ad deos alienos deficiunt.

*Aug. c. 11. li. contra Adimant.*

*Eius. lib. cap. 13.*

*Vide Diony. Areopag. c. 4. part. 1. de diuinis nomini.*

*Visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.*

*Exo. 20.*

CAP. LXVIII.

EGo, ait, zelum meum opere ostendo. Nam visito tanquã seuerus iudex parentum peccata, quæ diu patienter tuli expectans eorum pœnitentiam. visito, inquam, per grauissimas pœnas in filios eorum, ita vt non euadant manum meam ipsi patres, etsi videantur cum tranquillitate mortui, dum in filiis suis puniuntur: nec statim hæc mea punitio finitur, sed vsque in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, seu non obediunt mihi, vindictã meam protraho. Præcipuè quidem deterret dominus ab idololatria: generaliter tamen cõmemorat iniquitaté. sicut & in promisso meminit obseruantium non solum primum præceptum, sed & omnia præcepta: vt videlicet intelligamus, etiam in sequentibus præceptis hanc rationem recte collocari posse. Pœnæ autem filiorum meminit, eo quòd magna sua misericordia parentibus primum peccantibus parcere solet in hoc mundo, patientia sua prouocans eos ad pœnitentiam: vti fecit Salomoni, Manasse, Ieroboam. Verùm valde pulchrè minatur Deus se redditurum filiis patrum peccata. æquum est enim, vt qui patrem suum sancta obediẽtia (vt humano more loquamur) non lætificauit, sed potius spiritum eius contristauit: etiam ipse non gaudeat, sed contristetur de filiis suis. Extendit autem vsque ad quartam generationem vindictam dominus, eo quòd eousque solet esse memo-

*Hier. in 18. cap. Ezech.*

*3. Re. 11. 4. re. 21. 3. re. 14*

ria progenitorum, atque vsque ad quartam generationem sperare vitam soleant parentes, suosque reputare quicunque vsque ad eam generationem nascuntur, haud ita multum curantes quid futurum sit de vlterioribus
4.Re.10. generationibus. Vnde & Iehu tanquam homini terrena quærenti promissum est, quòd filij eius vsque ad quartam generationem sederent super thronum Israel. Dominus autem peccata patrum non tantum in quartam generationem, sed longè vlterius visitat: sicut ait
2.Re.12. Dauidi: Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorũ Ammon. quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque
2.Re.13. 2.Re.18. 3.Re.2. 2.Paral.20. 4.Re.13. 4.Re.15. 4.Re.21. 4.Re.23. 4.Re.25. Mat.2. Lib.1.histo. eccles.c.9. Eiusdẽ histo. lib.3.c.12. & 19.
in sempiternum. Quæ minæ fuerunt sanè opere completæ. Ammon enim, Absalom, Adonias, filij Dauidis, ferro perempti sunt. & simile contigit filiis ac nepotibus Iosaphat, Ioæ quoque atque Amasiæ, Ammon, & Iosiæ, nepotibusque eius, filiis Sedechiæ. & in ipso Christi tempore Herodes Bethlehemitas infantes occidit, & nobiles tribus Iuda: inter quos vtique multi erant de genere Dauid. Vespasianus quoque & Domitianus stirpem Dauidicam inquiri & perimi iusserunt, tantum quia Dauidica erat. Nec solum corporalibus afflictionibus (quas solas veteres homines curant) sed & spiritalibus pœnis visitat peccata
Mat.21. patrum in filios: sicut ait Christus Iudæis: Lapidem quem reprobauerũt ædificantes, hic factus est in caput anguli. ideo dico vobis, quia

auferetur à vobis regnum Dei. & iterum: Ecce, relinquetur vobis domus vestra deserta. & Psalmista: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ compræhendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerũ meorum addiderunt. Appone iniquitatẽ super iniquitatem eorũ, & non intrent in iustitiã tuam. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Manifestè hîc docet Propheta, admirandam cæcitatem horribilesque iniquitates quas in Iudæis hodie videmus, esse pœnas peccati à patribus eorum admissi in occisione filij Dei. Moyses quoque: Nisi, inquit, custodieris, & feceris omnia verba legis huius, quæ scripta sunt in hoc volumine, & timueris nomen eius gloriosum & terribile, disperget te dominus in omnes populos à summitate terræ vsque ad terminos eius, & seruies ibi diis alienis quos & tu ignoras & patres tui, lignis & lapidibus. En homines pro peccatis suis traduntur in reprobum sensum, vt ligna & lapides adorent. Hæ autem minæ magis completæ sunt in posteris peccatorum ductorum in captiuitatem, siue in Assyrios, siue in Babylonem, quàm in Patribus

*Mat.23.*
*Psa.68.*
*Deu.28.*
*Ro.1.d.*

*Deu.32.* eorum. Et (inquit Moyses in cantico) ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis. & ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in *Rom.10.* gente stulta irritabo illos. Quem locum Apostolus Paulus in epistola ad Romanos, super hodierna excæcatione Iudæorum interpretatur, quam Moyses pro antiqua Patrum idolo- *Hiero. ad Dardan. tom.3.* latria retributam dicit. Multa Iudęæ scelera commisisti: cunctis circa te seruisti nationibus. Ob quod factum? Vtique propter idololatriam. Cumque seruisses crebrò, misertus tui est Deus: & misit iudices & saluatores, qui te de famulatu Moabitarum & Ammonitarum, Philistiim quoque & diuersarum gentium liberârunt. Nouissimè sub regibus offendisti Deum: & omnis tua prouincia, gente Babylonia vastante, deleta est. Per septuaginta *1. Esd.1.* annos templi solitudo permansit. A Cyro rege *1. Esd.6.* Persarum est laxata captiuitas. Esdras quoque hoc & Neemias plenissimè referunt. Extructum est templum sub Dario rege Persarum atquè Medorum à Zorobabel filio Salathiel, & Iesu filio Iosedech sacerdote magno. Quæ passi sitis à Medis, Ægyptiis, Macedonibusque non enumero. Nec tibi adducam in memoriam Antiochum Epiphanem crudelissimum omnium tyrannorum, nec Cn. Pompeium, Gabinium, Scaurum, Varum, Cassium, Sosiumque replicabo, qui tuis vrbibus & præcipuè Hierosolymæ insultauêre. Ad extremum, sub Vespasiano & Tito vrbs capta, tem-

plumque subuersum est. Deinde ciuitatis vsque ad Hadrianum principem per quinquaginta annos mansere reliquiæ. Post euersioné templi per mille & quadringentos annos & vrbis & templi ruinę permanét. Ob quod tantum facinus? Certè non colis idola, sed etiam seruis Sarasenis atque Romanis, & captiuitatis pressus iugo, ignoras alienos deos. Quomodo clementissimus quõdam Deus, qui nunquam tui oblitus est: nunc per tanta spacia téporum miseriis tuis non adducitur, vt soluat captiuitatem, & vt verius dicam, expectatum tibi mittat Antichristum? Ob quod, inquam, facinus & tam execrabile scelus auertit à te oculos suos? ignoras? Memento vocis parentum tuorum. Sanguis eius super nos, & super filios nostros. &, Venite, occidamus eum, & nostra erit hæreditas: &, Non habemus regé, nisi Cæsarem. Habe quod elegisti: vsque ad finem mundi seruiturus es Cæsari, donec gentium introeat plenitudo, & sic omnis Israel saluus fiat, & qui quondam erat in capite, ✠ fiat in caudam. *Mat.27.* *Mar.12.* *Ioan.19.* *Rom.11.* *Deu.28.* *Aliàs vertatur.*

*Quòd hæc comminatio Dei non sit contraria ei quod dicit Dominus 18. cap. Ezechielis.*

CAP. LXIX.

HVnc locum pessimè intelligentes Iudæi tempore Prophetarum Hieremię atque Ezechielis, dú captiui abducti sunt in Babylonem. vias atque iudicia Dei tanquam iniqua reprehenderunt, in Prouerbium vertentes parabolam *Hier. 31.*

Ezec.18. istam: Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. quasi dicentes, Patres peccauerunt, & filij innocentes, qui nil mali commeruerunt, affliguntur. Ab hac autem parabola meritò auocari debuissent per illud Moysi in Exodo, vbi hunc locum decalogi repetens sic orat dominum
Exo.34. Deum: Dominator domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac
Psa.142. verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est:
Hie.32. Deu.5. qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem. vbi clarè ostendit, omnes offendisse Deum, neminemque esse innocentem in Dei iudicio, nisi à quo Deus magna misericordia aufert iniquitatem & scelera, omnesque mereri iram Dei,
Cap.18. nisi ipse clementer parcat. Apud Ezechielem quoque similia ipse dominus respondet, nempe se habere curam omnium æqualiter, tam filiorum quàm patrum, iustosque, qualescunque parentes aut filios habuerint, in æternum victuros. impios verò nõ victuros, sed in ęternum morituros. Sub æterna autem morte (quę maxima est omnium pœnarum) etiam reliquæ pœnæ temporales veniunt intelligendæ: quòd videlicet nunquam accidãt immeritò, siue sine peccato eius qui eas patitur. siquidem vnicuique secundum vias suas reddit dominus: vt ait
Cap.32. Hieremias, etiam de temporalibus pœnis loquẽs. Ipsiquę Iudæi carnales de temporalibus

afflictionibus conquerebantur apud Ezechielem, & circa has Deum causabantur iniquum: & proinde non satis iustitiam iudiciorum suorum ostenderet dominus, nisi etiam de temporalibus pœnis idem iudicium esset, quod se respondet obseruare de morte æterna, iudicium. Patet ergo culpa, vbi non latet pœna, & si quid laboris incidimus, nunquam nisi nostro merito sustinemus. Omnes enim peccato originali, cum quo nascimur, has miserias vitæ huius meremur. Qui autem dicunt pœnã trãsire ab Adam sine culpa, necesse est fateantur innocẽtes paruulos iniusto iudicio puniri trahendo mortẽ sine meritis mortis: quod de vno solo mediatore Dei & hominũ homine Christo Iesu Catholica fides nouit, qui pro nobis mortem, hoc est, pœnam peccati sine peccato subire dignatus est. Sicut enim solus ideo factus est hominis filius, vt nos per illum Dei filij fieremus. ita solus pro nobis suscepit sine malis meritis pœnam, vt nos per illum sine bonis meritis consequeremur gratiam, quia sicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali. Quod verò de morte diximus, de omnibus quoque vitæ huius miseriis est intelligendum. Si falsum esset, inquit Augustinus, peccata parentum esse nostra contagione propaginis, profectò graue iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ in matrem omnium, nullo modo iustum esset. quomodo ergo visitantur peccata parentum in filios? nimirũ quia

*Prosper cõt. Collat. c. 20. Leo ser. 7. de Epiphania. Aug. contra duas epist. Pelag. lib. 4. c. 4. & cõcil. Arausic. cano. 2. Et li. d. pec. mer. & re. c. 16.*

*Li. 6. contra Iulia. c. 4. & de Trin. lib. 13. ca. 16. Ecc. 40.*

punit Deus homines prout ex propria iniquitate digni sunt, quos tamen non esset puniturus, nisi parentum peccatis esset prouocatus. exempli gratia: Filius Dauidi per adulterium ex Bersabeæ natus, iusto quidem Dei iudicio ob peccatum originale mortẽ pati debuisset, quandocũque Deo placuisset: nisi tamẽ Dauid tã grauiter peccasset, Deo miserente diu mors eius dilata fuisset. Si ait Anselmus peccata parentum aliquando nocent animabus filiorum, hoc modo potius fieri existimo, non quòd ea Deus illis imputet, aut quod eos in aliqua delicta propter parentes inducat, sed sicut sæpè meritis parentum filios iustorum à peccatis eruit, ita filios iniustorum eorum meritis in suis aliquando derelinquit. Nanque satis videtur susceptibilius, quòd animam peccatricem, cui nihil præter pœnam debet, propter parentum peccata in suis dimittat peccatis, vt pro ipsis puniatur, quàm quòd eam alienis oneret, vt pro illis torqueatur. Ita igitur sine repugnantia & originale peccatum est idẽ in omnibus, & filius non portabit iniquitatem patris, & vnusquisque onus suum portabit, & recipiet prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum, & reddet Deus peccata parentum filiis in tertiam & quartam generationẽ, etiam si hoc sit in anima, & quicquid aliud legitur, quod animabus filiorum imputari peccata parentum significare videtur. Quippe non moritur anima filij peccato patris, sed suo: nec portat quis iniquitatem patris, cùm in sua relin-

*2.Reg.12.* *Lib. de concep. virgina. cap.24.* *Eze.18.* *Galat.6.* *2.Cor.6.* *Exo.34.*

quitur, sed suam: nec onus alienum, sed suum: nec recipit prout pater, sed prout ipse in corpore gessit. sed quoniam propter peccata parentum à suis malis non est liberatus, ea quæ portat, eisdem peccatis parentum imputantur. At si obiicitur, quia omnes qui non saluantur per fidem in Christum, portant iniquitatem & onus Adæ: consideret diligenter, quia non portant peccatum Adæ, sed suum. Nam aliud fuit peccatum Adæ, aliud infantum. Illud enim fuit causa, istud est effectus. Et cum dicit Apostolus, quòd mors regnauit ab Adã vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adę: sicut significat infantũ minus esse quam Adæ peccatum, ita apertè monstrat aliud esse. Quapropter cum dãnatur infans pro peccato originali: damnatur non pro peccato Adæ, sed pro suo. Nam si ipse non haberet suum peccatum, non damnaretur. Ita ergo non portat iniquitatem Adæ, sed suam, quamuis ideo dicatur portare, quia iniquitas illius, peccati istius causa fuit. Nec mirandum si modo iam explicato peccata parentum visitentur in filiis: cum & peccatum principis in subditis, socij in socio, in imitatore, aut aliter coniuncto vindicetur à Deo. Propter peccatum Dauid (quòd numerasset populum) multa milia de populo occisa sunt. Propter peccatum Acham etiam alij de populo Israel corruerunt, & Christus dicit omnem sanguinem vindicandum in Iudæis sui occisoribus: quia per Deicidium prin-

*Idem eiusdẽ li.c. sequent.*

*Rom. 5.*

*2. Re. 24.*

*Mat. 23.*

cipatûm obtinuerunt in ſocietate eorum qui iuſtos occiderunt. Malorum, ait Auguſtinus, imitatio facit, vt non ſolùm ſua, ſed etiam eorum quos imitati ſunt, merita ſortiantur impij. quinimò, Samuel dum dicit: Si non audieritis vocē domini, ſed exaſperaueritis ſermones eius, erit manus Domini ſuper vos, & ſuper patres veſtros: oſtēdit etiam filiorum peccata in parentibus viſitari: ſicut in magiſtris diſcipulorum peccata viſitantur. Sicut enim ſanctum atque admirabilem Paulum, dum adhuc eſſet in corpore, alia quidem præceſſerūt opera, cùm plurimi ex his qui propter doctrinam & conuerſationem eius perfecti euaſerunt, in æternam illum vitam præcedentes, ſudorum prēmia quos pro illis pertulit, apud iuſtum iudicem Deum illi parauerunt: Alia verò ſolutum carneis vinculis, & iam cum Chriſto regnantem, vſque ad hanc diem conſequuntur, eorum ſcilicet qui per eum in ſacris epiſtolarum eius monitis ſe ad virtutes exercentes, laudes ſemper ac præmia præclaro illi duci & præceptori optimo huic tranſmittunt: Sic cōtra, Alia quidem præcedūt peccata eorum, qui peſſimis ſermonibus & operibus læſi atque impediti, à virtutis tramite in infernum præceſſere, ſupplicia ſuæ damnationis authoribus illic paraturi: Alia verò etiam ſequuntur, eorum ſcilicet qui poſt ipſam mortem per ſummam nequitiā & exempla peſſima, quæ mūdo reliquêre, dum eos imitari pergunt, maximè læduntur. Nam ſicut hodie quoque beatus

*Primo tract. in Pſal. 108.*

*1. Re. 12.*

*Baſilius ferè ad mediū li. de virgini.*

Dauid ad veram religionem, & ad Dei cultũ, prouidentiæque agnitionem mundo perutilis est, & qui propter illum in religione proficiũt, hinc iam ex rectè factis suis consequentes ei transmittunt laudum voces: ita & Marcion & reliqui hæreticorũ dogmatum duces, per eam peruersitatem doctrinæ, quam mundo inuexêre, maximè nocent, cuncti verò qui salutis suæ damna per eos in hac vita perceperunt, authores perditionis suæ, etsi dudum vita functos, atrocioribus illic suppliciis tradunt. Si enim qui scandalizauerit vnum ex pusillis huiusmodi, morte dignus iudicatur: profectó qui tam multos per vitam reprobam quòd perniciosorum operum mũdo exempla reliquerit, aut in animarum perniciem falsa dogmata ingesserit, scandalizat: post mortem quoque omnium qui sui causa pereunt, dignissimè ac iustissimè mortis reus habebitur: per singulos eorum qui sui causa hîc seu vulnerantur, seu moriuntur, author etiam vulnera mortemque suscipiens. Ex his patet satis, cur mandauerit dominus in Leuitico, vt confiterentur Iudæi iniquitates suas & maiorum suorum: non solùm videlicet propterea ne peccata sua defenderent tanquam bona, propter consuetudinem à parentibus acceptã, sed etiam vt agnoscerent, peccata parentum aliquousque ad se pertinere. atque hoc Dei præceptum studiosè impleuêre pij omnes, Dauid, Daniel, Esdras, Hieremias, Tobias, &c. Peccauimus, ait Dauid, cum patribus nostris. Res ista nota est

*Mat. 18.* *Ca. vlt.* *Psal. 105.*

omnibus filiis noui-testamenti sicut prædixit
Cap.31. Hieremias. In diebus illis, inquit, non dicent
vltrà (scilicet filij noui testamenti) Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum
obstupuerunt, sed (scilicet dicent) Vnusquisque in iniquitate sua morietur. omnis homo
qui comederit vuam acerbam, obstupescent
dentes eius: Vbi non sentit Propheta, homines veteres sine suis iniquitatibus pro alienis
condemnari, & homines ad nouum testamentum pertinentes tantum pro suis, & non pro
alienis peccatis mori. (Nam omnis homo ad
vetus testamentum pertinens, impius est, &
nullus filius noui testamenti moritur) sed sentit, omnes filios noui testamenti Deum non
accusare vt iniquum, more impiorum, quasi
innocentem damnet pro alienis peccatis: sed
profiteri quod Deus iustus sit, neminem condemnans nisi ob propriam iniquitatem. sicut
Sap.12. Deum laudat Sapiens: Cum, inquiens, sis iustus, iustè omnia disponis: ipsum quoque qui
non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute. virtus enim tua, iustitiæ initium est. Et licet filij noui testamenti adhuc in
Aug.12.ca. lib.6. contra Iulia. hoc seculo pro suis & parentum peccatis, pœnis visibilibus, quæ prodesse possunt, temporaliter affligantur, id tamen agit gratia redemptoris, vt & paternum chirographum deleat
cum propriis peccatis, vt in futuro iudicio dānationem æternam timere non debeant.

*Quòd non præiudicatur per altius consilium misericordię Dei veritati huius comminationis.*

CAP. LXX.

NEc ex hoc falsa cõuincitur hæc comminatio, quod Deus imméſa ſua miſericordia multorum idololatrarum filios ad lucem fidei vocet, & in hoc tempore & in futuro omnia eorum peccata parentumque in eis diſſimulans. Non enim hic deſignatur quid ſemper fiat, ſed quid mereatur patrũ iniquitas, & quid faciat Deus, cum valde ſpeciali miſericordia non parcit. Quemadmodũ quod Eſaias dixit, Ezechiam Regem moriturum, & Lucas ſeruum Centurionis, non falſum fuit, quanquam ambo vixerint poſteà: ſed quid diſpoſitio naturæ haberet, ſignificârunt. Talia multa dicuntur in ſcriptura:& ipſe dominus comminationes & promiſſiones de pœnis atque præmiis ſic intelligi oſtendit per Hieremiam. Repentè (ait) loquar aduerſum gentem, & aduerſum regnum, vt eradicem & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo quod locutus ſum aduerſus eã: agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei.& ſubitò loquar de gẽte & de regno, vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam:pœnitentiam agam ſuper bono quod locutus ſum vt facerem ei. Sanè iſtud domini verbum opere comprobatum eſt, in domo Heli. Loquens, ait, locutus ſum, vt domus tua,&domus patris tui miniſtraret in cõſpectu meo vſque in ſempiternum. Nunc autem dicit dominus, Abſit hoc à me: ſed qui-

*Eſa.38.* *Luc 7.* *Hie.18.* *1.Re.2.*

cunque honorificauerit me, glorificabo eum. qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. In ipsis quoque Niniuitis idem patuit. Nam per pœnitentiam placauerunt Dominum vt non euerteret Niniuen, sicut fuerat cōminatus.

*Ion.3.*

*Exo.20.*

*Et faciens misericordiam.*

CAP. LXXI.

MEritò præmium obedientiæ misericordiam vocat, eò quòd præmium iustitiæ nobis gratia est, quibus gratis datur ipsa iustitia: sicut latius ostensum est in explanatione orationis Dominicæ, vbi ostensum est, qua ratione Apostolus vitam æternam vocet gratiam.

*Rom.6.*

*In milia his qui diligunt me & custodiunt mandata mea.* CAP. LXXII.

IN milia, hoc est, in mille generationes: sicut clarum est ex septimo capite Deuteronomij. Significat autem hæc dictio: in omnes generationes, siue in æternum, quemadmodum Psal. 104. dum dicitur: Memor fuit in seculum testamenti sui, verbi quod mandauit in mille generationes. Idem designatur per illud, in seculum, siue, in æternum, quod per, in mille generationes. Hoc ergo sensu, non fit hîc mentio filiorum siue nepotum, quemadmodum in comminatione meminit eorum: sed designatur temporum æternitas. quasi diceret: Facies æternam misericordiam diligentibus me. Non malè tamen intelliget, qui putauerit hîc designari posteros, quasi dixisset dominus:

*Vide Augu. c.7.li.20. de ciui Dei, & ad illud Psal. 104. quod disposuit ad Abrahā, &c.*

Propter

Propter diligentes me facio misericordiam mille filiis eorum , aut fortè vtrumque designat dominus, & se misereri in æternum ipsis filiis, & propter eos mille aliis: sicut Dauid dicit, Misericordia domini ab æterno & vsque in æternum, super timentes eum, & iustitia illius in filios filiorum, his qui seruant testamẽtum eius, & memores sunt mandatorum eius ad faciendum ea. Et iterum: Quis est homo qui timet dominum? anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hæreditabit terram. Porrò quanquam dominus etiam in æternum puniat impios, visitetque contra multos posteros eorum iniquitates, æternitatẽ tamen & multitudinẽ posterorũ potius in prẹmio quàm in pœna proposuit, quia carnales terrena sectantes magis pœnis quàm eximiis præmiis prouocantur ad bonum. Vsqueadeò enim iniquitatem diligunt, vt si impunè peccare liceret, facilè præmia magna negligerent. Ideoque cum dominus veteri populo loqueretur, in pœnis explicãdis eis sese attemperauit: in prẹmiis verò proponendis, magis quid timentibus Deum conueniat, quantumque ipse retribuat iustitiæ hoc loco explicare voluit. Quòd verò dominus multis milibus hominum propter timentes se misereatur, satis euidens est. Nam si in Sodomis decem iusti fuissent, Dominus pepercisset etiam impiis, & non deleuisset vrbem. Quando delere voluit gentem Iudaicam, à Moyse cohibitus fuit, & illi locutus est: Dimitte me vt irascatur furor meus.

*Psal.101.* *Psal.24.* *Gen.18.* *Exo.32.*

Cap.5. Circuite, ait Dominus per Hieremiam, vias
Hierusalem,& aspicite,& considerate,& quærite in plateis eius an inueniatis virum facientem iudicium,& quærentē fidem,& propitius ero ei(scilicet Hierusalem.)Et per Ezechielem
Eze.22. conqueritur dominus:Quæsiui de eis virū qui interponeret sepem,& staret oppositus contra me pro terra,ne dissiparem eam:& nō inueni.
4.Re.19. Et multis annis iam mortuo Dauide:Protegā: ait dominus,vrbem hanc,& saluabo eam pro-
Gen.22. pter me,& propter Dauid seruum meū.Et pro obedientia sua accepit Abrahā, vt multiplicarētur posteri eius sicut stellæ cæli, & in semine eius benedicerentur omnes gentes. Obiiciat simplex Lector,& dicat:Multi sanctorum (vt, qui continentiam elegerunt) posteros non habent: qua igitur ratione diligētibus se promittit dominus benedictionē filiorum? At intelli-
Ro.9. gat non promitti hoc loco quod piorū secundum carnem filij semper benedicētur: cū sciamus de Isaac natum Esau Deo odiosum: De
2.Re.13. 2.Re.15. Dauid,Amō impurum,& parricidam Absalō:
Eze.14. Dominus quoque apud Ezechielem protestetur nihil profuturum impiis, etiam si tam iusti fuerint eorum parentes quàm Noë,Daniel,& Iob. sed sensus huius promissionis est, quòd Dominus propter timentes se sæpè parcit & benedicit posteris e rum,aut alioquin cōiunctis secūdum carnē.Semper autem, & in ęter-
Aug.epist. ad Bonifa. quest 23. num,bene facit posteris eorum secundum spiritum. Vniuersa enim societas sanctorū atque fideliū, quibus placet quòd alij regenerantur,

& quorum sancta atq; indiuidua charitate, ad cõmunicationem sancti Spiritus adiuuantur: Tota, inquam, hæc societas omnes, tota singulos iustos parit. Hęc est enim mater nostra, quę sursum est erecta sanctis desideriis, libera Hierusalem. Hæc est illa colũba, per cuius creberrimum gemitũ, hoc est, orationes, peccata soluuntur. Ipse dominus Christus quẽlibet fideliu facienté voluntaté patris sui mysticè matrẽ vocat: quia videlicet charitate parturit alios, donec formetur in eis Christus. Atque hac ratione fideles sibi mutuò parentes sunt, dum se inuicé charitate, sanctisque desideriis, ad regenerationé illã, de qua dicit dominus: In regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, adiuuant, dũ pro se & omnibus sanctis clamant, vt adueniat regnũ Dei, in quo totus homo promissam accipiet hereditaté. & omnis hac ratione filius ecclesię siue cuiuslibet timẽtis Deum, æternam accipiet misericordiã. Sanè de hac spiritali familia sæpè scriptura loquitur, dum & Abraham patrem omnium nostrum facit, & semé iustorum in benedictione fore, potensq; in terra promittit: dũ filios seruorum domini pereunte cælo & terra stabiliẽdos, semenque eorum in seculum dirigendum asserit: dum in futuro seculo promittit minimum fore in mille, & paruulũ in genté fortissimam: dum nullũ timentiũ Deum carere fœtu aut semine dicit: Dẽtes tui (ait SS. ad Ecclesiã) sicut greges ouiũ qui ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis nõ est in eis.

*Gal. 3.*
*Aug. li. 3. cõtra donat. c. 17. & 18.*
*Idem ca. 5. & 6. de san. vir.*
*Mat. 12.*
*Mat. 19.*
*Gen. 17.*
*Rom. 4.*
*Psa. 36.*
*Psa. 111.*
*Psa. 101.*
*Esa. 60.*
*Can. 4.*
*Vide. Aug. c. 6. li. 2. de doctrin. Christ.*

## De Secundo Præcepto.

Exo. 20. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

CAP. I.

POSTQVAM primo præcepto exegit Dominus, ne honor ei debitus alteri deferretur, recto ordine nunc secundo præcepto exigit, ne irreuerenter à subditis suis tractetur. Et
Hebr. 6. quia omnis controuersiæ hominum (qui sæpissimè co trouersias habent) finis ad confirmationem est iuramentum: cauetur hoc præcepto, ne Deo in iuramento irreuerentia irro-
Exo. 20. getur. Non assumes, inquit, nomen domini Dei tui in vanum.

*De iurantibus per falsos Deos, eorumque memoriam custodientibus.* CAP. II.

HOc autem secundum præceptum, quo prohibetur, ne Deus verus assumatur ad testimonium falsi, his datur, qui primum præceptum suscipiunt, habentes Deum verum pro Deo suo, & nullum alium.

In primo autem præcepto, vtique continetur quod in Deuteronomio prçcipit dominus:
Deu. 6. Per nomen domini Dei tui iurabis. quod ex-
Exo. 23. plicans in Exodo: Per nomen, ait, externorum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro. Qui enim per alienum Deum iurat, illum omnium cognitionem, & infallibilem veritatē, quæ solus Deus verus habet, habere

agnoſcit. Imò tam horrêre vult nos dominus alienorum deorum cultum aut ſocietatem, vt nec nomen eorum ex ore noſtro audiri velit: Neque, inquit, audietur ex ore veſtro nomen externorum deorum: niſi ſcilicet vt doceamus eos contemnere, vbi eiuſce rei forte periculũ foret. Hoc autem ſuum præceptum promittit dominus implendum à filiis noui teſtamenti, dum ait per Eſaiam: In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, & iurantes per dominum exercituum. Et Oſæe dicit: Et erit in die illa, ait dominus, Vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baalim. Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltrà nominis eorum. Item Zacharias: Et erit in die illa, dicit dominus exercituum, diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà: & pſeudoprophetas, & ſpiritum immundum auferam de terra. *a* Abſit ergo, vt de ore Chriſtiano ſonet, Iuppiter omnipotens, &, me Hercule, &, me Caſtor, & cætera magis portenta quàm numina. At nũc, etiam ſacerdotes Dei, omiſſis euangeliis & Prophetis videmus comœdias legere: amatoria Bucolicorum verſuum verba canere: tenere Vergilium: *b* Videmus plurimos hoc vnum agere, vt omnes ſuperſtitiones gentium, & fictorum deorum hiſtorias teneris mentibus inſtillent: ita ingenia carminibus poëtarum, *c* quæ cibus ſunt dæmonum, iam inde ab initio inficientes, vt crux Chriſti in cordibus eorum nec in ſenio quidẽ

*Exo. 23.*

*Eſa. 19.*

*Oſe. 2.*

*Zac. 13.*

*a. Hiero. ad Dama. in epiſt. de filio prodigo.*

*b. Contra hos eſt prudenter facta conſtitutio in cõc. Latera. 2. ca. 7. vt ſciant quid ſit ſui officij.*

*c. Hiero. ibi.*

locum habere possit: quid quæso aliud agentes, quàm vt iam à dictis prophetis recitata Dei promissio, nec ad se nec ad discipulos suos pertineat? Sed væ tibi flumen moris humani, quis resistet tibi: Quandiu nō siccaberis? Quousque volues Ecclesiæ filios in mare magnum & formidolosum, quod vix transeunt qui lignum conscenderint? Nónne ego in te lego tonantem Iouem & adulterantem? Et vtique non posset hæc duo, sed actum est vt haberet autoritatem ad imitandum verum adulteriū, lenocinante falso tonitruo: dum hominibus flagitiosis diuina tribuuntur, hoc agitur, ne flagitia putentur esse flagitia, & vt quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed cælestes deos videretur imitatus. & tamen, ô flumen tartareum, iactantur in te filij hominum cum mercedibus vt hæc discant, & magna res agitur, cū hoc agitur publicè in foro, & saxa tua percutis & sonas, dicens: Hinc verba discuntur, hinc acquiritur eloquentia rebus persuadendis sententiisque explicādis maximè necessaria. Ita verò non cognosceremus verba hæc, Imbrem aureum & gremium, & fucum, & templa cæli, & alia verba quæ in eo loco scripta sunt, nisi Terentius induceret nequam adolescentem proponentem sibi Iouem ad exēplum stupri, dum spectat tabulam quandam pictam in pariete, vbi inerat pictura hæc: Iouem quo pacto Danaæ misisse aiunt in gremium quondā imbrē aureum fucum factum mulieri. Et vide quemadmodum se concitat ad libidinē, quasi cælesti

*Aug. lib. 1. cōfess. cap. 16.*

*Vide Au. ca. 14. 2. de ciui. Dei: vt tanquam autoritate, &c.*

*In Eunucho.*

*Idē habet 2. de ciui. Dei, cap. 7.*

magiſterio! At quem Deum?inquit:Qui templa cæli ſummo ſonitu concutit. Ego homũcio id non facerem?Ego verò illud ſponte feci ac libens. Non omnino per hanc turpitudinẽ verba iſta commodius diſcuntur, ſed per hæc verba turpitudo iſta confidentius perpetratur. O vtinam multos Gregorios mitteret dominus! Vere etenim magnus Gregorius omnes libros quos potuit habere Titi Liuij comburi iuſſit, quia plurima in eis continentur de ſuperſtitionibus idolorum. Antiqua quoque Gẽtilium ædificia, quæcunque potuit, ſubuertit, ne eſſent reliquiæ & memoria idolorum, ſicut etiam dominus Iſraelitis ſæpiùs mandauit. Aras,inquit,eorum ſubuertite, & confringite ſtatuas, lucoſque ſuccidite, & ſculptilia comburite. & adiicit: Non concupiſces argentum & aurum de quibus facta ſunt: neque aſſumes tibi ex eis quicquam, ne offendas, proptereà quia abominatio eſt domini dei tui. nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam,ne fias anathema, ſicut & illud eſt. Quaſi ſpurcitiam deteſtaberis, & velut inquinamentum ac ſordes abominationi habebis,quia anathema eſt: Nõ quaſi aurum vnde factum eſt idolum, malum ſit,ſed ne per occaſionem auri falſus Deus memoriæ inhæreat. Quanquam igitur quiſquis bonus veruſque chriſtianus eſt, domini ſui eſſe intelligat, vbicunque inuenerit veritatem, & à gentilibus, tanquam iniuſtis poſſeſſoribus, in vſum noſtrum vendicanda ſit, ſicut iubente domino Ægyptiis abſtulerunt filij

*Antoninus 4. part. ſummæ. tit. 11. ca. 4.*

*Vide Platinam.*

*Deu. 7.*

*Ibid. poſt.*

*Aug. de doctrin. Chriſt. li. 2. cap. 18.*

*Eiuſ. li. c. 40.*

*Exo.11. & 12.* Iſrael aurum & argentum, veſtemque plurimam: tamen ſuperſtitioſa figmenta cauenda ſunt, illique homines, qui cognoſcẽtes Deum *Rom.1.* non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt cor inſipiens eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum. Non eſt cuiuſuis in venenatis vndique pratis puram aliquam herbam alicubi fortè latentem ſine læſione colligere. Non cuiuſuis eſt aurum in luto homines demergente quærere: nec prudentis eſt magno labore & periculo aurum è longinquo petere, vbi domi exiguo cum labore nulloque periculo tantumdem queas obtinere. Quid igitur opus eſt tantopere Gentilium libros, idolorumque laudes perdiſcere: cum innumeros Chriſtianos doctores habeas, ex quibus extra periculũ omne, atque citra tantum laborem tibi diſcere liceat, quicquid boni ex idololatris percipis, aut percipere te fingis? Huc pertinet etiam, quod ſydera, dies, atque menſes, nominibus falſorum deorum infamantur, dum ſtellæ erraticæ vocantur Mars & Mercurius, Venus & Saturnus: menſes, Iulius & Auguſtus: dies, Martis, & *Præfat. Pſal.93.* Mercurij, & Lunę, &c. Sed nolumus, inquit Auguſtinus, vt Chriſtiani ſic dicant, atque vtinam corrigantur vt non dicant. Melius de ore Chriſtiano ritus loquẽdi eccleſiaſticus proce-

dit,vt dicamus:Dies dominicus,secũda sabbati,tertia sabbati,siue,feria prima,feria secunda, feria tertia,&c.Attamẽ, quia tanta cõsuetudo est sic loquẽdi vt difficilè immutari possit apud homines, improbemus corde semper gentiliũ vanitatem, nec quicquã ex talibus nominibus memoriæ vel honoris tribuatur diis Gentiliũ: nec quicquam illis diebus vel mensibus, quibus eorũ nomina indita sunt,posse putentur.

*Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

## CAP. III.

MVltis modis assumitur nomen domini: & dum laudatur,& dum blasphematur Deus. sed hoc loco propriè fit mentio illius assumptionis, qua quis per Deũ iurat, hoc est, Deum testem inuocat,hoc modo confirmando alteri verbum suum. item, qua quis Deo aliquid promittit siue vouet. Nomine enim iuramenti etiam votum designat scriptura. Mulier,inquit,si quippiam vouerit & se constrinxerit iuramento, &c. Et in Psalmis: Memento domine Dauid, & omnis mãsuetudinis eius, sicut iurauit domino, votũ vouit Deo Iacob:Si introiero in tabernaculũ, &c. & iterum: Laudabuntur omnes qui iurãt in eo. Quis, ait Augustinus, iurat in eo? qui pollicetur ei vitam suam, qui vouet illi & reddit, qui fit Christianus. Prius autem de iuramento quod proximo fit:posteà de voto aliquid dicendum est. Varia autem sunt quæ iuramento confirmantur. Quandoque enim asserit homo aliquid iuramento, quod præsens

*Nu.30.* *Psal.131.* *In Psa.62.*

1.Re.14. est, vel præteritum: quandoque etiam aliquid
1.Re.20. futurum, sed id non tam asseritur, quàm promittitur: sicut Dauid, Sauli, & Ionathæ iurauit. Certè magna est differentia inter assertionem futuri, & promissionem futuri. Si enim futurum non eueniat, falsa est assertio. promissio autem sine vlla falsitate nō completur, si remittat ille cui promissio facta est. Variis quoque modis iuratur: aut simpliciter, inuocando Deum testé, vt cùm dicimus: Per Deū. Deus scit, Deus testis est, Coram Deo loquor: aut per execrationem, qua quis petit vt Deus testis sit, pœnam infligendo, vel sibi, vel alteri ad se pertinenti, si non sit verum quod dicitur.
1.Re.25. vt quando Dauid ait: Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus qui ad Nabal pertinent vsque mane, mingentem ad parietem. Et cùm dicit quisque: Per meam salutem, Per animam meam, Per eam nisi se res ita habeat, saluté suam obligat Deo. Quādo dicit: Per filios meos, oppignorat deo filios suos, vt hoc veniat in caput eorum quod exit de ore ipsius, si verum, verū: si falsum, falsum. Quia igitur dominus maxima benignitate sua, qui omnia nouit, nec falli potest nec fallere, non dedignatur ad dictorum nostrorum confirmationem inuocari testis, vt finiantur humanæ controuersiæ: hoc seueriter mādat, ne in vanum assumatur nomen eius, hoc
Heb.6. est, ad confirmationem falsi. Hoc enim vanum
Exo.20. est, quia non ita se habet res, quemadmodum homo dum falsum loquitur significat. Nomē

*Aug. ser. 30. de verbis apost. Ante omnia nolite iurare.*

ergo Dei in vanum assumit atque periurus est, qui putat verum esse quod falsum est, & temerè iurat: & qui scit vel putat falsum esse, & tamen pro vero iurat. Distant autem ista periuria, quæ duo commemoraui. Fac illum iurare qui verum putat esse, pro quo iurat, & tamen falsum est, non ex animo iste periurat, fallitur, hoc pro vero habens quod falsum est, non pro re falsa sciens iurationem interponit. Da alium, qui scit falsum esse, & dicit verum esse, & iurat tanquam verum sit, quod scit falsum esse. Videtis quàm ista detestãda sit belua, & de rebus humanis exterminanda. Fac alium, qui putat falsum esse & iurat tanquam verum sit, & fortè verum est, nihilominus periurus est Similiter periurus est, qui quod iuramento promittit, implere non proponit. Ille quoque, qui statuit quidẽ opere pręstare quod iuramẽto pollicetur, & tamẽ posteà non pręstat.

*Eodem ser. 30. de verbis apost. ad illa verba Iacobi Ante omnia nolite iurare.*

*Quomodò Dominus hoc præceptum exposuerit in Euangelio.* CAP. IIII.

FOedissimè errabãt Pharisæi & Scribæ tempore Christi in declaratione huius præcepti. Quia enim hîc legitur: Non assumes nomen Dei tui in vanum. & in Leuitico ait dominus: Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, quibus locis expressa fit mentio nominis Dei: putabant iuramenta per creaturas facta (quia videlicet expresse in illis non nominatur Deus) non obligare, nihilque esse, si quis peierasset per creaturas.

*Exo. 20.*

*Leu. 19.*

Excipiebant tamen quaſdam creaturas auaritiæ ſuæ ſeruientes, nempe aurum templi, & dona quæ Deo offerebantur, ſacerdotumque ideo erant. Errorem hunc eis dominus impro-
*Mat.23.* perat, dum ait: Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicunque iurauerit per templum, nihil eſt: qui autem iurauerit in auro templi, debet (ſeu debitor eſt). Stulti & cæci, quid enim maius eſt, aurum, an templum quod ſanctificat aurum? Et, Quicunque iurauerit in altari, nihil eſt: quicunque autem iurauerit in dono, quod eſt ſuper illud, debet. Cęci, quid enim maius eſt? donum, an altare quod ſanctificat donum? Meritò autem debebant ex ſcripturis Prophetarum atque ipſius Moyſi, intelligere, quòd iuramentũ per creaturas factũ ita obligat, quemadmodum quod fit expreſſo dei no-
*Gen.31.* mine. Iurauit enim Iacob ipſi Laban per timorem patris ſui Iſaac, nec alteri dubium fuit, quin iuramentum eſſet obligatoriũ. Et Moy-
*Deu.30.* ſes teſtes inuocat cælum & terram. Raab quo-
*Ioſu.2.* que exegit ab exploratoribus iuramentum per dominum. illi autem iurauerunt: Anima noſtra ſit pro vobis in mortem, vtique volentes ſe obligare hoc iuramento. Dominus autem
*Cap.23.* & loco iam citato ex Matthæo, & in illo ſermone prolixo, quem in monte habuit, cauſam oſtendit, cur iuramentum per creaturas factũ magni ſit faciendum, quemadmodum quod
*Mat.5.* fit expreſſo Dei nomine. Audiſtis, inquit, quia
*Leu.19.* dictum eſt antiquis: Non periurabis: reddes
*Exo.20.* autem domino iuramenta tua. Ego autem

dico vobis,non iurare omnino: neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, *Deut.5.* quia scabellum est pedum eius:neque perHierosolymam, quia ciuitas est magni Regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillũ album facere, aut nigrum. Qui *Mat.23.* iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt: & quicunque iurauerit in tẽplo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso: & qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum: Quasi diceret, Pharisæi & Scribæ docuerunt quidem periurium esse prohibitum, sed non explicuerunt quo casu homo incurrat periurium prohibitũ:quinimò, docuerunt quædam periuria nihil esse, sed ego vos doceo nullo pacto licere iurare falsum, nec per quamcunque creaturam: In omni enim creatura quantumuis vili elucet summa Dei veritas, hactenusque adhibetur creatura à iurante ad confirmationem dicti. alioqui,falsi Dei cultus esset, si quis per creaturam secundum se, & non quatenus in ea Deus agnoscitur, iuraret. Clarum est igitur, in iuramento per creaturam assumi nomen domini. Qui enim, inquit Christus, iurat in templo, *Mat.23.* iurat in eo qui habitat in illo: & qui iurat in cælo,iurat in illo qui sedet super cælum. Quæri potest, ait Augustinus, cùm diceretur:Ego *Mat.5.* autem dico vobis non iurare omnino: cur additum sit, Neque per cælum, quia thronus Dei *De serm. domi.in monte li.1.cap.31.* est:& cætera vsque ad id quod dictum est, Neque per caput tuum. credo propterea,quia nõ

putabant Iudæi se teneri iureiurando, si per ista iurassent: & quoniam audierant, Reddes autem domino iusiurandum tuum, non se putabant domino debere iusiurandum, si per cælum, aut terram, aut per Hierosolymam, aut per caput suum iurarent. quod non vitio præcipientis, sed illis malè intelligentibus factum est. Itaque dominus docet nihil esse tam vile in creaturis Dei, vt per hoc quisquam periurandum arbitretur, quando à summis vsque ad infima diuina prouidentia creata regerentur, incipiens à throno Dei vsque ad capillum album aut nigrum. Neque per cælum, inquit, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum pedum eius est: id est, cum iuras per cælum aut terram, non te arbitreris non debere iusiurandum tuũ domino, quia per eum iurare conuinceris cuius cælum thronus est, & cuius scabellum terra est: neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni Regis, melius quàm si diceret, mea, cum tamen hoc dixisse intelligatur. Et quia ipse vtique dominus est, domino iusiurandum debet qui per Hierosolymam iurat, Neque per caput tuum iuraueris. Quid enim poterat quisque magis ad se pertinere arbitrari quàm caput suũ? Sed quomodo nostrum est, vbi potestatem faciendi vnius capilli albi aut nigri non habemus? Ergo Deo debet iusiurandum ineffabiliter tenenti omnia & vbique præsenti, quisquis etiam per caput suum iurare voluerit: & hinc etiam cætera intelliguntur quæ omnia vtique dici non

*Nota.*

*Mat. 5.*

poterát, ſicut illud dictum ab Apoſtolo: Quotidie morior, per veſtram gloriam fratres. quã iurationem vt domino ſe debere oſtenderet, addidit: Quam habeo in Chriſto Ieſu. Hæc Auguſtinus. Non igitur omne iuramentum prohibet dominus, quo & ipſum Deum & Apoſtolum in ſeriis epiſtolis víſos legimus frequenter, ſed vox Iurare, pro periurare ponitur, aut ſupplenda eſt in textu altera vox, nempe falſum quaſi diceret: Non iurare omnino falſum. Ad quem modum ſanè ſæpè loquitur ſcriptura, vt Leuitici 5. Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, teſtiſque fuerit quòd aut ipſe vidit, aut conſcius eſt, niſi indicauerit, portabit iniquitatem ſuam. quod rectiſſimè Auguſtinus de falſum iurante interpretatur, quod & textus ipſe exigit. Item Zachariæ quinto: Hæc eſt maledictio quæ egreditur ſuper faciẽ omnis terræ, quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicabitur, & omnis iurans, ex hoc ſimiliter iudicabitur: Vbi manifeſtè de periuro loquitur, ſicut ex ſubiũctis verbis patet: Educam illud, dicit dominus exercituum: & veniet ad domũ furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter. & apud Eccleſiaſten: vbi nos habemus, vt periurus, ita & ille qui verùm deierat: legunt Septuaginta interpretes: Vt iurans, ita & ille qui iuramentum timet, indubiè iurantem pro peierante ponentes. Satis verò clarè oſtendit dominus, ſe de periurio eſſe locutum, dum poſito negatiuo præcepto de omnino non iurando,

*1. Cor. 15.*

*Vide Auguſt. in expoſitione primi cap. epiſt. ad Galat. ad hoc: Quæ autem ſcribo, &c.*

*Cap. 9.*

subiecit affirmatiuum præceptum vt sermo noster sit periurio contrarius, hoc est, verax,
Mat. 5. dicens: Sit autem sermo vester, Est, est. Non, non. quod autem his abundantius est, à malo est: Hoc est, de re quæ est, sermo vester sit, Est, id est, assertorius, & de re quæ non est, sit sermo vester Non, hoc est, negatiuus. Exigit scilicet vt sermo noster rebus ipsis sit semper cõformis. quod verò amplius in sermone tribuitur rei, quam ei verè conueniat, & quod amplius negatur de re, quam ei desit, hoc est ex insigniter malo, nempe diabolo, qui mendax
Ioan. 8. est, & pater mendacij. Et quidem hunc esse huius Dominici dicti sensum, constat expendenti primũ caput posterioris ad Corinthios
Vide Hierõ. aduersus Pela. dial. 2. Aug. Enchir ca. 21. & 22. epistolæ. Iuuencus eleganter eum expressit, dicens:

*Est: est, sufficiat: quod non est, dicito non est.*
*Quod superest istis, totum fallaciter ægro*
*Suggerit obreptans animo vis tetra veneni.*

*De iurantibus se malè facturos.*

CAP. V.

QVanquam hoc secundo præcepto præcipuè prohibeatur periurium, hoc est, mendacium iuramento firmatum: huc tamen etiam pertinet illorum in Deum irreuerentia, qui non verentur ipso inuocato teste polliceri, se aut acturos ea quę ab eo sunt prohibita, aut non acturos quæ consuluit: quo modo Dauid iurauit se nõ relicturũ de omni-
1. Re. 25. bus quæ ad Nabal pertinebant vsque mane, mingentem ad parietem, sicut iurant quidam se nun-

se nunquam fideiussuros pro proximo, aut nunquam amplexuros perpetuæ castitatis cõsilium. In eiusmodi iuramentis obseruanda venit Isidori regula: In malis promissis rescinde fidem: In turpi voto muta decretũ. Et sanè qui id quod contra Dei præceptum se facturũ iurauit, propter religionem iuramenti posteà implet, addit peccato irreuerentis iuramenti & peccatum quod posteà facit, & superstitionem qua quasi religiosus se obligatum esse æstimat ad implendum malum quod facturum se iurauit. Qui verò cõsilia domini se non impleturũ iurauit, licet non peccet posteà quòd consilia non impleat, peccat tamen falso Dei cultu, si iuramenti religione ductus consilia præstare non audeat. Huc etiam pertinet illorum peccatum, qui cum quippiam iurauerint sese facturos, quod à principio & in ipso operis exordio bonum & honestum est, posteà cùm propter aliquid impremeditatũ de nouo emergens, res vergit in deteriorem exitum, iuramentum nihilominùs obseruant. cuiusmodi erat Herodis iuramentum de quauis re danda puellæ, quam peteret. Licitum videlicet, subintellecta debita conditione: Si rem decentem peteret. at longè impiissimum erat, hoc iuramentum seruare velle, quando illa petebat caput Prophetæ. Huc etiam referendum eorum iuramentum, qui verum fidem & bonum quiddam iurant, sed ita dolosè atque artificiosè verba sua componunt, vt ipse aliud intelligat proximus, quàm iurans intendat

*Isidori regula li. 2. de synonymis. Vide concil. Tole. 8. ca. 2. Et Ambr. li. 3. officiorum c. 12. ad Sotetem epist. 2. ad episcopos Italiæ.*

*Mat. 14. Mar 6.*

*Isidorus de summo bono li.2.cap.31.* quamque verba exacte expensa significent. Sed quacunque arte verborum dolosus iuret, Deus, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit. Dupliciter autem talis deceptor reus fit: quia & nomen Dei in vanum assumit, & proximum dolo capit. At si quis citra omnem dolum aliquid iuret, & hoc proximus aliter intelligat quàm iurans intendit, hoc tantum præstare obligatur qui iurauit, quod iurare voluit. At quando quis iurauit se illud facturum, de quo dubium est an liceat: item cum quis iurauit quod licitum atque vtile est, attamen si non compleatur iuramentum, longe melius bonum toti reipub. inde est euenturum: locum in his habebit superiorum dispensatio, vt iuramentum vel commutent, vel relaxent.

---

*De his qui irreuerenter aut stultè iurant.*

CAP. VI.

Plerosque inuenias, qui etsi nec mentiantur iurantes, nec quicquam illicitum iurent, sine necessitate tamen vel vtilitate iurant: ac ita, Deum, quem testem aduocant, magna irreuerentia afficiunt. Similiter faciunt & illi, qui nulla cum Dei reuerentia, quæ mente conceperint iurant. Quia igitur vt iuramentum recte fiat, hæc omnia requiruntur, vt & verum sit quod iuratur, & licitum, atque vtile: deinde, vt citra necessitatem, vtilitatem, magnamque dei reuerentiam non iuretur: recte assignat Propheta Hieremias tres comites iuramento. Iurabis, ait, Viuit dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia. *Hier.4.*

### *Iuramentum non esse frequentandum in communi sermone.* CAP. VII.

QVapropter, & quum etiam humana lingua supra modum sit labilis, clarum sit, quanto periculo periurij, & irreuerentiæ erga diuinam maiestatem, se exponant, qui in communi sermone iurare assuescunt. Vnde Sapiens: Iurationi, inquit, non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus sanctorum non admiscearis: quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim seruus interrogatus assidue, à liuore nõ minuitur: sic omnis iurans & nominans, in toto à peccato non purgabitur. Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga. Et si frustrauerit (fratrem) delictum illius super illum erit, & si dissimulauerit, delinquit dupliciter, & si in vacuum iurauerit, non iustificabitur. replebitur enim retributione domus illius. & iterum: Loquela multum iurans, horripilationem capiti statuet, & irreuerentia ipsius obturatio aurium. Nemo, ait Augustinus, sicut bonum appetat iusiurandum, ne assiduitate iurandi ad periurium per cõsuetudinem delabatur. Qui intelligit, non in bonis, sed in necessariis iurationem habendam, refrenet se quantum potest, vt non ea vtatur nisi in necessitate, cum videt homines pigros esse ad credendum, quod eis vtile est credere, nisi iuratione firmentur. Nec putandum est consuetudinem in hac re excusare. sicut enim

*Eccl.23.*

*Ibidẽ ca. 27.*

*Cap.30. li.1. de ser. do. in monte. Vide eundem ca.35 post medium, lib. de mẽda.*

consuetudo nocendi proximo non attenuat sed potius aggrauat iniquitatem:ita etiam hęc consuetudo irreuerentiæ in diuinam maiestatem. Qui verò hac consuetudine pessima oppressi iacent, sicut quatriduanus mortuus sub lapide: ante omnia (sicut ait Iacobus) cauere debent à periurio omnique malo iuramento, præ cæteris cauti esse debent, plus ad hoc intenti quàm ad alia. Maior consuetudo maiorem intentionem flagitat, non rei leuis consuetudo. Si de manu aliquid faceres, faciliùs manui tuæ imperares ne faceret. Si pedibus aliquò eundum esset,pigritia retardante te excitares, vt surgeres, & ires. Lingua facilitatem habet motus,in vdo posita est,facilè in lubrico labitur.Quanto illa citius & facilius mouetur, tãto tu aduersus illá fixius esto. domabis, si vigilabis:vigilabis, si timebis:timebis,si te Christianum esse cogitaueris. Non fiat iuramentũ hodie,pigrius fit cras.Si & cras factum nõ fuerit,minus laboraturus est qui custodit,adiuuatur enim consuetudine superioris diei. triduo moritur pestis de qua laboramus, & gaudebimus de fructu, quia magno bono abundabimus, si tam magno malo careamus.Iurauimus & nos, ait August. passim habuimus istam teterrimam consuetudinem & mortiferam. ex quo deo seruire cœpimus, & quantum malũ sit in periurio vidimus, timuimus vehemẽter, & veternosissimam cõsuetudinem timore frenauimus,frenata restringitur, restricta láguescit, languescens emoritur, & malæ consuetu-

*Aug. ser. 30. de illis verbis apost. ante omnia autem nolite iurare.*

*Ibidem supra.*

dini bona succedit. Quia verò sancti doctores hanc in communi sermone iurandi consuetudinem plenam peccatis esse sciunt: ideo interdum ita loquuntur, tanquam omne iuramentum damnarent, respicientes videlicet ad pessimam vulgi consuetudinem. Nam certò sciũt non omnia iuramenta Deo displicere.

*Vide Chrysost. in illud ad Ro. 1. Testis enim mihi est Deus. & in illud 1. c. epi. ad Phili. Testis enim, &c. & in 6. cap. 1. ad Timoth. item hom. 9. in Act. Apo.*

*De exigentibus iuramentum à peieraturis.*

CAP. VIII.

NVsquam in scripturis, inquit *a* Augustinus, legisse me memini, ne ab alio iurationem accipiamus. *b* sed qui exigit iuramentum, multum interest si nescit illum falsum iuraturum, an scit. Si enim nescit, & ideo dicit: Iura mihi, vt fides ei fiat, non audeo dicere non esse peccatum: tamen humana tentatio est. Si autem scit eum fecisse, & nouit fecisse, vidit fecisse, & cogit iurare, homicida est. Ille enim suo periurio se perimit, sed iste manum interficientis & expressit, & pressit. Et quanquam qui paratus est peierare se iam peremerit, sine causa tamen non licet permittere vt expressis verbis periurio polluatur nomen Dei. Nulla verò vtilitas prouenit homini, si debitorẽ suum peierare permittat: ideoque propter honorẽ Dei potius impedire debet quàm admittere periurium.

*a Epist. 154. que est ad Publicolam.*
*b. Idem citato antè serm.*

*De voto.* CAP. IX.

consuetudo nocendi proximo non attenuat sed potius aggrauat iniquitatem: ita etiam hęc consuetudo irreuerentiæ in diuinam maiestatem. Qui verò hac consuetudine pessima oppressi iacent, sicut quatriduanus mortuus sub lapide: ante omnia (sicut ait Iacobus) cauere debent à periurio omnique malo iuramento, præ cæteris cauti esse debent, plus ad hoc intenti quàm ad alia. Maior consuetudo maiorem intentionem flagitat, non rei leuis consuetudo. Si de manu aliquid faceres, faciliùs manui tuæ imperares ne faceret. Si pedibus aliquò eundum esset, pigritia retardante te excitares, vt surgeres, & ires. Lingua facilitatem habet motus, in vdo posita est, facilè in lubrico labitur. Quanto illa citius & facilius mouetur, tāto tu aduersus illā fixius esto. domabis, si vigilabis: vigilabis, si timebis: timebis, si te Christianum esse cogitaueris. Non fiat iuramentū hodie, pigrius fit cras. Si & cras factum nō fuerit, minus laboraturus est qui custodit, adiuuatur enim consuetudine superioris diei. triduo moritur pestis de qua laboramus, & gaudebimus de fructu, quia magno bono abundabimus, si tam magno malo careamus. Iurauimus & nos, ait August. passim habuimus istam teterrimam consuetudinem & mortiferam. ex quo deo seruire cœpimus, & quantum malū sit in periurio vidimus, timuimus vehemēter, & veternosissimam cōsuetudinem timore frenauimus, frenata restringitur, restricta lāguescit, languescens emoritur, & malæ consuetu-

*Aug. ser. 30. de illis verbis apost. ante omnia autem nolite iurare.*

*Ibidem supra.*

dini bona ſuccedit. Quia verò ſancti doctores hanc in communi ſermone iurandi conſuetudinem plenam peccatis eſſe ſciunt: ideo interdum ita loquuntur, tanquam omne iuramentum damnarent, reſpicientes videlicet ad peſſimam vulgi conſuetudinem. Nam certò ſciũt non omnia iuramenta Deo diſplicere.

*Vide Chryſo. in illud ad Ro.1. Teſtis enim mihi eſt Deus. & in illud 1.c. epi. ad Phili. Teſtis enim, &c. & in 6. cap. 1. ad Timoth. item hom.9. in Act. Apo.*

*De exigentibus iuramentum à peieraturis.*

CAP. VIII.

NVſquam in ſcripturis, inquit a Auguſtinus, legiſſe me memini, ne ab alio iurationem accipiamus. b ſed qui exigit iuramentum, multum intereſt ſi neſcit illum falſum iuraturum, an ſcit. Si enim neſcit, & ideo dicit: Iura mihi, vt fides ei fiat, non audeo dicere non eſſe peccatum: tamen humana tentatio eſt. Si autem ſcit eum feciſſe, & nouit feciſſe, vidit feciſſe, & cogit iurare, homicida eſt. Ille enim ſuo periurio ſe perimit, ſed iſte manum interficientis & expreſſit, & preſſit. Et quanquam qui paratus eſt peierare ſe iam peremerit, ſine cauſa tamen non licet permittere vt expreſſis verbis periurio polluatur nomen Dei. Nulla verò vtilitas prouenit homini, ſi debitorẽ ſuum peierare permittat: ideoque propter honorẽ Dei potius impedire debet quàm admittere periurium.

*a Epiſt.154. quæ eſt ad Publicolam.*
*b. Idem citato antè ſerm.*

*De voto.* CAP. IX.

Votum, quod nomine iuramenti in scriptura quandoque designari supra diximus, est promissio Deo facta. ideoque in eo assumitur nomē domini vel mente tantum, dum quis dumtaxat interiùs Deo aliquid promittit, vel etiam voce externa, dum vota nostra distinguunt labia nostra. Non ita autem Deo fit promissio, quasi ipse inde fiat certior, aut ei nos voti expletione aliquid emolumenti conferamus, sed quia hoc modo voluntatem nostram à bono proposito valde labilem constringimus, fœlici necessitate quę ad meliora cōpellit. Benignus exactor est dominus Deus non egenus, & qui non crescit ex redditis, sed in se crescere facit redditores. Huic ergo quod non redditur, perditur: quod autem redditur, reddendo additur. Varia verò sunt vota, alia quidē sine conditione, alia verò cum cōditione, quæ à tribulatis solent emitti, si liberentur. cuiusmodi fuit filiorum Israël, de quo scriptura ait: Israël se voto obligans domino, ait, Si tradideris populum istū in manu mea, delebo vrbes eius. Quędam vota sunt de his quæ necessaria sunt ad salutem. Tale fuit patriarchæ Iacob cum dixit: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, erit mihi dominus in Deum. Huiusmodi fuit & populi Israelitici, quandocunque post longam iniquitatem fœdus pepegerunt cum domino quòd essent populus domini. In monte Sinai: Cuncta, inquiunt, quæ locutus est dominus, faciemus.

*Pag. 69.* *Aug. epi. 45. ad Armenta & Paulin.* *Varia esse vota.* *Nu. 21.* *Gen. 28.* *Exo. 19.* *4. Re. 23.*

Sub Ioiada Sacerdote, & Iosia Rege, & Nehemia,& alibi sæpiùs similiter fecerunt.Super omnibus his,aiunt,nosipsi percutimus fœdus, & scribimus,& signant Principes nostri,Leuitæ nostri, & Sacerdotes nostri. Signatores, ait scriptura, fuerunt Nehemias, Athersatha & cæteri. Deinde subdit: Omnes qui poterant sapere spondentes pro fratribus suis, optimates eorum, & qui veniebant ad pollicendum & iurandum vt ambularent in lege Dei. Sic & nos in die baptismatis, cùm primum ab antiqua iniquitate ad Deum redimus, omnibus antiqui hostis operibus cunctisque pompis eius abrenunciare promisimus,Verbum enim, Abrenuncio, promissionem designat: quemadmodum *a* olim in Ecclesia primitiua monachus renunciabat vitæ diuisibili, vtique promittés.Vouete,ait *b* Augustinus, &reddite domino Deo nostro omnes communiter. Quid debemus vouere?Credere in illum: sperare ab illo vitam æternam:bene viuere secundum cômunem modum.Est enim quidam modus cômunis omnibus. Furtum non facere, Adulterium non facere,Non amare vinolentiam qua ingurgitatur anima,& corrumpitur in se templum Dei: Non superbire,Non hominem occidere, Non odisse fratrem,Non aduersus aliquem tenere perniciem :omnibus in communi præcipitur ,hoc totum omnes vouere debemus. Aliud est votum de his quæ dominus non præcepit, sed tantum consuluit. quale erat Ananiæ & Sapphiræ,quibus dicit Petrus:

*1. Esd. 9.*

*Cap. 10.*

*Gregor. hom. 29. in euang. ad illud Mar. qui credide rit,&c. Vide Hierony. ad finem 1. lib. Apolog. cõtra Rufinum, & Bedã histor. Anglor. li. 3. ca. 19.*

*a. Vide Dionys. Areop. li. de eccle. hier. ca. 6.*

*b. In P, 4.75*

*Act. 5.*

Nonne ager manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? De quali voto dicit Moyses: Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Alij, ait Augustinus, vouent, etsi experti coniugium, vltrà nihil tale pati, nihil tale concupiscere aut sustinere, & ipsi vouerunt aliquid maius quàm coniugati. Alij virginitatem ipsam ab ineunte ætate vouent, vt nihil tale vel experiantur, quale illi experti sunt, & reliquerunt: & isti vouerunt plurimum. Alij vouent domum suam esse hospitalem omnibus sanctis aduenientibus. magnum votum vouent. Alius vouet relinquere omnia sua distribuenda pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem sanctorum: magnum votum vouit. Iterum, aliud votum fit simpliciter domino Deo: aliud verò Deo in sanctis habitanti. vt, quando quis vouet aliquid offerre sanctæ Mariæ aut sancto Petro. Sensus enim huius voti est: Voueo Deo qui habitat in sancta Maria aut Petro, ad honorem Mariæ & Petri: sicut capite 117. nostræ explicationis Symboli, hos sermones, Templum sancti Petri, dies festus sancti Petri, exposuimus: quemadmodum etiam hîc suprà exposita sunt iuramenta quæ fiunt per creaturas. Notandum tamen est, hoc speciale esse in voto quod quis facit creaturæ, quòd Deo fiat vt eius creatura honoretur. Quamobrem, cum honor non cõpetat nisi rationali creaturæ, votum non fit irrationalibus creaturis, quamuis per eas iuretur. Rursum diuiditur votum in priuatum vo-

*Deu.23.* *In eundem Psal.* *Fol.70.71.*

tum,quod ſcilicet in abſcondito fit, & votum ſolenne, quod fit in conſpectu Eccleſiæ.

*Quomodo violetur votum.* CAP. X.

OBligatur verò homo præſtare quod Deo promiſit, non ſolùm ne Deum irreuerentia afficiat, ſicut obligatur iurans, ſed etiam ne Deo infidelis ſit. Eſt enim infidelitas erga Deum, longè maius peccatum quàm illa irreuerentia quam non comitatur infidelitas. Tot verò modis contingit hominem Deo inueniri infidelem, ſeu non ſeruantem promiſſum, quot modis violat pactum cum proximo initum: de quo circa iuramentum promiſſorium & periuria aliquid dictum eſt. Primò videlicet, ſi quod vouet, implere non ſtatuat dum vouet: vti faciunt illi qui vouent quidem vitam inſtituere ſecundũ regulam Benedicti vel Auguſtini, ſed quoniã eam à cęteris, qui eandem ipſam vouerunt, negligi vident, cogitant atque proponunt eam ſeruare ſicut eam ſeruari inueniunt, hoc eſt, proponunt eam violare. Hi vouendo Deum irrident. non minus tamen voto ſuo obligati ſunt, quàm ſi inter rectè regulam obſeruantes illud emiſiſſent. Secundò, hi in voto nomen Dei ad falſum aſſumunt, qui etſi reuera proponant id quod vouent implere, poſteà tamẽ aut omnino non implent (cuius generis fuerunt illi, de quibus Hieremiæ 34.) aut in parte duntaxat ſeruant: vt Ananias & Sapphira. Illi inſuper qui ita negligẽtes ſunt voti ſui, vt diutiſſimè ſic agant, quaſi non vouiſſent, & tandẽ

*Vide 1. epiſtolã Bernar.*

*Act. 5.*

post tempora longa primùm soluunt votum suum, grauiter peccant. Contra hæc vitia crebrò ait scriptura: Cùm votum voueris domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. quod autem semel egressum est de labiis tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es. Displicet Deo infidelis & stulta promissio. multoque melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.

*Deu.23.*

*Eccl.5.*

*De his qui vouent se malè facturos.* CAP. XI.

Contingit quoque homines vouere domino Deo id quod planè ei displicet, aut aduersatur consilio eius, vel rem vanam atque inutilem. & tunc non solùm vouendo, verumetiam propter votum id implendo quod promissum est, per irreuerentiam in Deum peccatur. vt cum vouet vxor, quod etiam inuito marito continebit. nam voueda continentia non est à coniugatis nisi ex communi consensu & voluntate: & si præproperè factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quàm persoluenda promissio. Neque enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid vouerit, sed potius vsurpare vetat alienum. Tunc quoque peccat homo implendo votum suum, quando rem vouet à principio quidem honestam, sed quæ post fit illicita per impræuisum quiddam emergens.

*Exemplum habes in Herode.*

*Augu. epist. 45. ad Armẽtar. & Paulinam.*

*Math. 14. & Mar. 6.*

*De his qui temerè atque irreuerenter vouent.*

CAP. XII.

SVnt qui timerè vouent atque ſtultè: vt, qui vouent ſe victuros ſecũdum aliquam regulã quam neſciũt. item, qui propter otium aliaque cõmoda carnis, ſiue timore hominum vouẽt religioſam vitam, non quærentes Dei honorem ſuamque ſalutem. Inſuper, qui nondum expẽſo an habeant ſumptus ad ædificandã turrim, incipiunt ædificare. quales ſunt illi qui vouent paupertatem vel continentiam perpetuã, non expenſo apud ſe an verè cupiãt in hoc mundo pauperem vel cœlibem vitam ducere, nondum expenſo, an verè ſtudere velint caſtitati vel renunciationi diuitiarum. Sunt alij qui vouent præſumẽdo ſe vota ſua propriis viribus impleturos, cùm nemo quicquã rectè domino voue rit, niſi ab illo acceperit, ſicut legitur, Quę de manu tua accepimus, damus tibi. Rurſus alij inueniuntur, qui vouent ſe victuros ſecundum regulam ſpiritalem Benedicti, & tamen in eorum conſortio vitam degere volunt, qui regulam planè negligunt. Apud eos vbi vouetur quod non ſoluitur, proponitur quod non impletur: cum ſcriptum ſit, Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit. amicus ſtultorum, ſimilis efficietur. Sunt alij, qui non ſatis expendentes maieſtatem dei, rem vilem & ludicram Deo vouent, quam honeſto viro non auderent offerre. De qualibus Malachias: Si, inquit, offeratis cæcum animal ad offerendum,

*Aug. epist.* 

*Cano. II. concil. Arauſic.*

*I. Par. 29.*

*Pro. 13.*

*Mal. 1.*

nónne malum est? Et si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuã, dicit dominus exercituum. & iterum: Maledi-
*Ibid. infrà.* ctus dolosus qui habet in grege suo masculũ, & votum faciẽs immolat debile domino, quia rex magnus ego, dicit dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus. Hi omnes, etsi vouendo peccent, non minus tamen votum obseruare tenentur, quàm si prudenter ac sanctè vouissent: sicut illi qui quacunque ratione inducti proximo suo aliquid iuramento promiserunt, propter Dei honorẽ implere tenentur. In extremo tamen casu contingere potest, quod malum esset implere votum: & tunc de eo iudicandum est, sicut præcedenti titulo dictum est.

*Pigrum non oportere esse ad vouendum.*

CAP. XIII.

*Aug. in Psal. 75.* IAm quia ista tractauimus, fortè volebas vouere, & modò non vis vouere. Sed quid tibi dicat Psalm⁹, attende. non dicit: Nolite vouere: sed, Vouete, & reddite. Quia audisti, Reddite. non vis vouere? Ergo vouere volebas, & non reddere. Imò vtrumque fac. Vnum sit ex professione tua, aliud ex adiutorio Dei perficietur. Aspice eum qui te ducit, & non respicies retrò vnde te educit. Qui te ducit, ante te ambulat: vnde te eduxit, post te est. Ama ducentem, & non te damnat retrò respicientem. Lõgè meliùs agit, qui votum suum complet,

quàm qui idem opus ad Dei honorem facit non ex voto. Non solum enim is Deo offert ipsum bonum opus, sed & potestatem & libertatē suam sicut ille multo plus dat qui arborem vnā cum fructibus dat, quàm qui solùm fructus. Non te vouisse pœniteat, inquit Augustinus, imò gaude iam tibi sic non licere quod cum tuo detrimēto licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipse adiuuabit, qui vota tua expetit. Fœlix est necessitas, quæ in meliora compellit. *Epist. illa. 5.*

*De votis eorum, qui in aliena sunt potestate.*

CAP. XIIII.

QVia domino non placet, vt ei alienum offeramus sine consensu eius ad quem spectat, ideo vxor, filius familias, seruus, & religiosus, in his in quibus subsunt marito, Patri, Domino, Abbati, nihil firmiter vouere possunt sine ipsius rectoris consensu. quòd si vouerint, non peccant, si debita cum conditione id faciant, si scilicet superiori votū placeat. At cùm superior audiens votum contradixerit, planè irritum est votum, nec quicquam obligat. Si verò non cōtradixerit, obligatur qui vouit, ad voti persolutionem. Si verò ante eius solutionem, cōsensum semel præstitum superior postea reuocauerit, non poterit subditus eo inuito votum adimplere, quanquam superior grauiter peccet, consensum semel præstitum reuocando. Hæc tradit dominus Numerorum 30. capite: quod caput (sicut iam diximus) in his votis in-

*Aug. ep. sto. eadem. Vide August. 59. q. in Nu. & epist. 199. quæ est ad Editiā.*

telligendum est, quibus vouentur talia, in quibus subditus subiectus est superiori. nam, exẽpli gratia, non habent hæc locum in voto castitatis, quod filius liber emittit, non in coniugio constitutis, vbi marito par est vxor: sed in his quæ ad regimen familiæ pertinent, vbi vir caput est mulieris & totius familiæ.

*1. Cor. 7.*

*Ephe. 5.*

## *De blasphemia.* Cap. XV.

Hvic secundo præcepto adiunguntur illa Dei præcepta, quibus quælibet Dei irreuerentia prohibetur. Principatum autem obtinet blasphemia Dei, quando quis scilicet in sermone suo ea de Deo asserit, quæ ei non competunt, aut negat de Deo, quæ ei conueniunt. Maior autem est tunc cum quis non solum falsum de Deo pronunciat, sed & maledicendo optat, vt bonitati Dei derogetur, siue hoc quis faciat simpliciter Deo maledicendo, siue sanctis eius improperando. nam hæc maledictio in ipsum Deum redundat. De hoc ait Sapiens, postquam de assidua iuratione locutus est: Est & alia loquela contraria morti (hoc est, maximè mortifera) non inueniatur in hæreditate Iacob. Vsqueadeò enim turpitudinem huius peccati exhorret scriptura, vt pulchris verbis tegat eá, vnde & benedictionem Dei & cõtrariam morti vocat eam, verbis scilicet contraria significantibus. De hoc peccato, ait Paulus: Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Hoc enim peccatum maximè cõtristat homines plenos spiritu san-

*Eccl. 23.*

*3. Re. 21.*
*Iob 2.*

*Eph. 4.*

cto. De hoc peccato & ipse Christus, Qui, inquit, me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. In negatione Petri debemus aduertere non solùm ab eo negari Christum, qui dicit eum non esse Christum: sed ab illo etiam qui cum sit, negat se esse Christianum. Dominus enim non ait Petro: Discipulum meum te negabis, sed, me negabis. Negauit ergo ipsum cum se negauit eius esse discipulũ. Imò pro negante Christum is etiam habetur, qui interrogatus etiam à pessimis de sua fide siue de aliqua parte doctrinæ Christianæ, erubescit confiteri doctrinam Christi, aut dicit, sibi non esse curæ huiusmodi quæstiones. Qui, inquit Christus, me confusus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice: & filius hominis confundetur eum, cum venerit il gloria patris sui cum angelis sanctis.

*Mat.10.*
*Aug. tracta-tu 113. in Ioã.*
*Mar.8.*

### *De docentibus falsa circa Christianam religioneus.* CAP. XVI.

HVc etiam illorum referenda est impietas, qui aliquid docent contrarium religioni Christianæ. Hi enim non solũ blasphemi sunt, sed & omnes alios blasphemare docent, à quibus tanquam lupis rapacibus cauendũ præcepit dominus, etiam si vestimentis ouium sese tegant, etiam si prædixerint signa & portenta, & ita euenerint, sicut prædixerunt.

*Mat.7.*
*Deu.13.*

### *De doctoribus Christianis, qui incerta vel friuola docent.* CAP. XVII.

SVnt & alij, qui cùm deberent verã doctrinam Christianam tradere, fabulis, & friuolis doctrinis vel incertis mentes hominum occupant. vt qui fictas sanctorum historias prædicant: qui incertas reliquias adorandas proponunt: qui valde sedulò apud populum disputant de conceptione B. Mariæ, an videlicet in originali peccato sit concepta: cùm ea quæstio recens sit mota, & nihil certi ab Ecclesia de ea re in particulari sit definitum. Sanè hi omnes magna irreuerentia afficiunt diuinam maiestatem, dum incerta vel ridicula eorum concionibus videtur Dei doctrina. Ideo Gelasius Pontifex rectè ait in Concilio septuaginta Episcoporum: Gesta sanctorum martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant, quis ista catholicorum dubitet, & maiora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed gratia Dei & adiutorio vniuersa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam cõsuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum qui conscripserunt, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus idiotis superflua, aut minus apta quàm rei ordo fuerit, scripta esse putantur: sicut cuiusdam Quirici & Iulittæ, sicut Georgij, aliorumque huiusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ, propter quod, vt dictum est, ne vel leuis subsannandi oriretur occasio, in sancta Rom. Eccles. non leguntur. Nos tamen,

*Vide extrauagantẽ Sixti 4. Graue nimis gerimus, &c.*

*Gelasius.*

*Eodẽ spectat canon 63. synodi sextæ in Trullo.*

men, cum prædicta Ecclesia omnes Martyres & eorum gloriosos agones, qui Deo magis quàm hominibus noti sunt, omni deuotione veneramur. Adiungendi sunt prædictis, qui extollere student vnum sanctum præ altero, quia carnali quadam deuotione plus vni quàm alteri afficiuntur: cùm solus ille gradum vniuscuiusque sancti sciat, qui cordis arcana rimatur, & inultum non sinet, si minimus sanctorum cõtemnatur, & sancti in quocunque gradu sint in regno cælorum, maximi sint, & in summa pace atque concordia agant. *Vide Thomã de Campis li.3.de imitatione Christi ca.63.*

## *De tentatione Dei.* CAP. XVIII.

IS dicitur Deum tentare, qui aliquid agit vel dicit ad explorandum quid possit vel sciat Deus, aut quàm pius sit. vt, quando filij Israël murmurauerunt contra Moysen, dicentes: Cur fecisti nos exire de Ægypto vt occideres nos & liberos nostros ac iumenta siti? quasi dominus non satis ostendisset, se curam eorum gerere, propter quos tot & tantis plagis afflixerat Ægyptios, demumque submerserat. quos præcedebat per columnam nubis in die, & per columnam ignis in nocte: quos siccis vestigiis traduxerat per mare: quibus pluebat manna de cælo. Vocauit ergo Moyses nomen loci illius Tentatio, propter iurgium filiorũ Israël, & quia tentauerunt dominum, dicentes: Estne dominus in nobis, an non? De quibus iterum Psalmista: Tentauerunt Deum in cordibus suis vt peterent escas animabus suis. Et malè locuti *Exo.17.* *Exo.7.8.9.10.* *Exo.13.* *Exo.14.* *Exo.16.* *Psa.77.* *Nu.11.*

sunt de Deo: dixerunt, Nunquid poterit Deus
Nu.20. parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt: Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Deinde & ille tentat Deum, qui aliquid ab ipso sine vtilitate, nullaque strictus necessitate petit. Id enim ad nihil aliud videtur vtile, quàm ad explorandã Dei potentiam, scientiam, misericordiam, vel iustitiam. vt, quando quis petit scire horam mortis suæ, siue quamdiu viuet: item, vbi sint animæ quorundam, quos scimus in impietate defunctos. item, si quis sineret se è loco sublimi deorsum cadere, sperans in Dei auxilio, vbi tamen gradus haberet, per quos descendere posset, vel ab hominibus ad id iuuari posset.
Mat.4. Vnde Christus, cùm ei super pinnaculum templi statuto conaretur diabolus persuadere, vt se sineret deorsum cadere, vbi erant gradus, per quos licebat descendere, & ad hoc persuadendum allegaret, diuinum per sanctos angelos
Psal.90. affuturum auxilium: Scriptum est, inquit,
Deu.6. Non tentabis dominum Deum tuũ. At si quis omni destitutus humano auxilio ad diuinum recurrat, tentator Dei dicendus non est, sed suis necessitatibus quærit auxiliũ: sicut ait Iosaphat:
2.Pa.20. In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quę irruit super nos. Sed cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te, Deus noster. Qui verò petit à Deo necessaria & vtilia, sed

negligit ea agere quæ requirit dominus vt exaudiat orantes (nempe non dimittit in se peccantibus, non humiliat se, vel aliqua alia, vt exaudiantur orationes, necessaria prætermittit) is non tam videtur quærere quæ petit, quàm experiri velle, an Deus possit hoc præstare, & velit ne illis qui immisericordes sunt ignoscere (vt exẽpli causa dicamus). Vnde Sapiens: Antẽ orationem, inquit, præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Grãdis verò Dei irreuerentia est tentatio Dei: quia ex ignorantia vel dubitatione de Dei potentia, scientia, iustitia, vel misericordia, procedit, de quibus nihil dubitare licet, sed certissima fide illa credere quisque tenetur. Pertinet ad sanam doctrinam, inquit Augustinus, vt quãdo habet quod faciat homo, non tentet dominum Deũ suum. Neque enim & ipse Saluator nõ poterat tueri discipulos suos, quibus tamen ait: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliã. Cuius rei prior exemplum præbuit. Nam cùm potestatem haberet ponendi animam suam, nec eam poneret, nisi cùm vellet, in Ægyptum tamen infans portantibus parentibus fugit, & ad diem festum non euidenter, sed latenter ascendit, cùm aliàs palam loqueretur Iudæis irascentibus, & inimicissimo animo audientibus, nec tamen valentibus in eum mittere manus. Qui ergo palam docendo & arguendo, & tamen inimicorum rabiem valere in se aliquid non sinendo, Dei demonstrabat potestatem: idem tamen fugiendo & latendo

*Mat. 6.* *Eccl. 13.* *Mat. 23.* *Eccl. 18.* *Lib. 22. cõtra Faustũ c. 36.* *Mat. 10.* *Ioan. 10.* *Mat. 2.* *Ioan. 7.* *Ibid. & Luc 11.* *Ioan. 10.*

hominis instruebat infirmitatem, vt Deum tentare non audeat, quādo habet quod faciat, vt quod cauere oportet, euadat. Neque enim & Apostolus Paulus desperauerat adiutorium protectionemque diuinam, fidemque perdiderat, quando per murum in sporta submissus est, vt inimicorum manus effugeret. Non ergo in Deum non credendo sic fugit, sed Deum tentaret, si fugere noluisset, cum sic fugere potuisset.

Act. 9.

*De sacrilegio.* CAP. XIX.

DEo non solùm secundùm se, fit irreuerentia, sed etiam quandocunque irreuerenter tractatur res sacra, seu quæ ad diuinum cultum est ordinata. vocaturque id sacrilegium, siue violatio rei sacræ. vt, quando persona Deo dicata irreuerenter tractatur, nempe (verbi causa) si quis sacerdotem percutiat, prædicatorem vel doctorem fidei derideat, virginem ad continentiam consecratam stupret. Sunt & aliæ res sacræ, in vario genere: quarum prima est scriptura sacra, quæ sacrilegè ad iocos adducitur. Ad quod sacrilegium pertinet, si quis nomine Iesu ac signo crucis ita vtatur, tanquam signa admirationis sint. Cùm enim sancti Patres in magnis & subitis periculis constituti soliti sint ad inuocandū Christum crucifixum se signare signo crucis, & nominare dulcissimum nomē Saluatoris: videmus hanc piam consuetudinē, in turpissimum sacrilegium versam, vt in qualibet re noua, turpi, vel ridicula audeamus nos

cruce signare, & tremendum illud nomen nominare. Inter res sacras secundum locum, imò præcipuum obtinent sacramenta Christi. Sed de sacrilegio quod cōtra ea committitur, satis oportunè & manifestè dicetur in tractatu de sacramentis. Sacrilegium etiam est, reliquias sanctorum aut imagines conculcare, vel irreuenter tractare. irreuerens quoque sacrorum vasorum aut vestium tractatio sacrilega est. Vestimenta (ait Stephanus, Papa primus eius nominis) quibus domino ministratur, cultusque diuinus omni cum honorificentia & honestate, à sacerdotibus, reliquisque Ecclesiæ ministris celebratur, & sacrata debent esse & honesta, quibus aliis in vsibus (quū Deo eiusque seruitio consecrata & dedicata sint) nemo debet frui, quàm ecclesiasticis & Deo dignis officiis: quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, nisi à sacratis hominibus: ne vltio, quæ Baltasar regem percussit, super hæc transgredientes & talia præsumentes, veniat diuina, & corruere eos faciat diuinæ vltionis iustum flagellum ad ima. Ante Stephanum etiam Sixtus primus, Papa martyr, & post eum Syluester, de sacris vasis similia dicunt. Est ergò vt hæc recogitent, quorum est curare vt munda sunt altaria, ne lacera sint sacra vestimenta, ne sordeant sacræ pallæ. Ex euangelio constat præterea, grande esse sacrilegium, ea in templo Deo dicato agere, quæ per seipsa impedimento sunt orationi, laudi diuinæ, piæ doctrinæ (ad quæ domus Dei dicata est) etiam si alioqui

*In prima eius epistola decretale ad Hila. episcopum in 1. to concil. Itē sub graui comminatione in concil. Braccar. 3. cap. 2.*

*Dan. 5.*

*Sixtus eod. to. in. 2. sua epist. Syluester in synodo Rom. act. 1. ca. 9. eodem to.*

licita sint: vt, emere vel vendere quæ Deo offeruntur. Quanto ergo grauius sacrilegium est, carnali commixtione vel sanguinis effusione locum illum polluere? Quanto sceleratius ibi furari, inebriari, fabulari, cachinnari? Quanto intolerabilius, libertatem loci illius violare, locum illum sordibus, parietesque obtectos araneis relinquere? Sacrilegium item est symonia, cùm res spiritales eisque annexæ, siue expressè, siue latenter emuntur, atque venduntur: Contra id quod dicit Christus, Gratis accepistis, gratis date. Cōtra quod & Malachias loquitur: Quis est, inquiens, in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? Non est mihi voluntas in vobis, dicit dominus & munus non suscipiam de manu vestra. Rursus sacrilegium est contemptus excommunicationis, aliarumque spiritalium pœnarum. item subtractio & imminutio aut defraudatio decimarum aliorumque ministris Dei pro sua sustentatione debitorum.

*Vide Aug. 10. tract. in Ioan.*

*Mat. 10.*

*Mal. 1.*

*1. Co. 9.*

*Leuitici vlt. Omnium decimarum, &c.*

*Non eligetur, &c.*

*Exo. 20.*

*Nec enim insontem habebit eum Dominus, qui assumpscrit nomen Domini Dei sui frustra.*

CAP. XX.

QVia homines proni sunt ad periuriū propter frequentiam iuramēti: meritò minas secūdo præcepto adiecit Dominus, quas dum ipsemet negatiuè explicat, minus dicit, & plus intelligit. Significat enim, se eum qui periurauerit, condemnaturum tanquam hominem maximè noxium. Porrò, quāta pœna perpetua, siue quām

acerba maneat periuros in futuro feculo, in hac vita liquidò nobis conftare non poteft. In hoc autem feculo quandoque in periuros vindicat Deus, vnde quid in futuro eis euenturum fit, coniectare poffumus. Fames occupauit terram Iudæorũ, etiam poft mortem Saul, propterea quòd Saul quafi zelo pro filiis Ifraël voluit occidere Gabaonitas, quibus ex ignorantia iurauerant filij Ifraël, quod non occiderent eos. Apud Ezechielem quoque de Sedechia periuro rege Babylonis fic legis: Núquid profperabitur, vel cõfequetur falutem qui fecit hæc? & qui diffoluit pactum, nunquid effugiet? Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in loco Regis qui conftituit eum Regem, cuius fecit irritum iuramentum, & foluit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. Et non in exercitu grãdi, neque in populo multo faciet cõtra eum Pharao prælium: in iactu aggeris, & in extructione vallorũ, vt interficiat animas multas. Spreuerat enim iuramentum, vt folueret fœdus, & ecce dedit manum fuam, & cum omnia hæc fecerit, non effugiet. Propterea hæc dicit dominus Deus, Viuo ego, quoniam iuramentum quod fpreuit, & fœdus quod præuaricatus eft, ponam in caput eius. * Quantum verò dominus offendatur voti violatione: iam olim primum nafcente Chrifti Ecclefia, dum cœpit oriri vita monaftica, in Anania & Sapphira fatis declaratum fuit. Quantum quoque Deo difpliceat blafphemia, ex Moyfe,

*2. Re. 21.* *Iofu. 9.* *Eze. 17.* *In nouo tefta mento Pius primus, etiã in periuros feuerè animaduertit, cõftitués, &c.* *Act. 5.* *Leu. 24.*

apud quē iussu diuino lapidatur blasphemus,
4.Re.19. colligere est. Item ex blasphemia Sennacherib, cui ait dominus: Cui exprobrasti? & quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, & eleuasti in excelsum oculos tuos? cō-
Ibid.g. tra sanctum Israel. Per manum seruorum tuorum exprobrasti domino. Propter hanc verò blasphemiam percussit angelus domini vna nocte in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia hominum: & ipse Sēnacherib à suismet filiis, dum in templo adoraret Deum suum, gladio percussus & occisus fuit. Patet idem ex eo quod ait dominus ad impiissimum Regem Achab: Hæc dicit dominus.
3.Re.20. Quia dixerunt Syri, Deus montium est dominus, & non est Deus vallium: dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & scietis quia ego sum dominus. Percusseruntque filij Israël de Syris centum millia peditum, in die vna, & cecidit murus super viginti septē millia Syrorum qui remanserant. Tēpore verò
1 Ti.1. noui testamenti Paulus blasphemos tradidit Sathanæ.

Falsa verò doctrina, apud Moysen tam se-
Deu.13. uerè puniri iubetur, vt nec fratri, nec filio, nec vxori, nec amico qui diligitur vt propria anima liceat parcere, vt non primi occidamus eum, si tentet nos à fide abducere. Imò iubet
Ibid. dominus ciuitatem à fide deficientem ita deleri, vt in detestationem sceleris in æternum non reædificetur, nec quicquam omnino etiam de optima suppellectile eius concupiscatur. De

his verò qui tentauerunt dominum, ipſe Dominus ſic loquitur: Omnes homines qui viderunt maieſtatem meam, & ſigna quæ feci in Ægypto & ſolitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, nō videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum, nec quiſquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. Quorum exemplo dehortantur nos ab omni tentatione Dei, omnique incredulitate, Propheta Dauid & Apoſtolus Paulus, dicentes: Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra, &c. Quid porrò mereantur ſacrilegi, in duobus filiis Aaron, Nadab & Abiu oſtenſum eſt, qui ignem alienum domino obtulerant, & altare eius (vt apparet) ebrij acceſſerant: vnde à domino egreſſus ignis eos deuorauit. Idem oſtēſum eſt in duobus filiis Heli, Ophni & Phinees, vno die occiſis, & euerſione familiæ eius, quæ mala Deus immiſit, propterea quòd non ſecundum legem adminiſtrabant ſacrificia populi. Rurſum in percuſſis quinquaginta millibus plebis & ſeptuaginta viris de populo Betſamitis, eo quod curioſiùs, contra domini pręceptum, intuiti eſſent ea quæ in arca domini. Item in percuſſione Oſæ, qui dum arcam labi metueret, inconſiderata quadam deuotione eam temerè tetigit. Occiſus fuit & Baltaſar rex, eique ablatum fuit regnum, propterea quòd vada domus Domini in prophano vſu vſurpauit. Certè ipſe Chriſtus manſuetiſſimus, iram magnam in ſacrilegos oſtendit, dum vio-

*Tentare dominum quam graue peccatum ſit.* *Nu.* 14. *Pſa.* 94. *Heb.* 3. *Leu.* 10. 1. *Re.* 4. 1. *Re.* 6. *Nu.* 4. 2. *Re.* 6. *Dan.* 5. *Ioan.* 2.

lentè eos è templo eiecit flagello, nummulariorumque mensas cum cathedris columbas vendentium euertit, & effudit æs, & dixit eos facere domum patris sui speluncam latronum dum non permisit vt quis vas siue instrumenta
*Mat.* 11. sua transferret per templum. Apostolus quoque Paulus dicit, propter indignam commu-
1.*Co*.11. nionem, præter damnationem æternam, multos factos infirmos & imbecilles, multosque propterea mori corporali morte. Sanè in omnin contra Deũ admissa irreuerentia locũ habet
1.*Re*.2. illud Heli, filios suos corripiẽtis: Si peccauerit vir in virũ, placari ei potest Deus. Si autem in dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Vbi designatur quàm difficilè qui in Deũ peccatum committunt, pœnitentiam veram agãt, quámque difficilè veniam obtineant.

## De tertio Præcepto.

### Cap. 1.

ADmodũ cõgruo ordine, postquàm prohibuit primo præcepto dominus ne quis transfugiat ad alienos Deos, & secundo omnem sui irreuerentiam: tertiò præcipit famulatum, & obsequium sibi exhiberi. Circa quod præceptum, seorsum tractandum est quid lex naturæ, & seorsum quid lex positiua Moysi vel Christianæ ecclesiæ exigat. Hoc enim tertium præceptũ est partim legis naturæ, partim legis positiuæ. Lege igitur naturæ præcipitur, vt aliquod tẽpus diuino cultui deputemus. Nam id

exposcit natura, vt vnicuiq; exercitio tẽp⁹ certũ assignetur: vt somno, labori, cibo sumendo deputata sunt diuersa tẽpora. quare & tempus designandũ est obsequio quod Deo debemus. Debetur verò Deo cultus & interior & exterior, prout animã & corpus ab eo accepimus.

*De cultu Dei interiore.* CAP. II.

IN libro Iob legitur: Ecce pietas, siue theosebeia est sapientia. Theosebeia porrò, si ad verbi originem Latinè expressã interpretaretur, Dei cultus dici poterat: qui in hoc maximè constitutus est, vt anima ei non sit ingrata. Vnde & in ipso verissimo & singulari sacrificio, Domino Deo nostro agere gratias admonemur. Gratiarũ autem actio, siue sacrificium, est omne opus (vt ait August.) quod agitur vt sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus, hoc est, quod ideò fit, vt nosipsos semel perfectè offeramus deo in laudem & gratiarum actionem: quod fiet in futuro seculo, quando bona voluntate Dei ex integro ædificati fuerint muri matris nostræ Hierusalem: sicut etiam ante lapsum homines puri atque integri ab omni sorde ac labe peccati seipsos Deo mundissimas hostias offerebant. Specialiter verò illo opere colitur Deus, quo nihil aliud agitur, quàm vt ei gratię agantur. Debentur autem Deo gratiæ pro beneficio creationis, quo creata est rationalis creatura ad imaginem & similitudinem Dei, sapiens & recta, vt æterna

*Iob.23. Aug.lib.de spir.&lit.ca. 11.& enchirid.2.*

*Li.10. de ciui.Dei,ca.6.*

*Aug. de ciui. Dei,lib.20. cap.26.*

fœlicitate frueretur Deo: quo, inquam, omnia alia creata sunt, vt rationali creaturæ seruirēt. Item pro beneficio, quo secundum ea quæ in creatione accepit, gubernatur. Atque hoc cultu tantum, & homo ante lapsum coluit Deū, & nunc glorificant Deum sancti angeli. At nunc post lapsum, multo amplius gratias agere debet homo pro beneficio redemptionis, seu quòd Deus hominem spoliatum dignitate creationis suæ, & in æternum perditum dignatus est suo sanguine reparare: ex quo beneficio venia scelerum commissorum obtinuit, & omnia bona opera sua vitamque æternam accepit. Debet ergo propterea gratias agere, nisi ingratus velit esse. Ingratus enim esset, si quod illi ex singulari admodum Dei gratia est, sibi tribueret. Vnde ait Apostolus: In omnibus gratias agite. & Psalmista: Benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam, &c. Et eo ipso, quo gratias pro redemptione agimus, etiam pro creatione agimus. Agnoscimus enim & quid beneficio creatoris acceperimus, & quid nostra culpa perdiderimus, quod nobis reddit redemptor. Hoc enim agit spiritus Christi, vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Hoc ipso, quo redemptorem glorificamus: bona quædam ex creatione nobis relicta esse testamur, quanquam vitiata & infirma, ideoque per Christum sananda at-

*1. Thessal. 5.*
*Psa. 102.*
*Aug. de spi. & lit. cap. 11.*
*Aug. de spi. & lit. ca. 27.*

que confortanda. Non solum autem gratiarum actione, & talibus piis operibus, quę primæuæ hominis dignitati conueniebant, iam post lapsum colitur Deus, sed etiam multo magis sacrificio spiritus contribulati, & cordis humiliati atque contriti, lugentisque super cunctis peccatis suis à se vel ab aliis perpetratis. Psal. 50. Lugentis, inquam, de hoc, quòd perfectè in hoc mundo Deum non possimus colere. sicut ait quidam mœrens: Velle adiacet mihi, Rom. 7. perficere autem bonū non inuenio. Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et alius: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, Psal. 41. dum dicitur mihi: Vbi est Deus tuus? qui & hortatur omnes, dicens: Venite, adoremus, Psal. 94. & procidamus, & ploremus ante dominum qui fecit nos. Multo frequentius nunc à lapsis & damnatis oratione humili Deus colitur, quàm gratiarum actione: quia magis nūc mala sentiuntur: spe verò tantum salui facti sumus. Rom. 8. Oportet (ait dominus) semper orare, & Luc 18. non deficere. Nunc colitur mortificatione cōcupiscentiæ carnalis, membrorumque afflictione, totiusque hominis reformatione. Obsecro Rom. 12. vos (ait Paulus) per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentē, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic seculo: sed reformamini in nouitate sensus vestri. Nunc maximè operibus misericordię, quę

## *Cultum Dei debere esse communem.*

### CAP. IIII.

NOn vnum aliquē tantū, sed omnes per vnum electos redemit Deus: vt ostenderet homines non se tantùm diligere debere, sed & alios omnès, vt tota redempta ciuitas, hoc est congregatio societasque sanctorum, vniuersale sacrificium offeratur Deo per sacerdotem magnum, qui etiā seipsum obtulit in passione pro vna sponsa sua Ecclesia. Ideoque non placet Deo sacrificium, quod priuatim quisque ei ex suo capite offert: sed vna fide, rituque publico, atque ab aliis etiam recepto coli vult à tota societate hominum. Vnde ait in Deuteronomio: Non facietis singuli, quod sibi rectū videtur. & iterū: Caue ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quē elegerit dominus, in vna tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcunque præcipio tibi. & paulò post: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito domino: nec addas quicquā nec minuas. Nihil aliud hîc designat dominus, quàm cultum Dei quem quis sibi fingit, sese ab aliis separās, Deo prorsus displicere. Quamobrem omni tempore, etiam ante Abraham, dominus visibili sacramento & ritu, quem vel per se, vel per fideles seruos suos præscripsit, coli voluit. Per Moysen autem manifestissimè varias cæremonias quibus coleretur instituit. quod non solum propterea factum creditur, vt homo sciret quomodo Deū coleret sine dissensione ab aliis,

*Aug. eiusdē li. ca. 6.*

*Vide concilij Gangrā. epi. & canonem vult.*

*Deu. 12.*

*Ibid.*

*Ibid. d*

*Gen. 4.*
*Gen. 8.*

*In Leuitico c. 1. & sequēt.*

ab aliis, ſed etiam vt confidentiam haberet, credens quod Deus ſibi non iraſceretur ob ingratitudiné, cum prę́ſcriptú ritum obſeruaret.

*De Sabbatho.* CAP. V.

EX omnibus cæremoniis legis Moyſi vna expreſſa eſt hoc tertio præcepto, requies videlicet ab operibus, die ſeptimo. Cuius ratio aſſignatur ex beneficio omnibus communi atque manifeſto, creationis videlicet omnium rerum. Sex enim diebus, *Exo.20.* ait, fecit dominus cælum & terram & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requieuit die ſeptimo. idcirco benedixit dominus diei ſabbathi, & ſanctificauit eum. Vbi etiam hoc aduertendum eſt, quòd redeunte ſemper hebdomade dominus coli voluerit, vt per ſanctificationem diei nunquam obliuiſcamur domini Dei qui ſanctificat nos. Hác quoque cæremoniam ita exigit dominus à nobis, vt etiam miſericordiæ in proximum exercendę rationem habeat. *Vide Hieron.ad illud 20.cap.Ezechielis: Eieci ergo eos de terra Aegypti, &c.* Vt requieſcat, ait, ſeruus tuus, & ancilla tua, *Ibidem.* ſicut & tu. Cum enim auarum atque crudele fuerit Iudæorum genus, nimiis laboribus fuiſſent oppreſſi ſerui, ſi nunquam requies Iudęis præſcripta fuiſſet. Hæc verò requies in ſeptimo die, etiam requiẽ æternã, ad quam omnes *Requies diei 7. figura fuit &c.* ſancti poſt labores peruenient, deſignat: ſicut poſt Eſaiam Apoſtolus docet. Vnde etiam meritò in præcepto quo Deus obſequium exigit, fit mentio huius requiei. Porrò cum vetus teſtamentum ad nihil aliud ſit ordinatum, quàm vt homo videns ſe non obſeruare cognitam

hominis instruebat infirmitatem, vt Deum tentare non audeat, quãdo habet quod faciat, vt quod cauere oportet, euadat. Neque enim & Apostolus Paulus desperauerat adiutorium, protectionemque diuinam, fidemque perdiderat, quando per murum in sporta submissus est, vt inimicorum manus effugeret. Non ergo in Deum non credendo sic fugit, sed Deum tentaret, si fugere noluisset, cum sic fugere potuisset.

*Act. 9.*

*De sacrilegio.* CAP. XIX.

DEo non solùm secundùm se, fit irreuerentia, sed etiam quandocunque irreuerenter tractatur res sacra, seu quæ ad diuinum cultum est ordinata. vocaturque id sacrilegium, siue violatio rei sacræ. vt, quando persona Deo dicata irreuerenter tractatur, nempe (verbi causa) si quis sacerdotem percutiat, prædicatorem vel doctorem fidei derideat, virginem ad continentiam consecratam stupret. Sunt & aliæ res sacræ, in vario genere: quarum prima est scriptura sacra, quæ sacrilegè ad iocos adducitur. Ad quod sacrilegium pertinet, si quis nomine Iesu ac signo crucis ita vtatur, tanquàm signa admirationis sint. Cùm enim sancti Patres in magnis & subitis periculis constituti soliti sint ad inuocandũ Christum crucifixum se signare signo crucis, & nominare dulcissimum nomẽ Saluatoris: videmus hanc piam consuetudinẽ, in turpissimum sacrilegium versam, vt in qualibet re noua, turpi, vel ridicula audeamus nos

cruce ſignare, & tremendum illud nomen nominare. Inter res ſacras ſecundum locum, imò præcipuum obtinent ſacramenta Chriſti. Sed de ſacrilegio quod cõtra ea committitur, ſatis oportunè & manifeſtè dicetur in tractatu de ſacramentis. Sacrilegium etiam eſt, reliquias ſanctorum aut imagines conculcare, vel irreuenter tractare: irreuerens quoque ſacrorum vaſorum aut veſtium tractatio ſacrilega eſt. Veſtimenta (ait Stephanus, Papa primus eius nominis) quibus domino miniſtratur, cultuſque diuinus omni cum honorificentia & honeſtate, à ſacerdotibus, reliquiſque Eccleſiæ miniſtris celebratur, & ſacrata debent eſſe & honeſta, quibus aliis in vſibus (quũ Deo eiuſque ſeruitio conſecrata & dedicata ſint) nemo debet frui, quàm eccleſiaſticis & Deo dignis officiis: quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, niſi à ſacratis hominibus: ne vltio, quæ Baltaſar regem percuſſit, ſuper hæc tranſgredientes & talia præſumentes, veniat diuina, & corruere eos faciat diuinæ vltionis iuſtum flagellum ad ima. Ante Stephanum etiam Sixtus primus, Papa martyr, & poſt eum Syluester, de ſacris vaſis ſimilia dicunt. Eſt ergo vt hæc recogitent, quorum eſt curare vt munda ſunt altaria, ne lacera ſint ſacra veſtimenta, ne ſordeant ſacræ pallæ. Ex euangelio conſtat præterea, grande eſſe ſacrilegium, ea in templo Deo dicato agere, quæ per ſeipſa impedimento ſunt orationi, laudi diuinæ, piæ doctrinæ (ad quæ domus Dei dicata eſt) etiam ſi alioqui

*In prima eius epiſtola decretali ad Hila. epiſcopum in I. to concil. Itẽ ſub graui comminatione in concil. Braccar. 3. cap. 2.*

*Dan. 5.*

*Sixtus eod. to. in. 2. ſua epiſt. Syluester in ſynodo Rom. act. 1. ca. 9. eodem to.*

licita ſint: vt, emere vel vendere quæ Deo offeruntur. Quanto ergo grauius ſacrilegium eſt, carnali commixtione vel ſanguinis effuſione locum illum polluere? Quanto ſceleratius ibi furari, inebriari, fabulari, cachinnari? Quanto intolerabilius, libertatem loci illius violare, locum illum ſordibus, parieteſque obtectos araneis relinquere? Sacrilegium item eſt ſymonia, cùm res ſpiritales eiſque annexæ, ſiue expreſsè, ſiue latenter emuntur, atque vendũtur: Contra id quod dicit Chriſtus, Gratis accepiſtis, gratis date. Cõtra quod & Malachias loquitur: Quis eſt, inquiens, in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuitò? Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit dominus & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Rurſus ſacrilegium eſt contemptus excommunicationis, aliarumque ſpiritalium pœnarum. item ſubtractio & imminutio aut defraudatio decimarum aliorumque miniſtris Dei pro ſua ſuſtentatione debitorum.

*Vide Aug. 10. tract. in Ioan.* *Mat. 10.* *Mal. 1.* *1. Co. 9.* *Leuitici vlt. Omnium decimarum, &c.* *Non eligetur, &c.* *Exo. 20.*

*Nec enim inſontem habebit eum Dominus, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.*

## CAP. XX.

QVia homines proni ſunt ad periuriũ propter frequentiam iuramẽti: meritò minas ſecũdo præcepto adiecit Dominus, quas dum ipſemet negatiuè explicat, minus dicit, & plus intelligit. Significat enim, ſe eum qui periurauerit, condemnaturum tanquam hominem maximè noxium. Porrò, quãta pœna perpetua, ſiue quam

acerba maneat periuros in futuro ſeculo, in hac vita liquidò nobis conſtare non poteſt. In hoc autem ſeculo quandoque in periuros vindicat Deus, vnde quid in futuro eis euenturum ſit, coniectare poſſumus. Fames occupauit terram Iudæorũ, etiam poſt mortem Saul, propterea quòd Saul quaſi zelo pro filiis Iſraël voluit occidere Gabaonitas, quibus ex ignorantia iurauerant filij Iſraël, quod non occiderent eos. Apud Ezechielem quoque de Sedechia periuro rege Babylonis ſic legis: Núquid proſperabitur, vel cõſequetur ſalutem qui fecit hæc? & qui diſſoluit pactum, nunquid effugiet? Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in loco Regis qui conſtituit eum Regem, cuius fecit irritum iuramentum, & ſoluit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. Et non in exercitu grãdi, neque in populo multo faciet cõtra eum Pharao prælium: in iactu aggeris, & in extructione vallorũ, vt interficiat animas multas. Spreuerat enim iuramentum, vt solueret fœdus, & ecce dedit manum ſuam, & cum omnia hæc fecerit, non effugiet. Propterea hæc dicit dominus Deus, Viuo ego, quoniam iuramentum quod ſpreuit, & fœdus quod præuaricatus eſt, ponam in caput eius. * Quantum verò dominus offendatur voti violatione: iam olim primum naſcente Chriſti Eccleſia, dum cœpit oriri vita monaſtica, in Anania & Sapphira ſatis declaratum fuit. Quantum quoque Deo diſpliceat blaſphemia, ex Moyſe,

*2. Re. 21.* *Ioſu. 9.* *Eze. 17.*

*In nouo teſtamento Pius primus, etiã in periuros ſeuerè animaduertit, cõſtituẽs, &c.* *Act. 5.* *Leu. 24.*

apud quē iussu diuino lapidatur blasphemus,
4.Re.19. colligere est. Item ex blasphemia Sennacherib, cui ait dominus: Cui exprobrasti? & quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, & eleuasti in excelsum oculos tuos? cōtra sanctum Israel.
Ibid.g. Per manum seruorum tuorum exprobrasti domino. Propter hanc verò blasphemiam percussit angelus domini vna nocte in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia hominum: & ipse Sēnacherib à suismet filiis, dum in templo adoraret Deum suum, gladio percussus & occisus fuit. Patet idem ex eo quod ait dominus ad impiissimum Regem Achab: Hæc dicit dominus.
3.Re.20. Quia dixerunt Syri, Deus montium est dominus, & non est Deus vallium: dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & scietis quia ego sum dominus. Percusseruntque filij Israël de Syris centum millia peditum, in die vna, & cecidit murus super viginti septē millia Syrorum qui remanserant. Tēpore verò
1 Ti.1. noui testamenti Paulus blasphemos tradidit Sathanæ.

Falsa verò doctrina, apud Moysen tam se-
Deu.13. uerè puniri iubetur, vt nec fratri, nec filio, nec vxori, nec amico qui diligitur vt propria anima liceat parcere, vt non primi occidamus eum, si tentet nos à fide abducere. Imò iubet
Ibid. dominus ciuitatem à fide deficientem ita deleri, vt in detestationem sceleris in æternum non reædificetur, nec quicquam omnino etiam de optima suppellectile eius concupiscatur. De

his verò qui tentauerunt dominum, ipse Dominus sic loquitur: Omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto & solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, nō videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. Quorum exemplo dehortantur nos ab omni tentatione Dei, omnique incredulitate, Propheta Dauid & Apostolus Paulus, dicentes: Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra, &c. Quid porrò mereantur sacrilegi, in duobus filiis Aaron, Nadab & Abiu ostensum est, qui ignem alienum domino obtulerant, & altare eius (vt apparet) ebrij accesserant: vnde à domino egressus ignis eos deuorauit. Idem ostēsum est in duobus filiis Heli, Ophni & Phinees, vno die occisis, & euersione familiæ eius, quæ mala Deus immisit propterea quòd non secundum legem administrabant sacrificia populi. Rursum in percussis quinquaginta millibus plebis & septuaginta viris de populo Betsamitis, eo quod curiosiùs, contra domini pręceptum, intuiti essent ea quæ in arca domini. Item in percussione Osæ, qui dum arcam labi metueret, inconsiderata quadam deuotione eam temerè tetigit. Occisus fuit & Baltasar rex, eique ablatum fuit regnum, propterea quòd vada domus Domini in prophano vsu vsurpauit. Certè ipse Christus mansuetissimus, iram magnam in sacrilegos ostendit, dum vio-

*Tentare dominum quam graue peccatum sit.* *Nu.14.* *Psa.94.* *Heb.3.* *Leu.10.* *1.Re.4.* *1.Re.6.* *Nu.4.* *2.Re.6.* *Dan.5.* *Ioan.2.*

lentè eos è templo eiecit flagello, nummulariorumque mensas cum cathedris columbas vendentium euertit, & effudit æs, & dixit eos facere domum patris sui speluncam latronum dum non permisit vt quis vas siue instrumenta
*Mat.* 11. sua transferret per templum. Apostolus quoque Paulus dicit, propter indignam commu-
1.*Co*.11. nionem, præter damnationem æternam, multos factos infirmos & imbecilles, multosque propterea mori corporali morte. Sanè in omni contra Deũ admissa irreuerentia locũ habet
1.*Re*.2. illud Heli, filios suos corripiẽtis: Si peccauerit vir in virũ, placari ei potest Deus. Si autem in dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Vbi designatur quàm difficilè qui in Deũ peccatum committunt, pœnitentiam veram agãt, quámque difficilè veniam obtineant.

## De tertio Præcepto.

### Cap. 1.

ADmodũ cõgruo ordine, postquàm prohibuit primo præcepto dominus ne quis transfugiat ad alienos Deos, & secundo omnem sui irreuerentiam: tertiò præcipit famulatum, & obsequium sibi exhiberi. Circa quod præceptum, seorsum tractandum est quid lex naturæ, & seorsum quid lex positiua Moysi vel Christianæ ecclesiæ exigat. Hoc enim tertium præceptũ est partim legis naturæ, partim legis positiuæ. Lege igitur naturæ præcipitur, vt aliquod tẽpus diuino cultui deputemus. Nam id

exposcit natura, vt vnicuiq; exercitio tēp⁹ certū assignetur: vt somno, labori, cibo sumendo deputata sunt diuersa tēpora. quare & tempus designandū est obsequio quod Deo debemus. Debetur verò Deo cultus & interior & exterior, prout animā & corpus ab eo accepimus.

*De cultu Dei interiore.* CAP. II.

IN libro Iob legitur: Ecce pietas, siue theosebeia est sapientia. Theosebeia porrò, si ad verbi originem Latinè expressā interpretaretur, Dei cultus dici poterat: qui in hoc maximè constitutus est, vt anima ei non sit ingrata. Vnde & in ipso verissimo & singulari sacrificio, Domino Deo nostro agere gratias admonemur. Gratiarū autem actio, siue sacrificium, est omne opus (vt ait August.) quod agitur vt sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus, hoc est, quod ideò fit, vt nosipsos semel perfectè offeramus deo in laudem & gratiarum actionem: quod fiet in futuro seculo, quando bona voluntate Dei ex integro ædificati fuerint muri matris nostræ Hierusalem: sicut etiam ante lapsum homines puri atque integri ab omni sorde ac labe peccati seipsos Deo mundissimas hostias offerebant. Specialiter verò illo opere colitur Deus, quo nihil aliud agitur, quàm vt ei gratię agantur. Debentur autem Deo gratiæ pro beneficio creationis, quo creata est rationalis creatura ad imaginem & similitudinem Dei, sapiens & recta, vt æterna

*Iob.23. Aug. lib. de spir. & lit. ca. 11. & enchirid. 2.*

*Li. 10. de ciui. Dei, ca. 6.*

*Aug. de ciui. Dei, lib. 20. cap. 26.*

fœlicitate frueretur Deo: quo, inquam, omnia alia creata sunt, vt rationali creaturæ seruirẽt. Item pro beneficio, quo secundum ea quæ in creatione accepit, gubernatur. Atque hoc cultu tantum, & homo ante lapsum coluit Deũ, & nunc glorificant Deum sancti angeli. At nunc post lapsum, multo amplius gratias agere debet homo pro beneficio redemptionis, seu quòd Deus hominem spoliatum dignitate creationis suæ, & in æternum perditum dignatus est suo sanguine reparare: ex quo beneficio yenia scelerum commissorum obtinuit, & omnia bona opera sua vitamque æternam accepit. Debet ergo propterea gratias agere, nisi ingratus velit esse. Ingratus enim esset, si quod illi ex singulari admodum Dei gratia est, sibi tribueret. Vnde ait Apostolus: In omnibus gratias agite. & Psalmista: Benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam, &c. Et eo ipso, quo gratias pro redemptione agimus, etiam pro creatione agimus. Agnoscimus enim & quid beneficio creatoris acceperimus, & quid nostra culpa perdiderimus, quod nobis reddit redemptor. Hoc enim agit spiritus Christi, vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Hoc ipso, quo redemptorem glorificamus: bona quædam ex creatione nobis relicta esse testamur, quanquam vitiata & infirma, ideoque per Christum sananda at-

*1. Thessal. 5.*
*Psa. 102.*
*Aug. de spi. & lit. cap. 11.*

*Aug. de spi. & lit. ca. 27.*

que confortanda. Non solum autem gratiarum actione, & talibus piis operibus, quę primæuæ hominis dignitati conueniebant, iam post lapsum colitur Deus, sed etiam multo magis sacrificio spiritus contribulati, & cordis humiliati atque contriti, lugentisque super cunctis peccatis suis à se vel ab aliis perpetratis. *Psal.50.* Lugentis, inquam, de hoc, quòd perfectè in hoc mundo Deum non possimus colere. sicut ait quidam mœrens: Velle adiacet mihi, *Rom.7.* perficere autem bonũ non inuenio. Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et alius: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac no- *Psal.41.* cte, dum dicitur mihi: Vbi est Deus tuus? qui & hortatur omnes, dicens: Venite, adoremus, *Psal.94.* & procidamus, & ploremus ante dominum qui fecit nos. Multo frequentius nunc à lapsis & damnatis oratione humili Deus colitur, quàm gratiarum actione: quia magis nũc mala sentiuntur: spe verò tantum salui facti su- *Rom.8.* mus. Oportet (ait dominus) semper orare, & *Luc 18.* non deficere. Nunc colitur mortificatione cõcupiscentiæ carnalis, membrorumque afflictione, totiusque hominis reformatione. Ob- *Rom.12.* secro vos (ait Paulus) per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentẽ, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic seculo: sed reformamini in nouitate sensus vestri. Nunc maximè operibus misericordię, quę

Heb.13. Communionis. miseris conueniunt, colitur Deus: sicut ait Apostolus, Beneficentiæ & communicationis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.

*De exteriore Dei cultu.* CAP. III.

EXterior & visibilis Dei cultus signum est interioris atque inuisibilis. vt adoratio, siue flexus corporis ad Dei honorem: vocalis oratio atque laus. Ad quæ Deo offerenda, habemus nō solum Dauidis, sed etiam ipsius Christi exemplum. Habemus Apostolorum Pauli atque Iacobi præceptum. Docentes, inquit Paulus, & commonentes vosmetipsos in Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Visibile quoque sacrificium, sacrificij inuisibilis, quo totos nos offerimus Deo, signum est. Ideoque sicut hoc, ita & illud soli Deo debetur. Qui, inquit Moyses, immolat Diis, occidetur, præterquam domino soli. Nam vt alia nūc taceamus, quę pertinent ad religionis obsequium, quo colitur Deus: sacrificium certè nullus hominum est qui audeat dicere deberi, nisi Deo soli. Multa denique de cultu diuino vsurpata sunt, quę honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera: ita tamen, vt quibus ea deferūtur, homines haberentur, qui dicūtur colendi & venerandi: si autem eis multum additur, & adorandi, Quis verò sacrificādum censuit, nisi ei, quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit? Quàm porrò antiquus sit in

Colo.3.

Exo.22. Aug. de ciui. Dei, lib. 10. cap. 4.

ſacrificando Dei cultus, duo illi fratres Cain Gen.4.
& Abel ſatis indicant: quorum maioris Deus
reprobauit ſacrificium, minoris aſpexit. Quis Aug. eiuſdē
autem ita deſipiat, vt exiſtimet aliquibus vſi- li.cap.5.
bus Dei eſſe neceſſaria, quæ in ſacrificiis offe-
rũtur? Quod cùm multis locis diuina ſcriptu-
ra teſtetur, ne longum faciamus, breue illud de
pſalmo commemorare ſuffecerit: Dixi domi- Pſa.15.
no, Deus meus es tu, quoniam bonorũ meo-
rum non eges. Non ſolùm igitur pecore, vel
qualibet alia re corruptibili atque terrena, ſed
ne ipſa quidem iuſtitia hominis, Deum egere
credendum eſt, totumque quo rectè colitur
Deus, homini prodeſſe, non Deo. Neque enim
fonti ſe quiſquam dixerit profuiſſe ſi biberit,
aut luci ſi viderit. Nec quòd ab antiquis patri-
bus talia ſacrificia facta ſunt in victimis peco-
rum, quæ nunc Dei populus legit & non facit,
aliud intelligendum eſt, niſi rebus illis eas res
fuiſſe ſignificatas, quæ agũtur in nobis, ad hoc
vt inhæreamus Deo, & ad eundem finem pro-
ximo cõſulamus. Vnde dominus per prophe-
tam: Si, inquit, eſuriero, non dicam tibi: meus Pſa.49.
eſt enim orbis terræ & plenitudo eius. Nun-
quid mãducabo carnes taurorum, aut ſangui-
nem hircorum potabo? tanquam diceret: Vti-
que ſi mihi neceſſaria eſſent, non à te peterem,
quæ habeo in poteſtate. Deinde ſubiungens
quid illa ſignificẽt: Immola, inquit, Deo ſacri-
ficium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Et
inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, &
glorificabis me.

*Cultum Dei debere esse communem.*

CAP. IIII.

NOn vnum aliquē tantú, sed omnes per vnum electos redemit Deus: vt ostenderet homines non se tantùm diligere debere, sed & alios omnes, vt tota redempta ciuitas, hoc est congregatio societasque sanctorum, vniuersale sacrificium offeratur Deo per sacerdotem magnum, qui etiá seipsum obtulit in passione pro vna sponsa sua Ecclesia. Ideoque non placet Deo sacrificium, quod priuatim quisque ei ex suo capite offert: sed vna fide, rituque publico, atque ab aliis etiam recepto coli vult à tota societate hominum. Vnde ait in Deuteronomio: Non facietis singuli, quod sibi rectum videtur. & iterū: Caue ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quē elegerit dominus, in vna tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcunque præcipio tibi. & paulò post: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito domino: nec addas quicquā nec minuas. Nihil aliud hîc designat dominus, quàm cultum Dei quem quis sibi fingit, sese ab aliis separās, Deo prorsus displicere. Quamobrem omni tempore, etiam ante Abraham, dominus visibili sacramento & ritu, quem vel per se, vel per fideles seruos suos præscripsit, coli voluit. Per Moysen autem manifestissimè varias cæremonias quibus coleretur instituit. quod non solum propterea factum creditur, vt homo sciret quomodo Deú coleret sine dissensione ab aliis,

*Aug. eiusdē li. ca. 6.*

*Vide concilij Gangrā. epi. & canonem vult.*

*Deu. 12.*

*Ibid.*

*Ibid. d*

*Gen. 4.*
*Gen. 8.*

*In Leuitico c. 1. & sequēt.*

ab aliis, ſed etiam vt confidentiam haberet, credens quod Deus ſibi non iraſceretur ob ingratitudiné, cum pręſcriptũ ritum obſeruaret.

## *De Sabbatho.* CAP. V.

EX omnibus cæremoniis legis Moyſi vna expreſſa eſt hoc tertio præcepto, requies videlicet ab operibus, die ſeptimo. Cuius ratio aſſignatur ex beneficio omnibus communi atque manifeſto, creationis videlicet omnium rerum. Sex enim diebus, ait, fecit dominus cælum & terram & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requieuit die ſeptimo. idcirco benedixit dominus diei ſabbathi, & ſanctificauit eum. Vbi etiam hoc aduertendum eſt, quòd redeunte ſemper hebdomade dominus coli voluerit, vt per ſanctificationem diei nunquám obliuiſcamur domini Dei qui ſanctificat nos. Hác quoque cæremoniam ita exigit dominus à nobis, vt etiam miſericordiæ in proximum exercendę rationem habeat. Vt requieſcat, ait, ſeruus tuus, & ancilla tua, ſicut & tu. Cum enim auarum atque crudele fuerit Iudæorum genus, nimiis laboribus fuiſſent oppreſſi ſerui, ſi nunquam requies Iudęis præſcripta fuiſſet. Hæc verò requies in ſeptimo die, etiam requié æterná, ad quam omnes ſancti poſt labores peruenient, deſignat: ſicut poſt Eſaiam Apoſtolus docet. Vnde etiam meritò in præcepto quo Deus obſequium exigit, fit mentio huius requiei. Porrò cum vetus teſtamentum ad nihil aliud ſit ordinatum, quàm vt homo videns ſe non obſeruare cognitam

*Exo. 20.*

*Vide Hieronym. ad illud 20. cap. Ezechielis: Eieci ergo eos de terra Aegypti, &c.*

*Ibidem.*

*Requies diei 7. figura fuit &c.*

*Aug. epistol. 157. ad Optatū paulò post initium, & c. 24. li. 2. de pecca ori. & spir. & lit. ca. 9. & epist. 95.*

legem, prauum sese esse agnosceret: merito, sicut præcepta est ei tota lex naturæ, in primæua institutione ipsius naturę humano cordi indita: ita etiã ille dies ei obseruãdus indictus est, qui maximè conueniens erat ex prima hominis institutione, nempe septimus. Cùm enim sex diebus cuncta sint condita, ex quibus incitandus erat homo ad Deum colendum, & in eo requiescendum: quis dierũ potiùs requiei & cultui diuino deputandus fuit, quàm ille qui omnes sex subsequitur, in quo Deus creator à nouis rebus creãdis cessauit, cui benedixit, dũ in eo multiplicauit gubernatione sua à se creata: quem sanctificauit, dum in illo homo ex consideratione creaturarum meritò in amorẽ creatoris exardescere debuit, ab ipso Deo sanctificandus. Videte (ait dominus) vt sabbathũ meum custodiatis: quia signum est inter me & vos in generationibus vestris, vt sciatis quia ego dominus, qui sanctifico vos.

*Exo. 31.*

## *Quid fuerit Iudæis præceptum in die septimo.* CAP. VI.

*Exo. 20.*

MEmento, ait dominus, vt diem sabbathi sanctifices. In quo vero hæc sanctificatio sita esset, ostẽdit dum subiecit: Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autẽ die sabbathũ domini Dei tui est: nõ facies omne opus in eo, tu, filius tuus, & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est

intra portas tuas Vbi mādatur requies ab omni opere ſeruili, hoc eſt, ab eo corporali opere, ad quod ſerui & iumenta ſpecialiter deputantur. Imo illicitum erat Iudæis die ſabbathi coquere cibum, aut iter agere: ſicut legis. Exod. 16. *Exo.16.*
Requies ſabbathi ſanctificata eſt domino cras. quodcunque operandum eſt, facite: & quæcūque coquenda ſunt, coquite. Maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum, nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo. Similiter illicitum erat eis vēdere aut emere: vt patet vltimo cap. 2. Eſdræ. At neceſſitatem corporis ſui vel aliorum ſubleuare, damnum ſubitūm auertere, in Dei ſeruitio occupari, non prohibebatur die Sabbathi. Vnde qui ſabbatho comedebat, medebatur homini, aſinum adaquabat, vel ē fouea ouem extrahebat, ſabbathum non violabat. *Mat.12. Nu.28. 1.Ma.2.* Similiter nec Sacerdotes in templo operantes, aut Machabæi ſabbatho bello ſe defēdentes. Verum, putandum non eſt, Deum hominis otio delectari: ideoque non præcepit ei ſimpliciter ceſſationem ab opere, ſed vt requieſceret ad proteſtandum exterius, ſe gratias agere deo, qui ipſum hominē & omnia alia propter eū creauit ſex diebus, & ceſſauit ſabbatho vt homo ex omnibus operibus ſex dierum incitaretur ad requieſcendum in Deo ſanctificatore ſuo. Vnde qui ſeruili opere ſe occupabant die ſeptimo, etiam exterius, violabat ſabbathum. At qui otio ſabbathi non tanquam proteſtatione gratiarū actionis pro beneficio

creationis vtebatur, sed tantummodo vt otiaretur siue requiesceret, non seruabat verè sabbathum: quanquam non tam grauiter peccaret quam qui etiam exterius violabat. At qui otio sabbathi ad hoc solùm vtebatur, vt nequitias suas liberiùs perageret: is plus peccabat, quã qui externo opere alioqui licito violabat. Nam hîc tantum præceptum de obseruando sabbatho violabat: ille vero & hoc pręceptum & aliud. Vnde Esaias de violantibus sabbathum, quia requiem non ordinant nisi ad suas voluptates exercendas: Si, inquit, auerteris à sabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris sabbathum delicatum, & sanctum domini gloriosum, & glorificaueris eum dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem: tunc delectaberis super domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Et Augustinus. Obserues sabbathum non quomodo Iudæi obseruabãt sabbathum carnali otio. Vacare enim ad nugas atque luxurias volunt. Meliùs enim faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quàm in theatro seditiosus existeret: & melius fœminæ eorum die sabbathi tota lanam facerent, quàm tota die in neomœniis suis impudicè saltarent. Qui vero ad hoc requiescit, vt protestetur se memorem beneficiorum Dei, & nihilominus incidit in peccatum: non propterea putandus est violasse pręceptum de obseruando sabbatho: sicut nec ille

*Esa. 58.*

*Li. de decem chordis. ca. 3. Et concione 1. in Psa. 32. ad hoc Confitemini domino in cythara.*

legis ieiunij transgressor est, qui nulla alia causa à cibo abstinet, quàm quia auaritia suggerit, aut vt magis intendere possit litibus, & debitis suis repetendas. De qualibus Esaias: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsque ad hāc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. At qui ieiunat, vt diei festo se magis idoneū reddat, etsi in aliud peccatum incidit, propter hoc non peccat contra legem ieiunij. *Esa.58.*

*De abolitione sabbathi & veterum caeremoniarum.* CAP. VII.

OMnes veteris testamenti cæremoniæ Christum nasciturum, moriturum, resurrecturum, & ascensurum in cælum, sessurumque ad dexteram Patris præsignabant, sicut ipse ait: Lex vsque ad Ioannem prophetauit. & Apostolus: Cibus & potus (scilicet Iudaicus) pars diei festi, neomeniæ, sabbatha, vmbra sunt futurorum, corpus autem Christi. Si igitur hæc facta & celebrationes, quæ figuræ erant ventura prænunciantes, adhuc à Christianis fierent, nihil significaretur nisi nondū venisse, quæ tunc figuris prænunciabantur. Quod enim adhuc futurū prænunciatur, aut nondum venit, aut si iam venit, superfluò vel fallaciter prænunciatur. Qui ergo venit legem & prophetas non soluere, sed adimplere, ipsa adimpletione abstulit ea, per quæ adhuc promittebatur implendum, quod *Mat.11.* *Col.2.* *Aug. contra Faust. li.19. cap.8.* *Idem eiusdē li.ca.16.*

iam constat impletum: tanquam si verba ista tolleret, nasciturus, passurus, resurrecturus, quæ cùm adhuc futura essent, rectè dicebantur, & institueret dici, Natus est, passus est, resurrexit, quæ illis completis, & ob hoc ablatis, rectè dicuntur. Prænunciabant verò cæremoniæ Christi natiuitatem & mortem atque resurrectionem, non simpliciter, sed hæc etiam hominibus manifesta fore. Vnde dicit Christus vsque ad Ioannem prophetasse legem, hoc est, vsque ad prædicationem Ioannis. Ex eo enim (vt ait Christus) regnum Dei euangelizatum est. & ipse Christus apertè ab eo demõstratus, quod antequam faceret Ioannes, sic prædicabat: Veniet fortior post me, non vtique in mundum (nam iam triginta ferè annis vixerat) sed in notitiam Iudæorum. Vnde & Paulus: Priùs quàm veniret fides, inquit, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidẽ quæ reuelanda erat. Prout igitur venit reuelatio fidei, deficere cœperũt cæremoniæ legis: & vbi plenè mundo declaratus est Christus, cõsummata est prorsus omnis actio prophetica cæremoniarum, ideoque prorsus illicita facta: vsqueadeò vt meritò illi, qui circuncisionem vel solam retinere voluerunt, vel in parte aliqua festi Paschalis iam coruscante Euangelio voluerunt retinere Iudaicas cæremonias, seruando scilicet Pascha decima quarta luna quacúque die incideret, errasse sunt iudicati, & ab Ecclesiá reiecti. Dies autem requiei siue sabbathum, significabat illam lucem æternam

*Mat. 11.* *Luc 19.* *Mar. 2.* *Gala. 3.* *Vide August. cod. li. c. 17.* *Vide Epip. in heres. Nasareorũ & Ebionitatẽ 29. & 30. & Thessarescadecatitarum, quæ est 50. in li. 2*

Christum quandoque sese ita demissurum, vt formam serui acciperet, & seipsum exinaniret ad hunc finem, vt homines perpetuam requiẽ animabus & corporibus suis in eo inuenirent. Quando igitur dominus Christus homo factus est, & ad requiescendum in se apertè homines inuitauit, ausus est Iudaicum sabbathũ soluere, dum homini à se sanato iussit tollere grabatum suum: sicut ait Ioannes, Iesus nõ solùm soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.

*Vide Augu. tracta. 17. in Ioan. & Cirillum lib. 2. ca. 126. & 132. in Ioan. & Aug. & Hiero. epist. de legalibus. Ioan. 5.*

*De exteriore Dei cultu in nouo testamento: & de præceptis Ecclesiæ.*

CAP. VIII.

ABolito igitur ritu legis Moysi, alia Sacramenta instituit Christus: de quibus posteà. Pręcepta quoque adiecit Ecclesia, quibus colendi Deum rationem ac modum præscripsit, quæ præcepta, tanquam ab ipso domino tradita recipiẽda sunt, sicut ait Apostolus, cùm Corinthiis quædam præcepisset, ad quæ iure diuino vel naturali non tenebantur: Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia domini sunt mãdata. Si quis autem ignorat, ignorabitur. *1. Cor. 14.* Vnde meritò Ærius tanquam hæreticus condemnatus est, quòd diceret Catholicis: Quid est Pascha quod apud vos perficitur? Iudaicis fabulis rursus addicti estis: Nõ enim oportet, inquit, Pascha peragere, Pascha enim nostrũ immolatus est Christ⁹. *Apud Epiph. in eius hæres. quæ est in 75.*

*li.3. Vide idē apud Augu. in li. de heres. ad Quodvult deum.*

Sed neque ieiunium, inquit, erit ordinatum, hoc eſt, ſtatuta lege certis diebus ieiunia non ſunt obſeruanda. Hæc enim, inquit, Iudaica ſunt, & ſub iugo ſeruitutis. Iuſto enim lex non eſt poſita, ſed patricidis & matricidis & reliquis. Si enim omnino volo ieiunare, qualemcūque eligam diem à meipſo, & ieiunabo propter libertatem. Sanè quicquid tota per orbē frequentat Eccleſia, hoc quin ità faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Illa enim quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata atque ſtatuta retineri: ſicuti quod domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cælum, & aduentus de cælo Spiritus ſancti, anniuerſaria ſolennitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrerit quod ſeruatur ab vniuerſa quacunque ſe diffundit Eccleſia. In his ergo rebus, de quibus nihil certi ſtatuit ſcriptura diuina, mos populi Dei, vel inſtituta maiorum, pro lege tenenda ſunt: & (vt inquit Hieronymus) vnaquæque prouincia, præcepta maiorum leges Apoſtolicas arbitretur.

*Aug. c. 5. epiſ. 118. ad Ianu. Idem eiuſdem epiſt. ca. 1.*

*Vide Auguſt. in epiſt. 86. ad Caſul.*

*In epiſt. ad Luciniū Beticum.*

*De primo præcepto Eccleſiæ, ſcilicet obſeruatione feſtorum: & primo de feſto Paſchæ, & Penthecoſtes, & dominica.*

CAP. IX.

IN primis igitur dies festos præscripsit Ecclesia, quibus beneficiorum Dei sacramus memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio. Et quia iã Christi illustratione agnoscimus, nos perdidisse primæ institutionis nobilitatẽ, nec posse ex contẽplatione creaturæ, in sex diebus cõditę ad amorẽ Dei veráque sanctificationẽ pertingere, non iã amplius septimo die feriamur, sed,tanquã tota hac mortali vita denuo fingẽdi, atque rursum creandi,primum diem celebramus. Hoc enim die & prima creatio inchoata est, & tanquam nos de nouo creaturus, ac ne frustra creatũ sit opus Dei acturus dominus Iesus Christus,per resurrectionem suam totus nouus apparuit, & multiplici gloriæ suæ manifestatione, imò sui corporis palpatione, Spiritus sancti quoque ad aliis remittendũ peccata donatione, discipulos suos lætificauit. Hoc die sedens ad dexteram Patris, plenè glorificatus ab omnibus angelis, effuso Spiritu sancto nouitatem nostram quam in hoc mundo obtinere possumus, vt tandem sicut ipse resurrexit resurgamus, designauit atque inchoauit, incendens corda discipulorum suorum amore sui, atque gratia linguarum eos donans, vt per eos in omnes omnium linguarum gẽtes illud dilataretur euangelium, quod prædixit Ioël: Omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit, imo, operatione Spiritus sancti, & vera inuocatio, & vera salus omnibus gentibus daretur. Rectè igitur nos Chri-

*Aug. de ciui. Dei. li. 10. cap. 4.*

*Ioel. 2.*

ſtiani in memoriam tantorum beneficiorum ſingulis annis celebramus Paſcha, quando Chriſtus pro nobis paſſus ignominioſam crucis mortem reſurrexit, amplius non moriturus, nobis perfectæ ſpem immortalitatis præbens: & Penthecoſten, quando Eccleſiam ſuã cœpit ædificare in hoc mundo, eamque paſſionis ſuæ atque reſurrecti nis participem efficere. quibus diebus vt plenè hæc beneficia recolerentur, meritò plures dies, in gratiarum actione & lętitia trãſigendi, adiecti ſunt ab Ecclesia. Sanè & Apoſtoli hæc feſta celebrarunt. Sępè etenim meminit Apoſtolus Paulus Penthecoſtes, quę ſine Paſchate non ſubſiſtit. Loquens vtique non de Iudæorum Penthecoſte, ſed Chriſtianorum: illa etenim abolita erat. Imò, ne horum beneficiorum vnquam ſubrepat obliuio, ſingulis hebdomadis celebrantes primum diem, horum renouamus memoriam. Diem autem dominicum dicimus, quia propter domini reſurrectionem, & glorię eius per Spiritum ſanctum agnitionem, domino dicatus eſt. Quem ſic etiam appellauit Ioannes in Apocalypſi. Fui, ait, in ſpiritu in dominica die. Et non ſolùm ex Ioanne, ſed etiam ex Luca & Paulo conſtat, prima ſabbathi, hoc eſt dominica, ſolere conuenire Chriſtianos ad Deo gratias agendum, ad audiendum verbum Dei, ad communicandum corpori domini: & ſolere eos tunc eleemoſynas peculiariter pauperibus elargiri. Vnde Lucas: Vna, inquit, ſabbathi, hoc eſt, prima ſabbathi, cum cõueniſſemus ad

*Vide Epiph. in hæreſ. Aerij quæ eſt 75.*

*Apo. 1.*

*Act. 20.*

frangendum panem (hoc est, communicandū) Paulus disputabat cum eis, &c. & Paulus: De collectis, ait, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam sabbathi vnusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei benè placuerit. *1. Co. 16.*

Hoc verò prętereundum non est, quod eo modo agimus Pascha, vt non solum in memoriam id quod gestum est reuocemus, nempe quòd Christus mortuus est, & resurrexit, sed etiam cætera quę circa ea attestantur ad Sacramenti significationem, non omittamus. Quia enim tunc Christus transiit de morte ad vitam, & mortuus est propter delicta nostra, resurrexitque propter iustificationem nostram, etiā transitus noster de peccato ad iustitiā, de morte ad resurrectionem, in passione & resurrectione eius designatus est. Ideoque, quo satis explicetur hæc significatio, obseruatur circa festum Paschæ cursus Solis & Lunæ, qui in aliis festis, quæ tantum in præteriti beneficij memoriam celebrantur, nō obseruatur. Vnde fit, vt ea semper ad eundem anni diem redeāt: vt Natalis domini perpetuò celebretur octauo calendas Ianuarij: non ita Paschæ festum, festaque ex eo pendentia. Quin & ipsum nomen Paschę huic Sacramento attestatur, quod nempe transitum significat. Quò respiciens Ioannes: Ante diem festū Paschę, inquit, sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrē, &c. Hoc & dominus attingit, *Vide Aug. ca. 1. & sequen. epist. 119. quæ est ad Ianua.* *Ioan. 13.*

*De obseruatione festorũ est canon 36. in 1. concil. Maguntien.* cùm inquit: qui credit in me, in iudicium non venit, sed transit à morte ad vitam.

*Ioan. 5.*

## *De aliis Christi festis.* CAP. X.

*Luc. 1.* PRæter Pascha, Penthecosten eisque adiunctos dies, & dominicum diem: celebramus insuper filij Dei conceptionem, cùm octauo calendas Aprilis in vtero virginis cõceptus est de Spiritu sancto. *Luc. 1.* Manifestationem quoque incarnationis eius per piam Mariæ & Elizabet collationem, Ioannisque in materno adhuc clausi vtero exultationem: *Agg. 2.* *Luc. 2.* item eius natiuitatem, quando desideratus cunctis gentibus saluator, in Bethleem Iudæ ex vtero virginis nobis nasci dignatus est octauo calendas Ianuarij. Octauo verò à natiuitate, *Luc. 2.* recolimus circuncisionem, nominisque dulcissimi impositionem. At die decimo tertio à Natali, Theophania est siue Epiphania (hoc est, Dei apparitio siue illustratio) qua non solùm celebramus quòd indicio stellæ mirabilis ab Orientalibus est cognitus, & ab eis inuentus, *Mat. 2.* tanquam Rex regum, tanquam Deus verus & homo moriturus est adoratus: sed & omnia miracula, quibus se mundo manifestauit: propter quod etiam eo die eum recolimus à Ioanne baptizatum, *Mat. 3.* vbi testãte Patre & Spiritu sancto, & ex eorum testimonio ipso Ioanne, filius Dei esse declaratus est. *Ioan. 2.* Et sub primo miraculo, quo ex aqua vinum fecit in nuptiis, designantibus nuptias Christi & Ecclesiæ, reliqua intelligimus. Imò dies iste ideo singularis est lętitiæ, quod tunc Deo gratias agamus

pro vocatione gentium, quarũ primitiæ erant Magi. Quadragesimo vero die à natiuitate Christi, præsentationem eius celebramus, qua Deo oblatus est in templo, ibique à iustis lumen omnium gentium & redemptor Israël palàm pronunciatus. Ex his autem omnibus apparet, Christianis non solùm virilem ætatẽ Christi, sed & ipsam infantiam eius, gaudij causam esse. Ipse enim Deus & homo, ab ipso initio suæ conceptionis salutem nostram operari cœpit: & vt omnis ætatis homines saluos faceret, etiam miserrimam ætatem, infantilem scilicet, assumpsit. *Vide Leonem in ser. 2. 3. &c. de Epiphan.* *Leu. 12.* *Luc 2.*

At quadragesimo die ab eius resurrectione celeberrima nobis adest eius ad cælũ ascensio. Hoc enim die vsque ad dexteram Patris vidẽtibus & lętantibus discipulis supra omnes angelos humanam naturam nostram sublimauit: dictusque sic venturus ad iudicandum viuos & mortuos, sicut visus est ascendere. Suauissimi verò Sacramenti Eucharistię: per quod ipse dominus Christus, Rex noster, altare nostrum, sacerdos noster, & mundissima hostia, perpetuo nobis adest: per quod animas nostras pascit, & corporibus spem resurrectionis tribuit: per quod memoriam passionis, resurrectionis, ascensionis, sessionis eius ad dexteram Patris, secundi sui aduẽtus regnique ęterni in nobis iugiter seruat: huius, inquam, suauissimi sacramenti institutionem merito singulari cum lętitia celebrant Christiani. *Act. 1.*

At in dedicationis templi festo, gratiæ agũ-

tur Deo, quod nostram regionem quondam desertam, ac à dæmonibus habitatam, ita illustrare dignatus sit, vt etiam (nobis condescendens) sensibilem domum sibi eligeret, in qua & laudari, & rogari, & prædicari pacificè posset: in qua orantes, facilius quam alibi exaudiret: in qua omnia sacraméta tribueret. Ex qua domo corporali intelligimus totam Ecclesiá esse templum Deo munda conuersatione consecrandum, postea que ei in æternum offerendum. Hæc sunt festa, quibus gratias agimus de inenarrabilibus beneficiis nobis per Christum collatis.

## *De festis sanctorum.* CAP. XI.

IMo sanctorum festa non sanctis, sed Christo Saluatori sanctorum sunt dicata. Hinc enim est quod Ecclesia nõ recolit certis diebus sanctos veteris testamenti, quia iam non Christum nasciturum expectamus (quod prædixerunt sancti in veteri testamento) sed Christum natum esse gaudemus, sicut sancti post eius passionem confessi sunt. Hinc Mariam virginem, in cuius vtero tremendum incarnationis mysterium perfectum est, tantopere celebramus, non contenti illo die quo migrauit ad cælos eam colere, sed & eius initia, cóceptionem atque natalem, ob incarnationis Christi amoré libentissimè honoramus: præsertim cum sciamus eam filiorum Euæ aduocatam constitutam, quę per fidem soluit, quod Eua per incredulitatem alligauerat. Certè fidei pietas vndique colligit occasio-

nem gratias agendi pro aduentu & tota dispẽsatione Dei & hominis. Vnde etiam facilè videmus, festum inuentionis siue exaltationis crucis Christi esse susceptum. Fides enim non satiatur memoria passionis Christi. Ioannes quoque Baptista, qui agnum tollentem peccatum mundi, mirabili prędicatione pœnitentię & baptismo suo præcucurrit, & posteà palàm ad eüe testatus est, pietate vitæ fide dignissimus testis: natali suo (ante quem etiam Christo testimonium perhibuit) lætissimum nobis facit diem. Apostolos autem, tanquam Christi regnantis legatos, per quos de tenebris infidelitatis ad cognitionem eius peruenimus, qui primi plantauerunt fidem in cordibus nostris, nunquam possumus celebrare satis. Inter eos tamen præcipuè honoramus Petrum & Paulum: non solum quia nobis Occidentalibus Apostoli missi sunt, & apud nos pro Christo sanguinem suum fuderunt: sed etiam, quia in his magna mysteria agnoscimus. Ille enim fundamentum Ecclesię tanquam firmissima quædam rupes vere Petrus à Christo cõstitutus est: cuius firmitate fiet, vt portæ inferi nunquam præualeant aduersus Ecclesiam, cuius fides indeficiens propter Christi preces consolidabit & confirmabit & pascet oues Christi, donec Christus iterum adueniet. Hic vero præcipuus prędicator gratię Christi à Deo constitutus est, qui non verbo tantum, sed & mirabili cõuersione sua admirandaque vita, & tot gentium impiissimarum conuersione, gratiam Dei

*Ireneus paulò post mediũ lib. 5. contra heres. Idem lib. 3. cap. 34.*
*Ioan. 1.*
*Luc. 1.*
*Mat. 16.*
*Luc. 22.*
*Act. 9.*

manifeſtauit. Ob quæ myſteria recolenda, etiam plura feſta in vtriuſque Apoſtoli honorem meritò ab Eccleſia ſunt dedicata: Paulo quidem feſtum conuerſionis, Petro vero cathedræ & vinculorum, præter amborum natalem.
Act. 7. Stephanus autem & Laurentius Chriſti fidem morte fortiſſima, ſimul & charitatis plena, confeſſi ſunt, cùm etiam ante operibus miſericordiæ fuiſſent inſignes. Nec fruſtrà etiã
Mat. 2. infantes illos, qui cùm dominus Ieſus Chriſtus necandus ab Herode quæreretur, occiſi ſunt, in honorem martyrum receptos commendat Eccleſia. Diſcimus enim. in eorũ feſto quod Chriſtus, vt nullum tempus ei eſſet abſque miraculo, ante vſum linguæ poteſtatem verbi tacitus exercebat: & quaſi iam diceret,
Mat. 19. Sinite paruulos venire ad me, ipſorum enim eſt regnum cælorum, noua gloria coronabat infantes, & de initiis ſuis paruulorum primordia conſecrabat, vt diſceretur, neminem hominum diuini non capacem eſſe ſacramenti, quàndo etiam illa ætas gloriæ eſſet apta martyrij. Nicolaus vero atque Martinus, quorum ille in Orientali, hic in Occidentali eccleſia floruit, eleemoſynis & continentia excellentes, pij populi Chriſtiani paſtores: Chriſti aduentum confeſſi ſunt. Denique Catherina virginitate & martyrio, Magdalena ardore fidei atque pœnitentia, in Chriſti laudem, meritò dies celebres Chriſtianis reddunt. Vbi verò nota eſt vita viri alicuius pietate inſignis, & à maioribus, qui eam inſpexerunt, continua ſucceſſio-

ſucceſſione in memoria cuſtodita: etiam apud poſteros, ſiue vbi pretioſæ reliquiæ ſunt recõditæ, iure ibi ſpeciali lætitia celebratur Natalis ſancti illius. Non eſt enim dubium, populum iuuari ſpeciali illius patrocinio. Michaëlis autem & omnium angelorum memoriam *Mat.18.* ideo recolimus, vt Deo gratias agamus, quod *Apo.7.* illos ſpiritus nobiliſſimos, qui ſemper vident *Heb.1.* faciem eius, eumque aſſiduè laudant, dederit nobis cuſtodes, & contra multiplices diaboli *Tob.12.* & angelorum eius inſidias protectores ac defenſores, noſtrarumque orationum ad cælum perlatores, qui per ſuas preces Deo noſtras commendent: bonarum cogitationum ſuggeſtores, & animarum noſtrarum hinc emigrantium in ſinum Abrahæ portatores. Gratias, *Luc.16.* inquam, agamus Deo, quod nobis per ſanguinem ſuum cæleſtes ſpiritus reconciliauit, & *Colo.1.* *Mat.22.* æternam cum eis conſortij ſpem largitus ſit. Quia vero innumeris modis innumerabilis multitudo ſanctorum domino Chriſto gloriã dedit: prouida tanquam mater filiorum ſalutis noſtræ Eccleſia, ſciens nos pro fragilitate vitæ huius non poſſe ſingillatim omnia ſanctorum merita recolere, vnum diem dicauit, in quo Deo pro omnibus quæ ſanctis ſuis dedit muneribus, gratias agamus, & vt eorum precibus & meritis iuuemur ſupplicemus: ſicut & in ſingulorum ſanctorũ feſtis non ſolùm gratias agimus, ſed etiam per eos iuuari eoſque imitari à Deo flagitamus, ſcientes noſtræ vtilitatis cauſa omnia feſta eſſe inſtituta. Exempli

causa: In festis Apostolorum Deum rogamus, vt oues suas pius non deserat, sed respiciens in Apostolos suos dignetur operarios mittere in messem suam, qui instar Apostolorum populum domini saluum faciant. In festis martyrũ fidei constantiam atque patientiam. In festis confessorum & virginum, castitatem, sobrietatem, & misericordiam in proximos, à Deo postulamus: atque ita in cæteris festis. Habet & alios dies ecclesia, non quidem festos, sed quibus specialiter precatur vt Deus conuertat nos ad se, & auertat iram suam à nobis: dies videlicet rogationum & ieiuniorum. item quibus veniam fidelibus defunctis precatur: vt in cuiusque fidelis morte, & postridie calendas Nouembris. Sanè si singulorum festorum mysteria quantumuis imperitis explicentur vtcũque: non facilè inuenietur aliquis tam obtusus, vt ea mysteria fidei, quæ quilibet Christianus nôsse tenetur, ignoret.

*Ad quid teneatur homo die festo.*

CAP. XII.

PRæcepto Ecclesiæ tenemur sic requiescere diebus festis ab operibus, quẽadmodum olim Iudæi tempore legis. Vnde nõ solùm seruilia opera prohibita sunt, sed & alia quædam hominem à Dei cultu abstrahentia: vt, mercatus, placitum (siue ad aliquid decernendum congregatio concilij) iudicare aliquem ad pœnam vel mortem, præstare iuramentum: nisi fiat pro pace, vel alia necessitate. Item, strepitus iudiciarius, nisi fortè

*Li. 2. decret. tit. de feriis: cap. Omnes & ca. Licet.*

*Ibid. cap. Cõquestus.*

necessitas vrgeat, vel pietas suadeat. Sed in his omnibus, quia Ecclesia non tam seuerè præcipit istam requiem atque olim lex Moysi, quãdo causa significationis futurorum præcepta erat requies sabbathi & aliorum festorum: introspicienda est consuetudo populi christiani, siue piorum, vt optima legum Ecclesiæ interpres: per quam fit, vt liceat cibum & potum pauperibus die festo emere, proficisci, multaque similia agere. Sic festorum principium & finis, iuxta eorum qualitatem & diuersarum regionum consuetudinem, debet attendi, & sicut magnitudo longitudoque dierum exigit, priùs incipere & tardiùs terminari. Tenetur autem homo diebus festis requiescere in memoriam beneficij redemptionis, & prout varia sunt festa, redemptionis mysterium concernentia, ita & varios articulos fidei circa nostram redemptionem recolere oportet: sicut Iudæi in memoriam creationis seruabant sabbathum, in memoriam liberationis de Ægypto Pascha, & in festo Penthecostes debebant coram sacerdote profiteri, se accepisse promissam terram. Ad hoc enim Ecclesia varia festa instituit, vt homines per ea articulos fidei memoriæ commendarent. Vnde omnes illos articulos, qui per solemnitatem festorum publicantur in Ecclesia, omnes, etiam rudes, explícite credere tenentur.

*Fod. lib. & tit. ca. Quoniam.*

*Deu. 26.*

*De secundo præcepto Ecclesiæ: Missa cuilibet audienda in die festo.*

CAP. XIII.

VT autem ad Dei beneficia recolenda magis adducerétur homines, pręter requiem seruandam in die festo, præcipitur etiam, vt quolibet die festo vnusquisque Missam audiat, hoc est, vt se pręsentem atque deuotum tremendo sacrificio exhibeat. Hoc enim sacrificium præcipue in memoriam dominicæ mortis atque resurrectionis, qua redempti sumus, à Christo est institutum. Porrò hoc pręceptum magis in cõsuetudine populi Dei, quàm in aliquo Patrum canone est fundatum, sicut & præcedens præceptum de dominica & festis Christi celebrãdis, nulla enim horum præceptorum inuenitur origo post Apostolos. Proinde, ab ipsis Apostolorum temporibus pro lege creditur recepta ista consuetudo. Etsi enim inueniantur posteriora Concilia, quæ de Missa audienda aliquid videntur attingere, magis tamen vel locum vel modum audiendi Missam, quàm Missam audire præcipiunt. In hoc quoque secundo præcepto respiciendæ sunt consuetudo locorum atque regionum, hominumque necessitates.

*Concil. Agathen. canon. 31. & 47. canon. 8. sextæ synodi Cõstantino. & Aure. 1. cap. 8.*

Quanquam autem Ecclesia non præceperit expresse, vt singulis dieb⁹ festis audiatur cõcio sacra, idque ideo (vt arbitror) quòd soli episcopi soleãt verbũ Dei prædicare, quos vtique non omnes semper, ob varias necessitates, audire poterant (vnde in concilio Vasensi legitur: Hoc pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro vtilitate totius populi nobis

*Vide tamen 4. carthag. cap. 4.*

*Cano. 4.*

placuit, vt non solùm in ciuitatibus, sed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus presbyteris potestatem: ita vt si presbyter, aliqua infirmitate prohibente, per seipsum non potuerit prædicare, sanctorum Patrum homiliæ à Diaconibus recitentur) attamen lege naturæ atque fidei tenentur Christiani ea discere, quæ saluti suæ sunt necessaria: quæ cũ extra sacras cõciones ferè non discantur (paucissimis enim donatum est, vt nullo sibi homine prædicante, per ipsum dominum, vel angelos cælorum doctrinam salutis accipiant: multis verò id est donatum, vt Deo per homines credant) non facilè licet cõcionem negligere, nec pastori prædicationem verbi Dei omittere. Atque in hac re omnium episcoporũ sanctorum habemus exempla, quàm seduli nimirum fuerint in docenda & exhortanda plebe sua. & sicut Apostoli apud Lucam dicunt, se debere instare orationi & ministerio verbi. Ita & Paulus docet Timotheum atque Titum: ita Gregorius docet in Pastorali, pastoris esse docere, exhortari, & corripere plebem. & Prosper libri 1. de vita contemplat. cap. 20. & 23. Et in cõcilio Maguntino, celebrato anno domini 8013. sic legitur: Si fortasse Episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus est, aut aliqua causa exigente non valuerit: nunquam tamẽ desit diebus dominicis aut festiuitatibus qui verbum Dei prædicet, & iuxta quod intelligere vulgus potest. Synodus verò Ticinensis dicit sacerdotum incuriam nullatenus excu-

*Aug. de bono perseue. cap. 19.*

*Act. 6. 2. Tim. 2. & 4. Tit. 2.*

*Cap. 25. Videatur etiam ca. 2. concilij Tolet. 11.*

*Est in 2. tomo concilio.*

ſandam, quominus doctrina & prædicatio in populum procuretur.

*De abuſu feſtorum.* CAP. XIIII.

VAlde negligenter ſeruantur feſta à Chriſtianis: nō propterea quod ruſtici audita Miſſa & concione aliquantulum temporis honeſtæ recreationi impendunt, hoc eſt enim quædam requies eorum qui tota hebdomada laborarunt, quàm dominus in præcepto ſuo non negligit: Vt requieſcat, inquiens, ſeruus tuus & ancilla tua, ſicut & tu. nec etiam propterea quod tunc homines paulo lautius ſua corpora reficiunt, vel ſeſe cultius veſtiunt (modo tamen non putent ſe Deo per iſta ſecundum ſe accepta placere, ſed ea aſſumant vt ſigna ad ſpiritalem lætitiam incitantia) rationabile enim & quodammodo religioſum videtur, per diem feſtum in veſtitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis oſtendere, ipſam quoque orationis domum propenſiore tunc cura & ampliore cultu adornare: Sed ideo, quia plurimi carnali otio vacantes, totos dies in chartis vel aleis aut venationibus (per quas etiam Dei cultus negligitur) tranſigunt, item in choreis impudicis, ebrietatibus, comeſſationibus, litibus, aliiſque ſceleribus. Imò, quod dictu eſt mirabile atque horribile, ipſi ſacerdotes, ipſi ſenatores his vitiis tum etiam dant operam. Videmus multos tunc ad vana (ne dicam impia) ſpectacula magis quàm ad templa concurrere. Rurſum alij etiam tunc, cum

*Deu. 5.*

*Leo ſer. 3. de Quadrageſi.*

pauperes non ſint, magnaque non ſit eis neceſſitas, proficiſcuntur: alij tunc magis quam aliis diebus computui & rationibus vacant, ita vt merito dicamus cum lugente Propheta: Viæ Sion lugent, eo quod non ſint qui veniant ad ſolemnitatem. & compleatur quod ait ſecundus liber Machabæorum: Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti ſunt, ſed contempto templo, & ſacrificiis neglectis, feſtinant participes fieri paleſtræ, & præbitionis iniuſtæ, patrios honores nihili habentes, Græcas glorias optimas arbitrantes. Audiamus quid minetur Dominus ſacerdotibus apud Malachiam, & quid eſſe reputet ſolemnitatem malè cuſtoditam. Ecce, inquit, ego proiiciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum & aſſumet vos ſecum. Vident abuſus noſtros Turcæ & hæretici atque Iudæi: & completur illud Hieremiæ, Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbatha eius. Imò rectè ſibi facere videntur dum dicunt: Quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra, vt ſemel omnis memoria beneficiorum Dei è cordibus humanis abradatur. At noſtrum eſt, non propter abuſus tollere feſta è medio, ſed ex myſteriis feſtorum palam propoſitis auferre abuſus.

Thre.1.
2.Ma.4.
Mala.2.
Thre.1.
Pſal.73.

*De tertio præcepto Eccleſiæ, & obſeruatione ieiuniorum.* CAP. XV.

*Epist.86.ad Casul.* EGo, ait Augustinus, in Euangelicis & Apostolicis literis, totoque instrumento quod appellatur Testamentú nouum, animo id reuolués, video præceptum esse ieiunium. Quibus auté diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto domini vel Apostolorum non inuenio definitum. *Aug.ea.15. epist.119.ad Janua.* Quadragesima sanè ieiuniorum habet authoritatem, & in veteribus libris ex ieiunio Moysi & Heliæ: *Exodi 24. 34.3.Re.19.* & ex Euangelio, quia totidem diebus dominus ieiunauit, *Mat.4.* demonstrans Euangelium non dissentire à lege & Prophetis. *Mat.4.* Et quanquam non possimus quadraginta diebus ab omni cibo abstinere, sicut abstinuit dominus, conuenit tamen vt pro modulo nostro eum imitemur in ieiunio: sicut & in humilitate, patientia, misericordia, & perfecta charitate, quoniam nobis dicitúr: *Mat.11.* Discite à me quia mitis sum, & humilis corde: *Luc.6.* &, Estote misericordes sicut & pater vester misericors est: *Matt.5.* imò, Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.

Quòd verò dominus se imitandum proposuerit nobis in ieiunio suo, etiá hinc patet, quod post ieiunium eo modo quo nos tentari solemus, pro nobis tentari dignatus est. *a Aug civitate episf.119 ca.17.* a Vt igitur hi quadraginta dies in ieiunio obseruétur ante Pascha, Ecclesiæ consuetudo roborauit. Nos, ait *b In epist.ad Marcellam aduersus Mōtanum.* b Hieronymus, vnam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno tempore nobis congruo ieiunamus. Montanistę tres in anno faciunt quadragesimas, quasi

tres passi sint Saluatores: non quòd & per totum annum, excepta Penthecoste, ieiunare nō liceat, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre. Ideoque dicit Apollonius (apud Eusebium in historia Ecclesiastica) Montanum primum leges ieiuniorum imposuisse: quia ipse primus plures quadragesimas in anno necessarias esse docuit. Et sanè nulla inuenitur origo ieiunij vnius quadragesimæ post Apostolos: vt liqueat ab eis traditum esse quadragesimæ ieiunium. Telesphorus quidem (à Petro septimus Papa Romanus) inueniens iam quadragesimam ab omnibus fidelibus obseruari, adiecit, vt clerici aliquot dies ieiunando laicos excederent: Cognoscite, inquit, à nobis & à cūctis Episcopis, in hac sancta & Apostolica sede congregatis, statutum esse, vt septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici in sortem domini vocati à carne ieiunent: quia sicut discreta debet esse vita clericorum à Laicorum conuersatione, ita & in ieiunio debet fieri discretio. Similiter ex *a* Apostolicis traditionibus habemus, ter in anno tres dies ieiunio esse consecratos: circa Penthecosten, quando frumentum collectum est vel colligitur: in Septembri, quando vinum ad torcular fertur: & in Decembri, circa quod tempus exprimitur oleum. His ieiuniis adiecit *b* Calixtus Papa, à beato Petro decimus quintus etiam quartum tempus: vt iam vocentur ieiunia quatuor temporum. Et licet à quibusdam hoc quartum tempus ieiunij obseruari

*Lib. 5. ca. 18.*

*Epistola 1.*

*Sic cōc. Laodice. ca. 50. etiā totā 40. vult ieiunari nec resolui in die cœnæ dominicæ.*

*a Vide Leo. ser. 1. decimi mensis: & ser. 2. de ieiu. Pē thecost. Vide ca. 34. concil. 1. Maguntiē.*

*b Eius epist. 1. Vide Damas. in vita Calixti.*

*Vide cano. 2. concil. Salezůstadiensis.* soleat ipsis calendis Martij aut circiter, etiam si nondum aduenisset quadragesimale ieiuniũ, iam tamen non nisi in quadragesima (quanquam solennius quàm reliquis diebus) obseruatur. Et vel ob hoc imprimis ieiunia hęc quatuor temporum solenniter admodum persoluenda sunt, quòd tunc sacris ordinibus initientur futuri sacerdotes & pastores Ecclesiæ. Meritò ergo tunc dominus rogatur, vt mittat operarios in messem suam. Ieiunia igitur ex doctrina sancti Spiritus ita per totius anni circulum distributa sunt, vt lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Siquidem ieiunium vernum in Quadragesima, æstiuũ in Penthecoste, autumnale in mẽse septimo, hyemale autem in decimo celebramus, intelligentes diuinis nihil vacuum esse præceptis, & verbo Dei ad eruditionem nostram omnia elementa seruire, dum per ipsius mundi cardines, quasi per quatuor Euangelia, incessabili tuba discimus, quod & prædicemus & agamus. Sunt & alia ieiunia, ab Ecclesia indicta in vigiliis, hoc est, quorundam festorũ pridianis diebus (quibus solet antiquitus Ecclesia vigilare in orationibus, sicut & sabbathis quatuor temporũ) nempe Natalis Domini, Assumptionis Mariæ, Natalis Ioannis Baptistæ, Natalis Laurentii, Natalitiorum omnium Apostolorum: præterquam Ioannis Euangelistæ, Philippique & Iacobi, quoniam illius solennitas intra Natalem Domini, horum verò intra solennitatem Paschalem celebratur. Et quia propter lætitiam

*Leo ser. 8. decimi mensis.*

*Vide Hiero. in epist. cõtra Vigil. Vide Leo in ser. de ieiuniis septi & 10. mensis. In decre. tit. de ieiuni. cap. 2.*

resurrectionis nunquam indicit Ecclesia die dominico ieiuniũ, si vigilia Dominica die accidat, sabbato est ieiunandũ. In vigilia Penthe- stes, Ascensionis domini, Purificationis, Annunciationis, natiuitatis, Conceptionis B. Mariæ, mos regionis siue ciuitatis sequendus est. Imò & in multorũ Apostolorũ vigiliis, etiam si Ecclesia Romana ieiunet, mos regionis (vt & antè monuimus) sequendus est, sicut etiam in celebratione festorum quorundam, vt Crucis, Barnabæ, Lucæ, Marci. In abstinentia quoque dierum Rogationum. Pro quibus omnibus & similibus prudenter monet Augustinus: Sunt, inquiens, quædam, quæ per loca terrarũ regionesque variantur, sicutiest quod alii ieiunant sabbatho, alii vero non: alii quotidie cõmunicant corpori & sanguini dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur, alibi sabbatho tãtum & dominico, alibi tantum dominico. Et si quid aliud eiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes. Nec disciplina vlla est in his melior graui prudentique Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcunque fortè deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorũ inter quos viuitur societate seruandũ est. Mater mea Mediolanũ me consecuta, inuenit Ecclesiã sabbatho non ieiunantẽ, cæperat per-

*1. Innocẽ. 1. epist. ca. 4. In decre. tit. eod. cap. Ex parte, &c.*

*Cap. 8.*

*Epist. 118. cap. 2.*

turbari & fluctuare quid ageret, cùm ego talia non curabam. sed propter ipsam consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosiũ. Respondit se nihil docere me posse, nisi quod ipse faceret, quia si melius nosset, id potius obseruaret. Cumque ego putassem, nulla reddita ratione, autoritate sola sua nos voluisse admonere ne sabbatho ieiunaremus, subsecutus est, & ait mihi: Cùm Romam venio ieiuno sabbatho, cùm hîc sum non ieiuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quenquam tibi. Hoc cum matri renunciassem, libenter amplexa est. Ego vero de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tanquam eam cælesti oraculo susceperim. Sensi enim sæpe dolens & gemens, multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum contentiosam obstinationem & superstitiosam timiditatem, qui in rebus huiusmodi, quæ neque scripturæ sanctæ autoritate, neque vniuersalis Ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ vtilitate ad certum possunt terminum peruenire, tantùm quia subest qualiscunque ratiocinatio cogitantis: aut quia in sua patria sic ipse consueuit, aut quia ibi vidit, vbi peregrinationẽ suam, quo remotiorem à suis, eo doctiorem factam putat, tam litigiosas excitant quæstiones, vt nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.

*perducere.*

---

*De modo ieiunandi.* CAP. XVI.

IN modo quoque ieiunandi cõsuetudo Ecclesiæ Christi obseruanda est: quæ nunc est, vt tantum semel in die reficiaris sine carnibus hora cõuenienti: quam seriùs ordinari decet quàm alio die, vt etiam ex dilatione corpus affligatur. In Quadragesima autem, abstinemus etiã ab omnibus, quæ sementinam carnis originẽ trahunt: videlicet à lacte, caseo, & ouis.

## *De abstinentia in feria sexta & sabbatho.*

## CAP. XVII.

SOlent Christiani antiquitus feriã quarta (cùm consilium inierunt Iudæi ad occidẽdum dominũ) & feria sexta (qui dies passionis eius fuit) singulis hebdomadis ieiunare: * Romana verò Ecclesia etiam sabbatho ieiunabat (quo die & Christus fuit sepultus, & mœsti erant Apostoli) vt diei Dominico dignè celebrando pararetur. Quam consuetudinem Romanæ Ecclesię secuta est ferè tota Ecclesia Occidentalis. ieiunandi autem feria sexta, adhuc in vsu est apud omnes Religiosos. At refrigescente charitate pia ieiunandi consuetudo paulatim est abolita, vixque vestigium remansit ieiunij quartæ feriæ, nisi fortè apud paucos, saltem à carnibus eo die adhuc abstinẽtes. In feria sexta & sabbatho, & si non integrum ieiunium, saltem abstinentiam à carnibus adhuc in consuetudine retentam videmus: quæ tanquam lex recipienda est, maximè nunc cum discipuli Antichristi, toti carnei, etiam ipsas reliquias

*Aug. epist. 86. ad Casul. Epipha. in hæresi Aerij. Cyril li. 10. in Leuitic. Vide cap. 4. epist. 1. Innocentij 1. & Eliber. conc. ca. 26. & Aug. epist. 19. ad Hieronymum.*

*Aug. in li. de hær. ad Quodvult deum. Vide & Hierony. li. 2. cōtra Iouinia. circa 3. proposit. Iouinia. Aug. li. 30. contra Faust. c. 5. Vide eūd. li. 2. de moribus Manich. ca. 13. & li. 10. confes. ca. 31. Et Bern. ser. 66. in Cātic. & concil. Bracc. 1. c. 14. Et Prosper ca. 22. li. 2. de vita cōtemp. Et Aug. ca. 20. epist. 119. ad Ianua. 1. Tolet. in fine sym ser. 2. de ieiun. 10. mēsis.*

continentiæ Christianæ extirpare conantur, docentes sequi non Christum, non Apostolos, sed Iouinianum, ab antiqua Ecclesia meritò vt hæreticum reiectum, quòd doceret nihil prodesse ieiunia vel ab aliquibus cibis abstinentiam. Porrò, vbi consuetudo permittit intra Natalem domini & Purificationem B. Mariæ sabbatho esum carnium, omni diligentia vitāda est superstitio, qua pūtatur Maria instar fœminarum corruptarum languisse ex partu, ac ideo eguisse delicatioribus cibis: atque huius rei memorandæ gratia permitti in illis sabbathis esum carnium. Nō ea enim est causa iis in locis tunc vescendi carnibus, sed lætitia Natalis domini Saluatoris.

### *Qua de causa ieiunium seu abstinentia præcipiatur ab Ecclesia.*

### CAP. XVIII.

NOn ideo ieiunium aut abstinētia ab aliquibus cibis certis diebus indicitur, quasi quod intrat in os possit hominem coinquinare, aut immūdus sit aliquis cibus, sed edomandi corporis causa, vt præscindātur prauæ cupiditates. Cùm igitur per castigationem atque ieiunium redigatur corpus in seruitutē spiritus, & exhibeatur Deo hostia viua (sicut docet Paulus) patet, ieiunium atque abstinentiam esse cultum Deo gratum. Quamobrem scribit Lucas, Annam viduam duabus rebus, ieiuniis & orationibus, Deo latriam exhibuisse. Et Leo: Pro cōsummata perceptione omnium fructuum, inquit,

*1. Co. 9. Ro. 12. Luc 2.*

dignissimè largitori eorum Deo continentiæ libamen offertur. Quid enim potest efficacius esse ieiunio? cuius obseruantia appropinquamus Deo, & resistentes diabolo vitia blanda superamus. Sẽper virtuti cibus, ieiunium fuit. De abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia. Et per voluntarias afflictiones caro concupiscẽtiis moritur, virtutibus spiritus innouatur. Etiã creato homini sine vitio, Dominus Deus temperantiam (imò abstinentiam) præcipere dignatus est, vt bonus medicus, qui quum nolit necessarius esse ægrotanti, etiam sano præcipit temperantiam: quam si ille seruasset, medicum posteà suo morbo non desideraret, nec infirmos genuisset infirmus, quibus per abstinentiam castigandi corpus necessitas incumberet. Non ergo leuis res aut superflua videatur ieiunium, nec quisquam, fortè hoc faciens Ecclesiæ consuetudine, cogitet apud se, & dicat sibiipsi vt suggerentem intrinsecus audiat tentatorem: Quid facis quia ieiunas, defraudans animam tuam? non ei das quod eam delectat. tibiipsi ingeris pœnam: tuus ipse tortor & cruciator existis. Deo ergo placet quia te crucias? Ergo crudelis est qui delectatur pœnis tuis. Responde huiusmodi tentatori: Excrucio me planè, vt ille parcat: do de me pœnas, vt ille subueniat, vt placeam oculis eius, vt delectẽ suauitatẽ eius. Nam & victima excruciatur, vt in arã imponatur. Minûs premet mẽtẽ meã caro mea. Et tali dissuasori malo seruo

*Aug. ser. 13. de verb. apo.*
*Gen. 2.*

*Aug. ser. 61. sumitur ex l. de cantico nouo. cap. 3.*

ventris, reſponde per hanc ſimilitudinem, & dic: Si iumento fortè inſideres, ſi equo vtereris, qui te geſtiendo poſſet præcipitare: nonne vt ſecurus iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares, quem ferro non poſſes? Caro mea iumentum meum eſt, iter ago in Hieruſalem. plerunque me rapit, & de via conatur excludere. via autem mea Chriſtus eſt. Ita exultantem non cohibebo ieiunio? Nec hac duntaxat ratione, quia vitia carnis cõprimit, Chriſtiani iejunium obſeruant, ſed etiã quia ad intentè liberiuſque orandum & laudandum Deum pręparat hominem. Meritò, inquit Leo, doctrina Spiritus ſancti hac eruditione imbuit populum Chriſtianum, vt ad Paſchale feſtum quadraginta dierum continẽtia ſe prępararet. Quanto enim ſanctius quiſque hos dies inuenietur egiſſe, tanto probabitur Paſcha domini honoraſſe religioſiùs. Ad placandum Deum eiuſque flagella auertenda, etiam multum facere ieiunium, ſatis nos Dauidis & Niniuitarum exemplum, admonitioque Ioëlis docent: & quòd Iudęis in die expiationis, cùm veniam peccatorum flagitabãt à domino, indictum erat à Moyſe ieiunium.

*Ser. 3. de Quadra.*

*2. Re. 12. Ion. 3. Iocl. 1. Leu. 23.*

In ſacratiſſimorum dierum quadrageſimę obſeruantia, omnes pręteritę deſidię caſtigantur, omnes negligentię diluuntur: In his aliorum temporum culpas, & pia opera redimunt, & ieiunia caſta decoquunt. Imo ad quamlibet rem à domino obtinendam multum adiuuat ieiunium, ſicut ait Chriſtus diſcipulis, interrogantibus

*Leo ſer. 1. de Quad. Idem ſer. 4. de Quadra.*

rogantibus cur non potuerint eiicere dæmonium, Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio. Et quando Paulus & Barnabas ad euangelizandum segregabantur, ieiunabat Ecclesia, vt Deus prædicationi eorum adesset. Et cùm ipsi constituerunt per singulas ciuitates sacerdotes, ieiunãte atque orante Ecclesia, hoc fecerunt: quod & hodie in ieiunio quatuor temporũ imitamur. Per humilitatem ieiunij cõtra omnes hostes nostros diuinũ meremur auxiliũ. Quia verò iam dictos fines respicit Ecclesia in præcipiendo ieiunio, nihil à quoquam arduum, nihil asperum quæritur, nec aliquid nobis, quod vires nostras excedat, in abstinentiæ castigatione indicitur.

*Mar. 9.* *Act. 13.* *Act. 14.* *Idem ser. 1. de ieiunio 7. mensis. Vide concil. Tolet. 8. ca. 9. Leo ser. 3. de ieiunio 7. mensis, & ser. 3. de ieiun. 10. mẽsis. Videatur etiam lib. decretal. de obseru. ieiunio.*

## *Graue peccatum esse, violare ieiunium ab Ecclesia indictum.* CAP. XIX.

EX eo quod Dominus dicit in Leuitico: Omnis anima quæ afflicta non fuerit in die expiationis, peribit de populis suis: coniectare possumus, graue esse peccatum, ieiunium ab Ecclesia indictum violare. Quanquam enim præceptum illud Leuitici cum reliquis veteribus cæremoniis sit abolitum, tamen quatenus simplicem Dei cultum toti populo præscriptum continebat, maioris non fuit dignitatis quàm præcepta Ecclesiæ de obseruando ieiunio. Audiamus quanti sint facienda publica ieiunia Christianorum: Quibusdam diebus, inquit Leo, ab omnibus oportet pariter celebrari

*Leu. 23.* *Leo ser. 6. de ieiu. 10. mẽs. ser. 7. de ieiu. 7. mensis.* *Ser. 4. de ieiun. 7. mens.*

ieiunium, & tunc est efficacior sanctiorque deuotio, quando in operibus pietatis, totius Ecclesiæ vnus animus & vnus est sensus. Publica enim præferenda sunt propriis, & ibi intelligenda est præcipua ratio vtilitatis, vbi vigilat cura communis. Tunc fit potentissimus Dei populus, quando in vnitatem sanctæ obediētiæ, omnium fidelium corda conueniunt, & in castris militiæ Christianæ, similis ex omni parte præparatio, & eadem est vbique munitio.

*Idem ser. 3. de eod. ieiun.*

De quarto autem & quinto præcepto Ecclesiæ, quo mandatur facienda peccatorū cōfessio & sumenda Eucharistia singulis annis in festo Paschæ omnibus qui ad annos discretionis peruenêre: commodiùs fiet mentio in Tractatu de Sacramētis. Nunc hoc annotasse sufficiat, obseruatione præceptorū Ecclesiæ fieri quod mādat Apostolus, cùm iam quasdam leges præscripsisset: Omnia honeste & secundū ordinē fiant in vobis. Hactenus de tribus præceptis primæ tabulæ.

*1. Cor. 14.*

## De Secunda Tabula.

### Cap. I.

Sicut omnibus præceptis Dei præponendum est primum præceptū, quod est aliorum finis, præceptum videlicet de diligendo Deo: ita etiā præceptis secundæ tabulæ, concernentibus societatem cum alio homine, præmittendum est secundum præceptum de diligendo proximo: vt etiam omnium præceptorum proximū cōcernentium finis.

*Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

CAP. II.

EXemplar proximi diligendi, est dilectio suiipsius, quę etsi inconcussa lege naturæ homini indita sit, tamen vt recta sit, & talis vt ad eam rectè effingatur proximi dilectio, præcepto de diligendo Deo dirigi debet. Hic est enim rectus modus diligendi seipsum, si homo mente & corpore seruiat atque adhæreat Deo, qui bonum est rationalis creaturæ. Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, vt etiam ipse toto corde, tota anima, tota mẽte diligat Deũ. Sic enim eum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se riuulum duci extrà patitur, cuius deriuatione minuatur.

*Aug ca. 10. li. 1. de ci. dei.* *Aug. ca. 26. li. 1. de doctr. Christia.* *Aug. ca. 22. li. 1. de doctr. christ.*

*Quis proximus.* CAP. III.

HOc præceptum de diligẽdo proximo siue amico, præscriptum in Leuitico, pessimè interpretabãtur Scribæ tempore Christi. Hinc enim consequi putabant, licitum esse odium inimici, cùm tamen apertè lex mandaret, Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacêre sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo. Et in Deuteronomio: Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo, etiam si non est propinquus frater tuus, nec nosti eum: duces in domum tuam, & erunt apud te quamdiu quærat ea

*Leu. 19. Mat. 5.* *Exo. 23.* *Deu. 22.*

frater tuus, & recipiat. Quibus locis velut exponit lex, non intelligendum nomine proximi vel propinqui, tantùm eum qui sanguine vel familiaritate nobis iunctus est. Vnde & Christus hanc diuinæ legis peruersionem coarguës: Audistis, inquit, quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuũ. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Hinc etiam Scriba quidam, verè cupiens iustificari, tanquam de re inter doctos illius tẽporis controuersa dominum interrogat: Et quis est meus proximus? Cui dominus proposita parabola ostendit eum esse proximum, qui alteri etiam alienæ nationis impendit officium misericordiæ: vt videlicet eum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ si indiget, vel exhibendum esset si indigeret. Ex quo est iam consequens, vt etiã ille, à quo nobis hoc vicissim exhibendum est, proximus sit noster. Proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Nullum autem exceptũ esse, cui misericordiæ denegetur officium, quis nõ videat: quando vsque ad inimicos etiam porrectum est, eodem domino dicente, Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos? Omnis autem homo propinquus est alteri & similitudine naturæ rationalis, & ex vno homine Adam omnium parẽte, & ex vno fine Deo, ad quod früendum omnis homo est cõ-

*Mat. 5.* *Luc 10.* *Augu. citati li. ca. 30. Prosper ca. 15. li. 3. de vita cõtempl.* *Mat. 5.*

ditus, & ex vno redemptore Christo, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. *1.Ti.2.* Iam verò si vel cui præbendum est, vel à quo nobis præbendum est officium misericordiæ, *Aug. loco iam citato.* rectè proximus dicitur: manifestum est, hoc præcepto quo iubemur diligere proximum, etiam sanctos angelos (qui similitudine rationalis naturæ nobis cõiuncti sunt, & vnum bonum nobiscum, nempe Deum, habent) contineri, à quibus nobis tanta misericordiæ officia impenduntur, quanta multis diuinarum *Heb.1.* *Mat.18.* scripturarum locis animaduertere facile est. Ex quo & ipse Deus & dominus noster, proximum se nostrum dici voluit secundum humanam naturam. Nam & seipsum significat *Luc.10.* dominus Iesus Christus opitulatum esse semiuiuo iacenti in via afflicto & relicto à latronibus. Et Propheta in oratione ait, Sicut proximum, sicut fratrem nostrum ita complacebã. *Psa.34.* Sed quoniam excellentiór, ac supra naturam *Heb.2.* nostram est diuina substantia, præceptum quo diligamus Deum, à proximi dilectione distinctum est. Satanas autem cum angelis suis & hominibus in impietate hinc egressis: quia iam diuisus est ab vna ciuitate Dei iusto Dei iudicio, nunquam rediturus ad Dei amorem, ad hoc bonum, ad quod nosipsos diligere debemus non est diligendus, sed in eo diligendum est duntaxat iustum Dei iudicium.

*De ordine dilectionis proximi,*
CAP. IIII.

*Aug. li. 1. de doct. Christ. cap. 27.*

ILle iustè & sanctè viuit, qui rerum integer æstimator est. Ipse est autē qui ordinatàm dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod diligendum est, aut ampliùs diligat quod minùs diligendum est, aut æquè diligat quod vel minus vel ampliùs est diligendum, aut minùs vel ampliùs quod æquè diligendum est. Omnis peccator in quātum peccator est, non est diligendus. Et omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum, Deus verò propter seipsum. Et si Deus omni homine amplius diligendus est, ampliùs quisque debet eum diligere quàm seipsum. Item ampliùs alius homo diligendus est quàm corpus nostrum: quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animā viuit, qua fruimur Deo. Dum autem homo præ omnibus diligit Deum, diligit etiam se pre ceteris creaturis, eo quòd Deus bonum sit eius, quod dilectione sibi acquirit. Facit enim dilectio eū adhærere Deo. Hic autē rectus est ordo. Qui enim vult eleemosynam ordinatè dare, à seipso debet incipere & eam sibi primum dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimeque dictum est: Miserere animæ tuæ placens Deo. Propter quem dilectionis ordinē dictum est: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

*Vide Prosperum. ca. 15. li. 3. de vita cōtempla.*

*Aug. enchi. ca. 76. & ser. 30. de verbis domini.*

*Eccl. 32.*

*Mat. 22.*

*Deu. 6.*

*Ab Aug. li. 8. de Trini. cap. 8.*

Dicimur autem quandoque, tantū charitatis debere impendere fratri quantum nobismet-

ipsis: quia videlicet idem bonum fratri optare debemus quod nobis. Nam alioqui, quia homo finitæ capacitatis omnium amori vacare non potest, vt Deus vniuersorum curàm gerẽs, non semper debet maximè diligere optimum hominem, sed eum præcipuè, cuius curam ei maximè præcepit Deus. Curam enim ex Dei præcepto nobis incumbentem rectè sequitur amor, ordinemque curæ ordo amoris. Nullus igitur à dilectione excludendus est. Quo sensu dicit * Augustinus, omnes homines æquè diligendos, & idem bonum omnibus pari dilectione optandum, & quodque esse pro sua dignitate æstimandum. quo sensu etiam dicũtur *a* potiora potiùs, minora bona minus diligenda, & magis diligenda maiora aliorum bona, quàm minora nostra. *b* Attamen, cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum vel temporum vel quarùmlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quasi quadam sorte iunguntur. Sicut enim si tibi abundaret aliquid, quod dare oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset: si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua necessitudine superaret, nihil iustius faceres, quam vt sorte eligeres cui dandum est quod dari vtrique non posset: sic in hominibus, quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi colligatius temporaliter adhærere potuerit. Hic est enim ordo humanæ concordiæ, primum

*Ca.28. lib.1. de doc. Chri. In expositione 6. ca. ad Gal.*

*a Ab Aug. ca.48. lib. de vera religio. & Bern. ser. 49. & 50. in Cantic.*

*b Aug. li.1. de doc. christ. ca.28. & lib. 19. de ci. Dei ca.14.*

vt nulli noceat homo, deinde vt etiam prosit cui poterit. Primitus ergo inest ei suorum cura: ad eos quippe habet oportuniorem faciliorem que aditum consulendi vel naturæ ordine, vel ipsius societatis humanæ. Quæcunque in oratione Dominica continentur, & pro nobis, & pro nostris, & pro alienis, atque pro ipsis inimicis sine fluctu dubitationis oranda sunt. tamen alius pro isto, alius pro illo, sicut se habent propinquitates vel longinquitates necessitudinum, in corde orátis oritur aut excellit affectus.

*Aug. de ciui. Dei, li. 19. cap. 14.*
*Idem cap. 12. epist. 121.*

Præponendi igitur cura & amore sunt consanguinei extraneis, domestici fidei infidelibus, indigentes diuitibus, propinqui mali extraneis bonis, patri filius, parenti vxor, benefactori is cui nos benefacimus: licet maioris æstimandus sit magisque honorandus pater quàm vxor & filius, fidelis extraneus magis quàm parens infidelis, benefactor plus quàm cui benefacimus. Vnde Apostolus, de curandis filiis & nepotibus agens: Si quis, inquit, suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Et alibi: Operemur bonum ad omnes, maximè auté ad domesticos fidei. Et Ioannes: Qui, inquit, habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Paulus iterum alibi: Non debent filij parentibus thesaurisare, sed parentes filiis: &, Viri debent diligere vxores suas, vt

*Quid si sint etiam infideles? tunc ne seruandum quod sancit Cartha. 3. cap. 13.*
*1. Ti. 5.*
*Gala 6.*
*1. Ioan. 3.*
*2. Cor. 12.*
*Eph 5.*
*Gen. 2.*
*Mat. 19.*
*Eph. 5.*

corpora: & , Relinquet homo patrem & matrem suam , & adhærebit vxori suæ. Parentes autem, honorandi præscribuntur, non filij, non vxor. Rectè autem ordo hic intelligendus est. Potest enim parua esse propinquitas in vno, & maxima bonitas atque necessitas in extraneo , ita vt illi veniat præponendus. In eiusmodi autem comparationibus, timentes Deum docet vnctio,& ordinatam in eis efficit charitatem. Ideo verò propinquitas sanguinis bonitati extranei aliisque necessitudinibus est præponenda , quia consanguinitas nobis ab ipsa origine est indita,Deique nutu ad consanguineis consulendum ab ipso ortus principio, veluti sorte sumus eis coniuncti, perseueratque stabiliter hæc coniunctio, cùm omnes aliæ necessitates longè post nostram natiuitatem nobis obueniant, & tempore varientur, nec hominis bonitas stabilis est. Semper autem quisque in eo quod ipsi proprium est, quodque præcipuum est in societate cum eo contracta, præ cæteris diligendus est: vt, in societate doctrinæ,vbi ratione doctrinæ est aliquid tribuendum, præponendus est extraneus doctus minus docto propinquo: in bello plùs diligẽdus est dux quàm pater: in societate monastica,magis religiosus quàm propinquus secularis: in Christiana pietate, magis Christianus fidelis quàm propinquus infidelis. Vnde Ambrosius: Non minus, inquit, vos diligo, quos in Euangelio genui, quàm si in coniugio suscepissem. Non enim vehementior est

*Nota.*

*Nota.*

*Lib. 1. officio. cap. 7.*

natura ad diligendum quàm gratia. Plus certè diligere debemus quos perpetuo nobiscum putamus futuros, quàm quos in hoc tantum seculo. Hæc Ambrosius. At quando de bono aliquo & societate secundum illud bonum alicui procuranda agitur, magis propinquus idoneus reddendus est quàm alius. Omnibus autem propinquitatibus, Dei seruitus (vt suprà diximus) anteponenda est. Vnde Christus hac ratione præcipit odio habere parentes & propinquos: inquantum videlicet nos à Dei seruitute impediunt, & à regno Dei, ait Aug. cap. 19. lib. 1. retract.

*Luc 14. Vide Aug. in epist. 89. ad Hila. & Pro sper. ca. 4. li. 2. de prom. & prædi.*

*De eleemosyna corporali.*

CAP. V.

Opus dilectionis est beneficẽtia, quia verò beneficentia corporalis notior est spirituali, ideo de ea primum dicendum est. Sex opera misericordiæ corporalia, in euangelio recenset dominus, cibare scilicet esurientẽ, potare sitientem, colligere sub tectum hospitem, vestire nudum, visitare infirmum, liberare captiuum, sub quibus alia facilè intelliguntur, nempe deducere cæcum, sustentare claudum, preseruare à morbo, quæ ad visitationem infirmorum pertinet. Defendere viduas, subuenire oppresso, liberationes quædam captiuorum sunt. Sepultura quoque opus est misericordiæ: vnde laudatur Tobias, & à Dauide benedicuntur viri Iabes Galaad, quia sepelierunt Saul. Laudatur Magdalena à domino, quòd corpus eius mortuum

*Mat. 25. Iob 29. Deu. 27. Esa. 1. Vide Aug. ca. 13. li. 1. de ciui. Dei. Tob. 2. & 12. 2. Re. 2. Ioan. 12. Mar. 27.*

vngere voluit. Laudantur Ioſeph & Nicodemus, qui dominum ſepelierunt. Cum enim bonum ſit hominis, eius miſeriam non patêre conſpectui alieno, hominis bene cenſetur miſereri, qui corpus eius, horribili ſpecie atque intollerabili fœtore miſeriam defuncti oſtenſurum, honeſtè terra tegit, maximè cùm in hac re obſequatur ſepeliens volútati defuncti, qui carnem ſuam vſqueadeò diligebat, vt nec poſt mortem niſi honeſtè eam tractari voluerit. In Patriarchis tamen cæteriſque Chriſtianis, ſolicita cura ſepulchri confeſſio quędã eſt atque expectatio reſurrectionis: ſicut in martyribus morientibus pro Chriſti fide, cùm ſcirent ſe inſepultos abiiciendos, ac à beſtiis deuorandos, contéptus ſepulchri profeſſio magna erat fiduciæ conceptæ, quòd integri vſque ad minimũ capillum à Deo reſuſcitandi forent. Ad hoc opus ſpectat etiam teſtamentorum executio defenſioque honoris mortuorum.

*De quodam abuſu in ſepul. Bonus eſt canon 15. in 2. Matiſconenſi Concil. Vide Aug. li. de cura pro mor. gerenda ca. 3. 7. 8. & 9. Gen. 23. 25. 47. & 49.*

### *De ſpiritalibus operibus miſericordiæ.*
### CAP. VI.

AD ſeptem quoque capita redigũtur eę eleemoſynę ſeu miſericordię, quę corporalib⁹ ideo multo pręſtantiores ſunt, quia miſeriis pręſtantioris partis proximi, nempe ſpiritus ſuccurrunt, & per ſpirituales actus pręſtantur. Prima eſt oratio, qua pro quibuſuis proximi defectib⁹ oramus Deum, ſicut mandat dominus: Orate, inquiens, pro perſequentibus & calumniantibus vos. & Iacob⁹: Orate pro inuicẽ, vt ſaluemini.

*Oratio.* *Mat. 5.* *Iac. 5.*

Secunda eleemosyna est eruditio seu instru-
Psa.50. ctio ignorantium. de qua Dauid, cupiens impetrare Dei misericordiam: Docebo, ait, iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Et
Dan.12. Daniel: Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates, quanquam & doctores naturalium & ciuiliũ scientiarum vel artium, quæ non sunt doctrinæ secundum pietatem, opus misericordiæ præstent. Tertia eleemosyna, est consulere im-
Pro.27. prudentibus: de qua Salomon, Vnguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici
Eccl.7. consiliis anima dulcoratur. Quarta eleemosyna est, consolatio tristium: de qua Sapiens, Nó desis plorantibus, inquit, in consolatione: & cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firma-
Ro.12. beris. Et Apostolus mandat flere cum flenti-
Iob 29. bus. Et misericors Iob inquit: Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Quinta eleemosyna est correptio
Mat.18. peccantium, quam mandat Christus, dicens: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corri-
Vide Prosperum li.3. de vita contempl.ca.23. pe eum inter te & ipsum solum, Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te nó audierit, adhibe tecũ adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testiũ stet omne verbũ. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si auté ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Sexta eleemosyna, est ignoscere in se peccantibus. de qua ait dominus: Si di-
Mat.6. miseritis hominibus peccata eorum, dimittet

& vobis pater vester cæleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Septima eleemoſyna, eſt portare patiẽter aliorum peccata: quod mandat Apoſtolus cùm ait: Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. rurſum, Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Sunt & aliæ eleemoſynæ ſpirituales, ſed facilè ſub prædictis cõprehenduntur. vt, verberare peccantem, aut impedire ne prauam voluntatem ſuam perficiat. Pertinet enim (inquit Auguſtinus lib. 19. de ciuit. Dei cap. 16.) ad innocentis officium, non ſolum nemini malum inferre, verumetiam cohibere à peccato vel punire peccatum: vt aut ipſe qui plectitur, corrigatur experimento, aut alij terreantur exemplo. Item, nolle cibum ſumere cum ebrioſo vel fornicario, vt pudefactus reſipiſcat: quæ correptiones peccantium ſunt. Exhortari pigrum, ad doctrinã reduci poteſt. Conciliare diſcordes, partim correptio, partim conſilium, partim exhortatio eſt. Multa enim opera miſericordiæ præſtat pacificus. Quamobrem Chriſtus magnificè prędicat pacificos, dicens: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

Ro. 15.
Gala. 6.
Mat. 5.

*De generalibus officiis charitatis omnibus exhibendis.* CAP. VII.

QVædam sunt officia dilectionis, quę toti cõmunitati exhibentur. vt, orare pro pace atque pluuia, defendere mœnia: quędam cuilibet de cõmunitate occurrenti siue petenti: vt salutare occurrentes. & quòd medicus ad infirmum vocatus adueniat, aut quòd iurisperitus offerentibus stipendium det iustum consilium. Ab his generalibus dilectionis officiis neminem licet excludere, ne inimicum quidem qui tibi grauiter nocuerit: iuxta illud Leuitici, Non quęras vltionem, nec memor eris iniurię ciuium tuorum: & illud Euangelij, Si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis, scilicet quàm Publicani? nonne & Ethnici hoc faciũt? Quędam autem sunt officia charitatis, pecularia quidem, sed tamen omnibus cõmunia, qui huius vel illius societatis sunt. Exempli gratia, Decorare nuptias, peculiare est officium charitatis, cõmune tamen omnibus fratribus in se. Quapropter peccat, qui ad fratris sui nuptias vocatus, nulla prępeditus necessitate eas non decôrat.

*Leu.19.* *Mat.5.*

*De peculiaribus officiis charitatis.*

CAP. VIII.

PEculiaria autem officia charitatis tenetur homo in necessitate constituto impendere: sicut ait Propheta, Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: Cum videris nudum, operi eum. Et Salomô, Si esurit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei potum. Et nemine

*Esa.58.* *Pro.25.* *Ro.12.*

dubitante extremam necessitatem subleuare oportet, & propter eam debet quis multa sibi adimere. At non solum extremam necessitatẽ, sed iuxta sententiam Ioannis: Qui habuerit 1. Ioan. 3.
substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, non manet charitas Dei in eo: vbi de abundante diuitiis superfluaque possidente sermo est, & de eo egente, qui etiam non extremè laborat. Sic & lex Dei: Si occurreris boui Exo. 23.
inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacère sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo. Non enim est extrema necessitas proximi, cùm bos eius aut asinus periclitatur. Similiter: Si pi- Exo. 22.
gnus, inquit lex, à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. ipsum enim est solũ quo operitur indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat: si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum: Vbi nõ agitur de necessitate omni- Eze. 18.
no extrema. & tamen Ezechiel Propheta tan- Li. 3. de pec.
ti hoc pręceptum ęstimat, vt pignus retinen- mer. & re. ca.
tem à iustitia excidere, & morte moriturum 12. & quæst.
dicat, recenset que inter ea pręcepta, quę etiam 64. in Leuit.
noui testamenti tempore obseruanda sunt: sicut rectè tradit Augustinus. Hinc dominus in Euangelio, diuites diuitiarum suarum dispensatores vocat. Qui, inquiens, fidelis Luc 16.
est in minimo, & in maiori fidelis est, &c. non quasi diuites non sint domini iustarum diuitiarum, sed quia prętipiente summo

diuitiarum domino, non pro libito expendere aut prodigere, sed in pauperes erogare tenentur. Non iniustus est Deus, ait Basilius, qui ea quæ sunt ad victum, inæqualiter nobis diuiserit. Cur tu diues es, ille pauper? Profectò non ob aliam causam, nisi vt tu benignitatis ac fidelis administrationis mercedem accipias: ille verò patientiæ maximis præmiis honoretur. Tu verò insatiabilis auaritiæ lacertis omnia circumplexus, & tot homines illis priuans, neminem te lædere putas? Esurientis est panis quem tu retines: nudi est vestis, quam tu in arca custodis: discalceati calceus, qui apud te marcessit: egentis argentum, quod tu terrę infossum possides. quare, tot iniuriis es hominibus, quot poteras opem conferre. Hęc Basilius: quę sumpsit ex dicto domini apud Lucam, Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? At dicas: Nemo habet superfluum, Omnes egent his quę habent. Sed profectò non vestium aut ciborum causa, multis affectantur opes: verùm quędam est Diaboli methodus ad suggerendas diuitibus mille sumptuum inanium occasiones: vt ea quę superflua & ad rem pertinentia nō sunt, pro necessariis ducantur: ex quo, ad sumptuū excogitationem nihil satis homines huiuscemodi habent. Substantiam namque in pręsentem ac futurum vsum deducunt, primum sibi, deinde filiis accumulant. Rursus eandem in sumptus varios, pro statu & ordine cuiuslibet diuidūt. Sit, inquiunt, res partim in vsu, partim condita

*Homi. 6. in dit escentes auaros.*

*Luc 16.*

*Idem homil. 7. in eosdem.*

condita sepositaque. Item, quæ in vsu est, necessitatis terminos transcẽdat. Ista seruiat sumptibus domesticis: illa præsto sit ad externas phantasias: vt iter facienti ornatus, equitatus, viaticum pro conditione fiant: hæc domi permanenti vitam reddat splendidam & illustrẽ, ita vt mihi miraculum sit, quomodo tot inanes sumptus excogitentur. Incertum est, inquiunt, quid futurum sit. Necessitati, quę nos quandoque vrgere posset, prouidendum est. At longè incertior defossi thesauri vsus: nec tamen pœna incerta, quę morum manet inhumanitatem. His illud Esaiæ ingeminandum est: Væ, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci. nunquid vos habitabitis soli in medio terræ. Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanum & tibia, & vinum in conuiuiis vestris: & opus domini non respicitis, nec opera manuũ eius consideratis. Hi partem habebunt cum illo diuite, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Huiusmodi similes sunt illi diuiti, de quo Christus dicit: Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se dicens, Quid faciam? quia non habeo quò congregem fructus meos. Et dixit: HOC faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi & bona mea: & dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona

*Idem ibidem paulo infrà.*

*Esa. 5.*

*Luc 16.*

*Luc 12.*

posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, *Ibid.* hac nocte animam tuam repetunt à te: quę autem parasti, cuius erunt? Sic est, inquit Christus, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum *Baru.3.* diues. De his Baruch: Argentum, inquit, thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum: qui argentum fabricant & soliciti sunt, nec est inuentio operum illorum. exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorũ exurrexerunt. Cum igitur duę sint causæ, ex quarum vtraque homo obligatur largiri proximo eleemosynam, alioqui charitate Dei non mãsura in eo, nempe extrema necessitas proximi, & superfluæ diuitiæ, considerare cõuenit, posse ita arctam esse fratris necessitatem non extremam, & ita commodè homini per diuitias esse prospectum, licet superfluas non omnino habeat, vt hæc simul iuncta æquiualeant alicui duarum causarum, vel superfluitati diuitiarũ, vel extremæ necessitati: vt videlicet charitas Dei in homine non maneat, si proximo nullo modo succurrat. Quis enim audeat dicere eũ charitatem Dei habere, qui nec micam impẽdere vult, vt alterius perpetuam atque probrosam mendicitaté anteuertat? aut, eum qui nec situlam aquæ vt domum alterius ab incẽdio seruet, afferre dignatur? Sic quoque contingit, eam necessitatem cui in extraneo sine crimine non succurritur, in parente vel fratre magno crimine negligi. Cæterum in particu-

*Quæ quis saluo statu suo elargiri potest, pro superfluis habentur, concurrẽte alterius magna necessitate. Nehemiæ 5. ca. Non est bona res, &c.*

lari id determinare, quæ ſcilicet neceſſitas, quo tempore, à quibus perſonis requirat ſubuentionem, & ſine crimine non negligatur: non eſt ſcientiæ, ſed Chriſtianæ prudentiæ, quam docere nos debet vnctio. Sicut autem iam de corporalibus eleemoſynis, quando præcipiantur dictum eſt: ita & de ſpiritualibus ſentiendum eſt. de quibus circa quintam petitionem orationis Dominicæ aliquid dictum eſt. In his autem ſpiritualibus eleemoſynis hoc obſeruandum eſt, quòd infirmitatẽ ſpiritualem ſubleuare debemus etiam per corporales eleemoſynas citra neceſſitatem corporalem. Omnia enim corporalia ſpiritualibus ſeruire debent. Atque hoc eſt quod mandat Chriſtus: Ego, inquiens, dico vobis (quãdo ſcilicet animæ proximi ſaluandæ neceſſarium eſt) non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum in iudicio cõtendere, & tunicam tuam tollere: dimitte ei & pallium. & quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo. Qui autem petit à te, da ei: & volenti mutuare à te, ne auertaris: & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas. Iniurias enim patienter ferre, ad miſericordiam pertinere hi maximè ſentiunt, qui eis quos multum diligunt, tanquam filiis vel quibuſlibet dilectiſſimis ſuis, ægrotantibus ſeruiunt vel paruulis vel phreneticis: à quibus multa ſæpe patiuntur, & ſi eorum ſalus id exigat, præbent ſe etiam vt plura patiantur,

*Mat. 5.*

*Luc 6.*

*Aug li. 1. de ſer. domi. in mon. ca. 34.*

donec vel ætatis vel morbi infirmitas transeat. Quos ergo dominus medicos animarum, curandis proximis instruebat, quid eos aliud docere possit: nisi vt eorum, quorum saluti consulere vellent, imbecillitates æquo animo tolerarent? Omnis namque improbitas ex imbecillitate animi venit, quia nihil innocentius est eo qui in virtute perfectus est.

*Omnes homines ad opera misericordiæ obligari.*

CAP. IX.

IOannes Baptista prædicans necessariã pœnitentiam, qua euaderent homines mortem æternam, interrogatusque à turbis: Quid faciemus? respondens dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Singulis generibus hominum conueniens tribuit sanctus Baptista Ioannes responsum vnum omnibus: Ita publicanis, ne vltra præscriptum exigant: Militibus, ne calumniam faciant, ne prædam requirant: docens idcirco stipendia constituta militię, ne dum sumptus quęritur, prædo grassetur. Sed hæc & alia officiorũ præcepta, propria singulorum, misericordia, communis est vsus. ideo commune præceptum omnibus officiis, omnibus ætatibus necessaria, & ab omnibus deferenda. Non Publicanus, non miles excipitur: nõ agricola vel vrbanus, diues & pauper. Omnes in commune admonentur, vt cõferant non habenti. Misericordia enim plenitudo virtutum est. Et ideo omnibus est proposita perfectæ forma virtutis, ne vestimentis

*Luc 3.*

*Amb. in 3. ca. Luca.*

alimentiſque ſuis parcant. Miſericordiæ tamē ipſius pro poſſibilitate conditionis humanæ menſura ſeruatur, vt non ſibi vnuſquiſque totum eripiat, ſed quod habet, cū paupere partiatur. Non enim, ſicut ait Apoſtolus, vt aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate. 2.*Cor*.8.
& Apoſtolus Petrus: Vnuſquiſque, ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. 1.*Pet*.4.
Et Tobias: Quomodo potueris, ita eſto miſericors: ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. *Tob*.4.
Magna quidem laus eſt hoſpitalitatis, per quam & angeli à neſcientibus excepti ſunt, de qua etiam ait Chriſtus: Qui vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me miſit. qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet: *Heb*.13. *Gen*.18.&19. *Mat*.10.
Sed ſi tam pauper es vt hoſpitio excipere non valeas prophetam, nunquid & illam eleemoſynam præſtare non vales, de qua Chriſtus poſt dicta verba ilico ſubnectit: Et quicunque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam? Fortaſſe cauſaberis, te non poſſe docere ignorantem, aut corripere peccantem qui te contemnit: num ſaltem in te peccanti dimittere non potes? Nunquid infirmitatem alterius portare non vales? Vt alterius malitiam *Enchir*.72. *idē traditur*

feras æquanimiter, & de iniuria tibi illata proximo ignoscas, nulla sapientia, nulla excellētia, nullis diuitiis opus est. Sufficit sola tua voluntas, & interna erga illum misericordia. Nec putes hanc misericordiam paruipendi à Domino, de qua ipse dixit: Si dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra. Cor, & non substantiam pensat Dominus: nec perpendit quātum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Vnde ipse Dominus pauperculam viduā, quæ vnum quadrantem misit in gazophylacium, plusquam omnes diuites, qui multa illuc miserant, in munera Dei misisse dixit. Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt: illa verò de penuria sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum. Vnde & Sapiens hilariter atque velociter nos misereri iubet: Hilarem, inquiens, datorem diligit Deus. &, Ne dicas amico tuo. Vade, & reuertere, & cras dabo tibi, cùm statim dare possis. Vnde clarè liquet, longè minoris fieri apud Deum eleemosynam testamento legatam, quàm eam quam quis adhuc sanus & retinere valens largitur: sicut dixit sancta Lucia matri suæ.

*Mat.6.* *Mar.12.* *Luc.21.* *Greg. hom.5.* *Eccl.35.* *2.Cor.9.* *Prou.3.*

---

*Superiores plus quàm cæteros obligari ad opera misericordiæ.*

CAP. X.

QVod alius ex misericordia proximo impendit, hoc ex iustitia aut simili debito superior tenetur prę̃stare subdito suo. Exempli gratia: Debito pietatis paternæ parẽs obligatur filium & pascere & vestire: Extraneus autem extraneũ tantum ex misericordia. Princeps ex iustitia debet defendere viduas atque pupillos, oppressisque subuenire: sicut ait Psalmus, Deus stetit in synagoga Deorum (hoc est, iudicium) in medio autem Deos diiudicat. Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificate. Eripite pauperẽ, & egenũ de manu peccatoris liberate. Pastor quoque ex suo pastorali officio obligatur docere, corripere, cõsulere, cõsolari oues suas, & orare pro eis: Pauperum quoque atque viduarũ curam gerere. Et quantumcunque à subdito læsus fuerit, à peculiari erga eũ charitate cessare non potest, vbi cessare posset priuatus. Vnde & princeps pastorũ dominus Iesus Christus, præ omnibus hominibus misericors fuit, & ad miserendum hominum venit in hunc mundũ. Spiritus domini super me, inquit, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare cõtritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et in hoc præcipuè misericordiam suam commendat, quia odientes se dilexit, & cùm adhuc impij &

*Psa 81.*

*Vide Prosperum li. de vita contempl.*

*Esa. 61.*
*Luc 4.*

*1. Io. 4.*
*1. Pet. 3.*

*Rom.5. Col.1.* peccatores inimicique essemus, pro nobis sal-
uandis mortuus est. Maiorem autem charita-
*Ioan.15.* tem nemo habet, quàm vt animam suam po-
nat quis pro inimicis suis, vt eos sibi amicos
efficiat. Hanc charitatem omnes quidem imi-
*1.Io.3.* tari debemus: sicut ait Ioannes, Ille animam
suam pro nobis posuit, & nos debemus pro
fratribus animas ponere: Sed potissimum, id-
*Ioan.10.* que ex officio suo Pastores, sicut ait: Bonus pa-
stor animam suam dat pro ouibus suis.

*Eleemosynam præcipi non tantùm vt bonum opus, sed etiam vt remedium peccatorum.*

CAP. XI.

A Deo verò tam frequẽter scripturæ omnes exhortantur ad eleemosy-nas: quia eleemosynæ præcipiun-tur non tantum ex lege primæ in-stitutionis, sicut alia bona opera, sed etiam vt per eas redimantur peccata, hoc est, vt propter opera misericordiæ Deus ignoscat peccata: si-
*Esa.1.* cut ait Esaias, Subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & argui-te me, dicit Dominus. si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabũtur: & si fue-rint rubra quasi vermiculus, velut lana alba
*Pro.13.* erunt. Vnde Salomon inquit: Redemptio ani-
*Dan.4.* mæ viri, diuitiæ suæ. Et Daniel ad Nabucho-donosor: Consilium meum placeat tibi rex, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquita-tes tuas misericordiis pauperũ: Forsitan ignos-cet Deus delictis tuis. Manifestissimè autem dominus in Euangelio, vbi ait: Date, & dabi-

tur vobis: dimittite, & dimittetur vobis: ſicut *Luc.6.* Petrus & Iacobus de eleemoſynis ex Salomone dicunt, *1.Pet.4.* *Iaco.5.* Charitas operit multitudinem peccatorum, *Pro.10.* ſeu vniuerſitatem. Imò Saluator in *Mat.25.* Euágelio dicit ſe in extremo iudicio commemoraturum in electis eleemoſynas præſtitas, *Aug.ho.19. inter.50. hom.* in damnandis prætermiſſas: non quaſi aliqua benefacta ibi ſine honore relinquãtur, aut impij non ſint à propria conſcientia de omnibus ſceleribus ſuis in illo iudicio accuſandi atque dãnandi: ſed quia dominus indicare nobis voluit, pœnitentibus in Christiana Eccleſia ſecũdum Christianæ Eccleſiæ morem, per eleemoſynas omnia peccata dimitti, & ſine eleemoſynis non remitti. Videtur enim dominus eo loco propriè agere de his, qui ſub ipſo paſtore Chriſto, in vno grege ſe geſſerunt, & oues fuerunt, vel hœdi ouibus commixti, hoc eſt, de his qui ſaltem nomine Chriſtiani fuerũt. Ouibus *Vide Aug. enchi.ca.69. & iam citata homi. item ſer.33. inter Louanij iam emiſſos.* dabit regnum: quia etſi peccauerint, pœnitentiam tamen conuenienter egerunt, largas ſcilicet eleemoſynas dando. Hœdos autẽ damnabit: quia cùm peccauerint, conuenienti pœnitentia per eleemoſynas Deum non placauerunt. Hinc & quotidianus & ſplendidus epulo *Luc 16.* propter peccatum gulæ in æternum cruciatur in lingua: quia non fuit ſolicitus peccata ſua relinquere, & ea eleemoſynis redimere. ſicut & de Sodomitis inhoſpitalibus ait Propheta Ezechiel: Ecce, hæc fuit iniquitas Sodomæ, *Gen.19.* ſuperbia, ſaturitas panis & abundantia, & otiũ *Eze.16.* ipſius & filiarũ eius: & manum egeno & pau-

peri non porrigebant. Et eleuatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me: & abstuli eas sicut vidi. Ex hoc autem, quòd dominus eleemosynas misericorditer ordinauit in remedium peccatorum: Christus dominus mandatum dilectionis proximi & nouum vocat, & suum peculariter dicit. Mandatum, inquit, nouum do vobis, Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: &, Hoc est præceptum meum, Vt diligatis inuicem. eaque respicere puto Apost. cum ait: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Quod enim charitas valet ad veniam obtinendam, non est ex institutione naturæ, vel veteri lege, quæ nullum remedium peccanti præstat aut indicat, sed ex nouo testamento est, nouoque pacto Dei de reparatione hominis lapsi: cuius testaméti Christus mediator est & impletor. Vnde etiam Iacobus, legem Christi iis qui non sunt omnino obliuiosi auditores, sed factores operis, legem libertatis esse dicit, cùm lex vetus sit lex seruitutis, secundùm quam qui vnum mãdatum violat, statim damnationis reus est tanquam legis violator. At qui in præcipuis per gratiam Christi legem obseruat, in minoribus vbi deficit à legis impletione, in lege Christi in quam iam transiit, remedium præparatum habet, videlicet opera misericordiæ. Sic loquimini, inquit Iacobus, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Iudicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam. sed (in viro misericorde) superexul-

*Ioan.13.* *Ioan.15.* *Gal.6.* *Charitas vnde habeat vt prosit ad remissionem peccatorum.* *1.Ti.2.* *Iac.1.* *Gala.4.* *Iac.2.* *Impletio legis.* *Iac.2.*

tat misericordia iudicio, impetrans scilicet vt non seuerè, sed misericorditer cum eo agatur. Lex ergo libertatis Iacobo est ista: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. At lex vetus iudicium sui transgressoribus sine misericordia minatur, vtpote nullum præbens remedium. Igitur, qui vita mutata, Ecclesiæque more pœnitentes, eleemosynas dederint,* sub lege, hoc est, legis maledicto iam non sunt, sed in lege sunt Christi, quæ promittit misericordibus emendationem ab omni peccato per sanguinem Christi: & secundum hanc legem iudicabuntur, dum dicetur eis: Possidete regnum, &c. esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c. Immisericordes autem iudicabuntur, prout peccata eorum meruerint, & vti exigit lex vetus, sub cuius supplicio ponendi sunt. Vnde Dauid, secundum minas antiquæ legis considerans peccata: Si, inquit, iniquitates obseruaueris, Domine, quis sustinebit? Et continuò, ne desperaret, ad nouum testamentū oculos erigit dicens, Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te domine. Quā *a* legē? quæ reos facit? Data enim est lex sācta Iudęis, sed reos eos potuit facere: nō soluit à peccatis, sed ostēdit peccata. Est alia lex misericordię Dei, lex propitiationis Dei, lex charitatis. Hęc dat veniā peccatis, delet pręterita, admonet de futuris. In via nō deserit comitem, comes fit ei quem ducit in via. Ergo propter legē tuā sustinui te domine: quia dignatus es legem misericordiæ afferre,

*Mat. 5.* *Prosper lib. Senten. sic ait sententia 38. Lex Christi est, per quam dicitur cōditori legis: Dimitte nobis debita, &c.* *Bene enim expectat pro missione Dei qui mandatū eius exequitur nec frustra sperat parcendū peccatis suis, qui ignoscit alienis, dicente Apost. Gal. 6. Inuicē onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* *a Aug. ad hoc: Propter legem tuam, &c.* *Mat. 25.* *Psa. 129.* *Ro. 7.* *Gal. 3.*

mihi dimittere omnia peccata mea, dare mihi de cætero monita ne te offendam. In ipsis monitis, si quid fortè titubauero, dedisti mihi remedium quo te orem, dicens, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hanc legem statuisti mihi, vt quomodo dimitto, dimittatur mihi. Propter hanc legem sustinui te domine. Expectaui quando venias & liberes ab omni necessitate, quia in ipsa necessitate non deseruisti legem misericordiæ. Audi quam legem dicat, si nondum intellexisti, quia legem modò dicit charitatis. Audi Apostolum, Inuicem onera vestra portate, & sic implebitis legem Christi. Et fortassis, præter alias causas, etiam hac de causa, quia opera charitatis veniam peccatis impetrant, adeò frequenter in scripturis dicitur diligens proximum legem implere. Omnia enim mandata facta deputantur, quādo quicquid non fit, ignoscitur.

*Mat.6.* *Gal.6.* *Ro.13.* *Gal.5.* *Iac.2.* *Aug.ca.19. li.1.retractu.*

*Deum valde congruè misericordium misereri.*

CAP. XII.

ADmodùm congruè Deus ordinauit, vt qui erga proximum esset misericors misericordiam à Deo impetraret. Sicut enim Christus redemptor, peccata aliena quæ assumpsit, magna illa misericordia, qua pro hominibus mortuus est, deleuit: ita etiam propria peccata debet homo apud Deum, misericordiæ illius imitatione. Meritò enim similia opera similem habent effectum. Vnde Ioannes Apostolus: Fiduciam,

inquit, habemus in die iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo: hoc est, Cõfidimus nos saluandos in die iudicij, quia per opera misericordiæ similes sumus redemptori nostro atque iudici. Vnde Christus dominus non simpliciter dicit: Hoc est præceptum meũ vt diligatis inuicem, sed adiecit: Sicut dilexi vos. Quæ similitudo in omni quidem opere misericordiæ aliquousque relucet, sed tamen maximè in his eleemosynis locum habet, quæ præstantur miseris, quia amici Dei sunt, vel vt tales fiant. Christus dilexit nos, vt in æternum Patri reconciliaret. Dum ergo aliorum ideo miseremur, quia filij Dei sunt, vel vt ad gloriam æternam pertingant: tunc Christo propriè similes sumus in dilectione. Atque hæc est propriè misericordia, quã proponit scriptura tanquam impetrantem veniam. Vnde significanter ait Christus: Quisquis potum dederit vobis calicẽ aquę in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis, Non perdet mercedem suam. & iterum: Esuriui, & dedistis mihi mãducare. atque hoc exponens: Quamdiu, inquit, vni fecistis de fratrib⁹ meis minimis, mihi fecistis. Nunquid illi pauperes inter quorũ pannos & illuuiem corporis flagrãs libido dominatur, fratres sunt Christi: vt Christus dicatur accipere quod ipsi accipiunt? minimè gentium. sed hi sunt in quibus Christus accipit eleemosynam, qui cùm acceperint dolent, seminantes spiritalia, & metentes carnalia. Item, qui Dei faciunt voluntatem, vt fratres & so-

*1. Ioan. 4.* *1. Ioan. 15.* *Rom. 5.* *Mar. 9.* *Mat. 25.* *Hiero. ad finem epist. cõtra Vigilant.*

*Mat.12.* rores Christi dici possint. Hi qui in corpore sunt Christi, eiusque sunt membra: vt quod eis *Impio benefacere an quis possit?* præstatur, Christo verè fieri dicatur. Quod autem impio confertur, quò Christianus fiat, *Eccl.12.* prorsus Christo fieri affirmandum est: alioqui, impio benefacere interdum peccatum est sicut ait Sapiens: Si benefeceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa. Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam: & si non ab ipso, certè à domino. Non est enim ei bene qui assiduus est in malis, & eleemosynas non danti: quoniam & altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus. Da bono, & non receperis peccatorem. Benefac humili, & non dederis impio, prohibe panes illi dare, ne in ipsis potentior te sit.

*2. ratio.* Deinde ob hoc etiam planè congruum est, vt per eleemosynas obtineatur Dei misericordia: quia iustū est vt quisque sic alium tractet sicut ipsemet tractari cupit: æquum est (sicut ait Christus) vt eadem mensura qua mensi fuerimus, remetiatur nobis. *Mat.7.* Quis (ait Prosper ca. 28. lib. 3. de vita contempla.) non misericordem sibi Deum facit, qui misericors erga laborantes vel errantes extiterit? &c.

*3. ratio.* Denique etiam ob hoc eleemosynæ exhibitæ Christiano impetrant Dei misericordiam: quia abundantia bonorum operum, quæ est sanctis eleemosynas accipientibus, fit supplementū inopiæ spiritualis, qua laborant hi qui largiuntur eleemosynas: sicut ait Paulus, Corinthiis scribens de pauperibus qui erant Hie-

rosolymis: In præsenti tempore, vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorũ abundantia vestræ inopiæ sit supplementum: vt fiat æqualitas sicut scriptum est, Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit. Vnde & Christus ait: Qui recipit Prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet: & quicũque potum dederit vni ex minimis istis calicẽ aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli: amẽ dico vobis, non perdet mercedem suam. Cur ita? Vtique quia labor prophetæ, & iustitia iusti, & fides discipuli, fiunt fouentis prophetam, iustum, vel discipulũ, per Dei reputationem quia fouet illos, succurruntque illi vt Deus ei sit propitius. Vnde proposita parabola, alibi diligentissimè mandatum huius rei dat dominus: Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Nunquam enim sancti Christiani ingrati sunt. pro paruis magna, pro corporalibus spiritalia, pro caducis æterna tribuunt. Sicut enim Helias & Helizæus suscitarunt filios hospitum suarum: ita sancti Christiani suscitationem à morte animę impetrãt eis, à quibus corporaliter adiuuãtur. Quod Christus pręstitit Magdalenę & Zachęo hospitibus suis, hoc & hospitibus famulorum suorũ exhibet. Cùm igitur à Deo præcepta sit eleemosyna, nõ tantùm vt bonũ opus, sed etiã

2. Cor 8. Exo. 16. Mat. 10. Mar. 9. Luc 16. 3. Re. 17. 4. Re. 4. Ioan. 12. Luc 19.

vt remedium: oportet nos, qui etiam vtcunque vitatis criminibus multis quotidie implicamur peccatis, valde misericordes esse, & nō solùm anxiè cogitare an pręceptum nobis sit eleemosynas dare (quia reuera pręceptum est, ne alicuius talenti siue spiritalis, siue corporalis, absconditi condemnemur) sed etiam pręoculis habere languores nostros innumeros, vt tanto diligentius eleemosynarum medela vtamur. Scriptum est: Homo indigens, misericors est. non vtique homo corporaliter indigens, quem sępe occidit inuidia.(de quo Salomon: Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi in quo paratur fames) sed qui agnoscit peccata sua & paupertatem spiritualem, scitque se miserum, miserabilem, pauperem, cęcum, & nudum. Is nunquam proximi cessat misereri, vt & ipse misericordiam consequatur à domino. Tales fuerunt, qui primi in Hierusalem crediderunt: qui à Spiritu sancto illustrati cognoscebant propriam miseriam, ac ideo vniuersa sua, possessiones & substantiam vendebant, & omnibus, prout cuique opus erat, diuidebant.

*Mat.25. Luc12. Pro.19. Pro.28. Act.2.*

*Quo sensu dicatur eleemosyna remedium peccati.* CAP. XIII.

OPera misericordiæ, cor contritum, siue pœnitentia, preces atque fides in mediatorem, non propterea dicuntur placare Deum, aut impetrare veniam peccatorum, quasi per ea peccator exacta ęqualitate iustitiæ satisfaciat Deo (solus enim

enim Christus exactum pretium exoluit peccatorum quæ non rapuit, dum effudit sanguinem suum in remissionem peccatorum, & vt *Ro.8.* iustitia legis impleretur in nobis) sed quia, quũ ex sanguine Christi, Deo nos præueniente hęc obtinuerimus, fidem, scilicet, pœnitentiam, & opera misericordiæ, per ipsa præparamur, vt ampliorem sanguinis Christi aspersionem suscipiamus, vt veniam consequamur, magisque ac magis in nouitate vitæ ambulantes, stolas nostras in sanguine agni dealbemus. Merè tamen gratuitò & misericorditer, non ex aliquo primæ institutionis debito, vult Deus hęc esse pręparatoria ad maius remedij sanguinis Christi participium: sicut ait pœnitens & fidelis David, Miserere mei Deus secundum magnam *Psa.50.* misericordiam tuam. Differenter interim fides mediatoris, & eleemosynę, passioni Christi amplius participandæ nos præparant. Fide enim mediatoris agnoscimus, mera Dei gratia nobis per Christum donari fidem & opera misericordiæ: item, meram esse gratiã, quòd propter fidem & opera misericordiæ, alia nobis largiatur Deus. Nomine autem eleemosynæ & pœnitentiæ hoc non indicatur. Attamẽ, cor contritum, sanctumque desiderium, & opera *Idem hic autor ca.3. tractatus præfixi tractatui de inuocatione sanctorum.* misericordiæ, vicinius nos Deo coniungunt, ac ad gratias eius accipiendas amplius nos aptant, quàm fides mediatoris. Hæc intellectum tantùm illustrat, illa autem sunt affectus iam ad Deum conuersi quod sæpe etiam illustrato intellectu non sequitur: sicut ait Augustinus

*Concione 8. in Psal. 118. Vide 4. homiliam Aug. statim post medium, in epistolam Ioan.* Præuolat intellectus, & tardè sequitur, & aliquãdo non sequitur humanus atque infirmus affectus. Ideoque in scripturis, dilectio sanctaque desideria dicũtur cor dilatare, & quodammodo in sinum cordis extendere, vt Dei donis recipiendis aperiatur. Dilata (inquit Propheta) *Psa. 80.* os tuũ, & implebo illud. Petite (ait Christus) *Ioan. 16.* & accipietis. Ex his patet, cur scriptura sacra nunc fidei Christi tribuat iustificationem hominis: & hoc præcipuè, quando agit cum eis, qui Dei gratiam per mediatorem Christũ non reputant necessariam (vt tota epistola ad Romanos, alijsque epistolis Pauli, tertio, quinto, sexto capitibus apud Ioannem) nunc verò charitati seu dilectioni proximi: idque tunc imprimis, dum agitur cum hominibus rectè de mediatore sentientibus: vt in sermone domini post cœnam apud Ioannem, quem Christus dixit ad solos discipulos suos. Si, inquit, præ*Ioan. 15.* cepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. &, Hoc est præceptum meum, Vt diligatis inuicem. &, Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Et Petrus Apostolus, *1. Pe. 4.* scribens fidelibus: Charitas, inquit, operit mul*2. Pet. 1.* titudinem peccatorũ. &, Fratres, satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Aliquando verò vtrumque & charitatem & fidem exprimit scriptura. In *Gal. 5.* Christo Iesu, ait Paulus, valet fides quæ per *1. Ioan. 3.* charitatem operatur. Et Ioãnes: Hoc est mandatum Dei, vt credamus in nomine filij eius *Iac. 2.* Iesu Christi, & diligamus alterutrum. Sic &

Iacobus, ex fide & operibus docet iustificari hominem.

*De peccatis in hoc praeceptum: Diliges proximum tuum.* CAP. XIIII.

OMnia quidem peccata contra proximum commissa dilectioni proximi aduersantur, sed peculiariùs quędã, de quibus nunc est dicẽdum. Et prætermissis peccatis quibus omittit quis præstare debitam & ordinatam dilectionem ac subuenire proximo (nam hæc ex supradictis manifesta sunt) tractemus illa, quæ vno verbo prohibet Apostolus, dicens. Curate, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. *Heb. 12.*

*De odio.* CAPVT XV.

QVi hominem etiam inimicum odit, omnino contrarius est secundo præcepto. Qui odit fratrem suum, inquit Ioannes, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Et iterum: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis, quoniã omnis homicida non habet vitã æternam in se manentem. Non autem is hominem odit, qui vitia eius odit. Sic enim diligendi sunt homines, vt eorũ non diligantur errores: quia aliud est, amare quod facti sunt, aliud odisse quod faciunt. Perfecto odio, inquit Propheta, oderã illos qui te oderant. Perfectũ odium est, quod nec iustitia, nec scientia caret: id est, vt nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter

*Quid odium sit, vide epist. 149. Augustini.*

*1. Ioan. 2.*

*1. Ioan. 3.*

*Prosper sent. 2. fortè ex Aug. c. 6. cli. 4. ciui. Dei.*

*Psal. 138.*

homines diligas. Rectè ergo in malis odimus malitiam, & diligimus creaturam: vt nec propter vitium natura damnetur, nec propter naturam vitium diligatur. Publicis inter se odiis olim exardescentes, ab ecclesiasticis conuentibus remouit. 2. Arelatensis synodus cap. 31.

*De inuidia.* CAP. XVI.

Sicut diligens proximum gaudet de bono eius, secundùm mandatum Apostoli, Gaudete cum gaudentibus: ità qui non diligit proximum suum, sed tantùm suum commodum, reliquos excellere cupiens, inuidet proximo, hoc est, tristatur de bono eius, sicut ait gentilis poëta: Inuidus, alterius rebus macrescit opimis. Cuius mali originem explicans Apostolus: Non efficiamur, inquit, inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes, numeratque inuidiam inter ea peccata, quæ hominē à regno Dei excludunt. In duplicem autem inuidia scinditur passionē: cùm aut inuidus ipse est aliud in eo in quo alium esse non vult, aut alium videns esse meliorem, dolet se ei non esse consimilem, malletque alterum nō esse tam excellentem. Prioris generis inuidia laborant illi, qui sua dona aliis non communicant, vt ipsi scilicet semper excellentiores maneant. Quibus dissimilis erat Sapiens, qui cōfidenter de seipso dicebat: Quid est sapientia, & quemadmodum facta sit, referam, & nō abscondam à vobis sacramenta Dei, sed ab initio natiuitatis inuestigabo, & ponam in lucem scientiam

*Ro. 12.* *Gal. 5.* *Inuidia, peccatū est mortale.* *Ibidem.* *Hieron. in 5. cap. epist. ad Galat.* *Sap. 6.*

illius, & non præteribo veritatem, neque quidem cum inuidia tabescente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. Et iterum: Sapientiam sine fictione didici, & sine inuidia communico, & honestatem illius non abscondo. Sic Moyses, dum rogaretur à Iosue, vt prohiberet Eldad & Medad ne prophetarent, absque omni liuore respõdit: Quid æmularis pro me? Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum? Secundi generis inuidia perpetuò cruciatur diabolus, ex quo ab angelorum sanctorum consortio excidit. Vnde adhuc stanti homini inuidés, eũ in lapsum pertraxit, & omnes omnino secum ad æternam mortem pertrahere conatur. Inuidia diaboli, ait Sapiens, mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Ex primo genere inuidiæ ad secundum deuenitur. Qui enim aliis sua communicare non vult vt ipse maior maneat, dignus est perdere quæ habet: iuxta sententiam Saluatoris, Tollite ab inutili seruo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Hæc est lex diuinæ prouidentiæ, inquit Augustinus, vt nemo à superioribus adiuuetur ad cognoscendam & percipiendam gratiam Dei, qui non ad eadem puro affectu inferiores adiuuerit. Quando igitur perdito suo bono superbus miser efficitur, inuidet aliis quòd ęquè miseri non sint: vt in dia-

Sap. 7.

Nu. 11.

Sap. 2.

Mat. 25.

Cap. 28. li. de vera relig.

bolo contigisse videmus. Et in æternum damnatorum est illa inuida vox in libro Sapientiæ: *Sap. 5.* Ecce quomodo cóputati sunt (scilicet electi) inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Tanto autem grauior est inuidia, quanto maius est bonum de quo quis alteri inuidet: sicut & odium tanto grauius est, quanto maius est malum, quod quis optat proximo. Pessima est ergo inuidia fraternæ gratiæ, qua quis dolet de largitate misericordiæ Dei proximo præstita, quæ potius peccatum in Spiritú sanctum, quàm in proximum dicenda est. Admodum autem conuenienter ordinauit dominus, vt qui per inuidiam imitantur diabolum *Sap. 6. Pro. 14.* & Cain, suiipsorum, sicut & illi sint tortores. Vnde quodam loco Sapiens inuidiam tabescere dicit, & etiam alibi inquit: Putredo ossium, inuidia: quia videlicet tanto cruciatu se affligunt inuidi, vt etiam robustissima quæ habent, cuiusmodi sunt ossa in corpore, putrefaciát. Vnde, inquit Hieronimus, pulchrè quidam dixit: Iustius inuidia nihil est, quę protinus ipsum authorem rodit, excruciatque animum. *In 5. cap. epist. ad Galat.* Et Cyprianus in libro de zelo & liuore, valde (inquit ibidē Hieronimus) optimo: Qualis, inquit, est animæ tinea, aut quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem eius, vel fœlicitatem, id est, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia diuina, in malú proprium bona aliena cóuertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, & velut

*Liber hic est nunc secūdus sermonū Cypriani*

quosdã pectori suo admouere carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerẽt, qui cordis secreta maleuolentiæ vngulis pulsent? Non cibus talibus lætus, non potus potest esse iucundus: suspiratur semper & gemitur, & doletur. Dumque ab inuidis nunquam liuor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Quantoque ille cui inuidetur successu meliore profecerit, tanto inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardescit. Hinc vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata conuitia, manus ad cædis violentiam promptæ etiam si gladio interim vacuæ, odio tamen furiosæ mentis armatæ. Et idcirco Spiritus sanctus dicit in Ps. Nolite zelare bene ambulantem in via sua. Et iterum: Obseruabit peccator iustũ, & stridebit ad eum dentibus suis: Deus autẽ irridebit eum. Psal. 36.

*De discordia. CAP. XVII.*

Sicut diligens proximos, cum omnibus, quod in se est, pacem habet: ita non diligẽs proximum, sed quę sua sunt quærens, pacem turbat, atque â proximo facilimè dissentit. Numerat autem Apostolus inter peccata, hominẽ à regno Dei excludentia, discordiam seu dissensionem: qua fit, vt quis non consentiat in bonum proximo debitum. Lateque admodum patet dissensio. Reperitur enim in eadem domo mariti ad Gal. 5.

*Hieron.in 5. cap. epist. ad Galat.* vxorem, patris ad filium, fratris ad fratrem, conserui ad conseruum, militis ad contubernalem, artificis ad eiusdem operis artificem. Nonnunquam euenit, vt & in expositionibus scripturarũ oriatur dissensio, è quibus hæreses ebulliunt. Quæ res (scilicet dissensio) quàm sit nociua, aperit Saluator in Euangelio, dicens:
*Mat.12.* Omne regnum in se diuisum desolabitur, &
*Hieron. ad hoc.12.ca. Mat. Si Sathanas Sathanam,&c.* omnis ciuitas vel domus diuisa cõtra se, nõ stabit. Quomodo enim concordia paruę res crescũt, ita discordia maximæ dilabũtur. Propterea sedulò ab hoc malo scriptura dehortatur. Pau-
*1.Cor.1.* lus Corinthiis: Obsecro vos fratres, inquit, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & nõ sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in
*Phil.2.* eadem scientia. Et iterum: Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis: implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipsum
*Mat.5.* sentientes. Et sicut pacifici septimo loco recẽsentur à Christo inter beatos, filiique Dei ap-
*Mat.18.* pellantur, & Christus promittit se exauditurũ
*Pro.6.* omnem petitionem concordium: ita Salomõ, Sex sunt, ait, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, nempe (inquit, postquã sex illa enumerauit) eum qui seminat inter fra-
*Mat.5.* tres discordias. Reiicitque euangelium sacrificium eius, qui fratri suo non est reconciliatus. Quod sequutæ sunt synodi Carthag. 4. cap. 93. Toletan. 11. cap. 4. Arelatensis 2. cap. 31. Vt

nihil est melius concordia in bonum, nihil peius discordia circa bonum: ita nihil melius discordia circa malum, & nihil peius concordia in malo. Quamobrem, sanctissimum est, seminare à malo discordiam. Cuius rei gratia venit pacificator hominis cum Deo, in hunc mundum, sicut ait: Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram. Nō veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum. & inimici hominis, domestici eius. Non est autem putandum, statim incurri crimen discordiæ, si quis dissentiat à modico & nullius propemodum æstimationis bono proximi, aut si duo, verum bonum quærentes magna solicitudine, de eo quod ad id consequendum expedit diuersa sentiant, aut si salua fide catholica, diuersas habeant duo theologi in quibusdam opiniones, imò in rebus obscuris etiam ad fidem pertinentibus, si absit pertinacia, cōtingit sine grādi scelere quandoque quosdam à se mutuò dissentire. Hoc enim facit sanitas pacis; vt cum diutius aliqua obscuriora quæruntur, & propter inueniendi difficultatem, diuersas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perueniatur, vinculum permaneat vnitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris. Et ideo plerunque doctioribus, minùs aliquid reuelatur, vt eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus maior est, comprobetur,

*Mat. 10.*

*Aug. li. 2. cōtra Donat. cap. 4.*

*Cap. 5. eiusd. lib.*

vel quomodo teneant vnitatem, cùm in rebus obſcurioribus diuerſa ſentiunt, vel quomodo accipiant veritatem, cùm contra id quod ſentiebant, declaratum eſſe cognoſcunt. Aliquid aliter ſapere quàm ſe res habet, humana tentatio eſt: Nimis autem amando ſententiam ſuam, vel inuidendo melioribus vſque ad pręcidendæ communionis & cōdendi ſchiſmatis vel hæreſis ſacrilegium peruenire, diabolica præſumptio eſt. In nullo autem aliter ſapere quàm res ſe habet, angelica perfectio eſt. Qui itaque homines ſumus, ſed ſpe angelis æquales ſumus, quandiu perfectionem angeli non habemus, præſumptionem diaboli non habeamus. Boni Catholici, quod ad fidei doctrinam pertinet, ita quærunt ſi quid quærendum habent, vt abſit concertatio periculoſa, vel quærenti, vel ei cum quo quæritur, vel eis qui differentes audiunt. Ita autem docent ſi quid docendum habent, vt viſitata & confirmata ſecuriſſimè & fidentiſſimè & leniſſimè vt poſſunt inſinuent: Inuſitata verò, etiam ſi veritatis manifeſtatione liquidiſſima perceperunt, quęrendi potiùs quàm pręcipiendi aut affirmandi modo, propter audientis infirmitatem. Si autem tantum habet pondus aliquod verum, vt vires diſcentis excedat: ſuſpendendum eſt vt extendat creſcentem, non imponendum vt obterat paruulum: aliquando autem & occultandum eſt, ſed cum ſpe hortatoria, vt non faciat deſperatio frigidiores, ſed deſiderium capaciores. Bonus ergo catholi-

*Idem paulò infrà.*

*Mat. 22.*

*Aug. q. 11. in quæſt. ſuper Matthæum.*

cus non ſtatim ac perceperit certò aliquid pertinere ad fidem, ſeparat ſe à diuerſum ſentientibus, necdum tantæ intelligentiæ capacibus, quando dogma non eſt omnino vſitatum.

*De contentione.* CAP. XVIII.

Contingit hominem paci aduerſari non tantum interiori diſſenſu, ſed etiam exteriori, verbis ſcilicet & locutione: quod peccatum contentio dicitur. Et iuxta verbum Apoſtoli, ijs qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio: ſic ſolet definiri, Contẽtio eſt impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. & docente Apoſtolo, ſeparat hominem à regno Dei, redditque eum obnoxium æternæ iræ, idque tunc maximè, cum quis impugnat eam veritatem, quæ ad ſalutem æternã vtilis eſt, aut ad famam vel aliud proximi bonũ pertinet. Ea autẽ contẽtio, qua quis falſitatẽ impugnat, aut cauſa explicandæ veritatis contentioſi partes ſubit, abſit vt inter peccata numeretur, quũ legatur, & Chriſtum & Stephanum & Paulum tali diſputatione vſos fuiſſe, ac ab epiſcopo exigatur, vt contradicentes veritati poſſit redarguere, & omnes Doctores Eccleſiæ per diſputationes contra hæreſes ſint plurimum illuſtres effecti. Vnde & diabolus per ſeruum ſuum Iulianum apoſtatam, interdicere conatus eſt Chriſtianorum filijs vſum philoſophicarum artium. Ex noſtris enim, inquiens, libris arma

*Ro. 2.*

*Teſtis eſt Aug. c. 52. lib. 18. de ciui. Dei*

*Theodo. li. 3. hist. eccl. c. 8. Item lib. 6. hist. trip. ca. 37. Videatur Aug. contra Cresco. Grãmaticum a primo cap. vsque ad 20.*

capiunt, quibus in bello aduersus nos vtantur. Si quis tamẽ falsitatem impugnet vt proximo pariat inuidiam, rectè contentiosus vocabitur: sicut ait Apostolus, ad Philippenses, Quidam ex contentione Christum annunciant, nõ syncerè, existimantes se pressuram suscitare vinculis meis. Pueriliter quoque ostentans ingenium vel scientiam, aut sophistica malignitate lucri sui gratia paratus pro omnibus & contra omnia dicere, aut magis de verborũ quàm rerũ diuersitate confligens, rectè contentiosus disputator vocatur. de quo scriptura, Qui, ait, tantùm verba sectatur, nihil habebit: &, Qui sophisticè loquitur, odibilis est. &, Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientiũ. de qualibus & Tullius ait: Verbi controuersia iam diu torquet Græculos, cõtentionis cupidiores quàm veritatis. Absit autem vt reputetur is verbis contendere, qui necessaria dixerit, quantalibet sermonum & argumentationum multitudine ac prolixitate id effecerit.

*Pro. 19.*

*Eccl. 37.*

*2. Ti. 2.*

*Aug. in prologo in lib. retractat. Vide ca. 28. li. 4. de doct. christia.*

### *De pugna, & similibus.* CAP. XIX.

NOn solùm verbo & voluntate pax turbatur, sed etiam opere: vt, si homines inter se pugnent, aut populus populum impugnet (quod bellum appellatur) aut denique, si vnius ciuitatis vel regni partes cõtra se mutuò confligant aut ad id tumultuentur (quod vocatur seditio aut bellum intestinum) aut si subditi suum princi-

*Bellum.*

*Seditio.*

*Coniuratio.*

pem impugnent, vel aduersus eum conspirent: quod coniuratio appellatur.

## *De schismate.* CAP. XX.

QVemadmodum bellis & seditionibus atque coniurationibus cōcordia populorum, ciuitatis aut populi cū principe turbatur: ita per schisma vnitas Ecclesiastica disrumpitur, & membra Ecclesię à fraternitate Christiana diuiduntur, aut ab ipso Ecclesię capite seu pastore. Quod peccatum tanto grauius est seditione & coniuratione, quanto pręstantior est spiritalis communio, & vnitas Christianę Ecclesię externa concordia ciuium: & tanto grauius est schisma priuata vnius hominis discordia ab altero, quāto melius est magisque diligendum totum Ecclesiæ corpus quàm vnus homo. Sicut autem Apostolus dicit de hæretico quòd à semetipso dānatus est, quia videlicet sponte àb Ecclesia recedit, ita & de schismatico rectè dicitur, quòd seipsum dānat, dum separat se à corpore Christi quod est ecclesia. Ferè autem nullum schisma non sibi confingit temporis progressu aliquam hæresim, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur. Quantum verò schisma displiceat Deo, noua atque insolita pœna semel ostendit. dum Dathan & Abiron vnà cum filiis suis ac vniuersa substantia sua, à terra viui in infernum absorpti sunt, & Chore cum ducentis quinquaginta proceribus synagogæ, qui tempore concilij per nomina vocabantur, aliisque

*Tit. 3.*

*Hiero. in 3. cap. epist. ad Titum.*

*Vide nostrā explicationē Symboli cap. 56. Nu. 16.*

*Vide Augu. epistol. 162.*

quatuordecim milibus & ſeptingentis, igne egreſſo à Domino conſumpti ſunt.

## *De ſcandalo.* CAP. XXI.

Mat.18. SIcut diligens proximũ corripit eum ſuper peccato ſuo, vt lucretur animam eius: ita non diligens proximum ei ponit offendiculum eumque ſcandalizat. Eſt autem ſcandalum, dictum vel factum malum, aut ſaltem ſpeciem habẽs, præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis, hoc eſt peccati: ſumiturque ratio nominis ab ambulantibus & ad lapidem impingentibus atque cadentibus. talis enim lapis ſcandalum, hoc eſt, offendiculum appellatur: exempli gratia: Qui impudica verba coram altero loquitur, is alteri occaſionem præbet impudicitię. item, qui impudico arridet, etiam ſi non faciat hoc propter impudica verba, videtur alterius ſtultiloquia approbare: ac ideo videnti hoc prębet occaſionem impudicitiæ. Et ſi quidem eo fine quis dicat vel faciat id, vt alius peccet & ruat, omnino ſcandali prauitatẽ eligit: at ſi alium ſcandalizet, ruinam tamen eius non quęrens, minore ſcandalo peccat quàm prior. ſi quis autem quærat mortalem ruinam alterius, aut quamcunque per ſuum crimen, à vita æterna ſe ſeparat. Si verò venialem ruinam per ſuum veniale pecatum quærat, ſcandalo veniali tantum peccat, ſicut & ille qui ſuo veniali peccato inuoluntariè planè alium in ruinam adducit. At ſi quis per mortale peccatum alterum ſcandalizet, aut contemnat ſa-

lutem proximi, non dignás scilicet pro ea conseruanda prætermittere quod sibi libet, graue crimen committit, sicut ait Christus: Impossibile est vt non veniant scandala. væ autem illi, per quem veniunt: vtilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum eius & proijciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis. & Apostolus: Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. & iterũ: Videte, ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si quis enim viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia eius cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothita? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes consciẽtiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter, si esca scãdalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Et rursum: Si quis vocat vos infideliũ ad cœnam, & vultis ire: omne quod vobis apponitur, mãducate, nihil interrogantes, propter conscientiam. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis: nolite manducare propter illum qui indicauit, & propter conscientiam: conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius. Notandum autem est, quòd præbendo peccati occasionem non minus peccatur etiam si per vigorem animi non peccet cui præbetur

Luc 17. Ro. 14 1. Co. 8. 1. Co. 10.

occaſio peccādi, quàm ſi peccet. Scandalizans enim ad ruinam eum induxit quātum ex opere ipſius aut ipſomet fuit. Nec blandiri ſibi debet ſcandalizans, ſi eodem peccato alius laborans dicat ſe non ſcandalizari, quum reuera per alium ſimiliter peccantem in peccato ſuo confirmetur, liberiuſque iam illud perpetret. Quando autem ſcandalum tantùm ſpeciē mali habet, tunc corā illo qui intelligit ipſum reuera bonum eſſe, abſque ſcandalo fit.

Hactenus de ſcandalo quod actiuum vocari ſolet: ſed contingit interdum, homines ruere occaſione ſanctorum operum, nullam mali ſpeciem habentium, quæ boni homines faciunt. Tantam autem curam vult nos Dominus gerere ſalutis fraternæ, vt illi non tantum temporalia bona impendamus, ſed etiam, ſi ex recto noſtro facto videamus eum peccare, & à peccato ſuo cōuertendus ſperetur ſi bonum opus noſtrum paululum vel intermiſſum, vel occultatum fuerit, debeamus illud intermittere, aut occultare: vt, ſi intermiſſa paululum doctrina de primatu Pontificis, aut largitione eleemoſynarum in religioſos, ſperetur hæreticus conuertendus: tacere oportet ad tempus eam partem catholicæ doctrinæ, & palàm eleemoſynę religioſis non ſunt elargiendæ.

*Mat. 5.*

*Vide Aug. epiſt. 199. ad Ediciā: An cuiuſquam, &c.*

Neceſſaria autem opera, nunquam propter ſcandalum acceptum licet omittere: quia nemo poteſt peccare vt alium à peccato liberet. Hinc nec falſi quicquam docendum, nec vota violanda, nec depoſita raptoribus prodenda ſunt ob

ſunt ob ſcandalum. In quantum ſine peccato *Homil.7. in*
poſſumus, inquit Gregorius, vitare proximo- *Ezech.*
rùm ſcandalum debemus, ſi autem de veritate *ferè in mi-*
ſcandalum ſumitur, vtilius permittitur naſci *tio*
ſcandalum, quàm veritas relinquatur. Si autem non ſperetur aliqua correctio eorum qui ex noſtro bono opere ſcãdalizantur, locũ habebit verbum Euangelij. Cùm enim dixiſſet *Mat.15.*
Chriſtus turbis: Audite, & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominẽ, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes diſcipuli eius dixerunt ei: Scis quia Phariſæi, audito hoc verbo ſcandalizati ſunt? At ille reſpondens, ait: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur. Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. Alioqui, Dominus propter ſalutem diſcipulorum ſuorum conſeruandam, ne ſcandalizarentur, multa *Ioan.16*
tacebat, ſicut ipſe ait, Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.

Declarato vtcunque præcepto dilectionis proximi, ad ſecundam tabulam venio, quæ continet præcepta cuilibet manifeſtiſſima de iuſtitia cum proximis conſeruanda: ordinãturque hæc præcepta ad impletionem dilectionis proximi.

*Exo.20.*

*Honora patrem tuum & matrem tuam.*

CAP. XXII.

CVr inter præcepta iustitiæ proximo seruandæ primum locum obtineat hoc præceptum, cuius satis est manifestum, ex eo quod præ cæteris proximis, peculiariter parentibus debitores sumus. A parentibus enim accepimus totum quod sumus, corpus atque membra, nobilem rationis vsum, sanitatem, educationem. Memento, inquit Sapiens, quoniam nisi per illos (patrem & matrem) natus non fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi. Quòd si etiam expendatur quanta solicitudine & animi anxietate, quantis sudoribus, laboribus, periculisque nos susceperint ac educarint, quomodo sibi plurima subtraxerint, vt nobis prouiderēt: luce clariùs fiet, quantum etiam hac ratione illis simus obstricti. Honorem, inquit Tobias, habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo. Et Sapiēs: Gemitus matris tuæ ne obliuiscaris. Ideo autē matris gemitus pericula, atque dolores peculiarius cōmemorat scriptura, quia in ipsa nostri gestatione in vtero, in natiuitate & lactatione omnibus sensibiliter sunt manifesti: quū tamen labores ac solicitudo Patris, quamuis occultè, minores non sint, sed sæpe maiores. Si iam & hoc consideretur, quāto labore & sumptu ipsi nobis magistros comparent, vt iam inde ab ineunte ætate omnem imbibamus honestatem: quàm solicitè nos Deo dedicarint per sacramēta Christiana, quò ab ęterna morte

*A parētibus quid acceperimus.*

*Eccli. 7.*

*Tob. 4.*

*Eccli. 7.*

eriperemur: quàm sedulò nobis & inculcauerint & inculcari curarint fidē, moresque Christianos: quanto amore & simul dolore cordis, vbi necessarium erat, nos castigauerint: Videbimus, nos eis debere, non solum quòd homines sumus, sed etiam quòd Christiani benique sumus, quod exculti ac eruditi sumus: his adiungentes perpetuum atque inexhaustum eorum erga nos amorem, quem nec mors in eis extinguit, quicquid tandē à filiis passi fuerint, ad quamcunque deuenerint miseriam: cū econuerso filij nec prius ament eos, & posteà cum redamare cœperint, nullo modo æqualiter redament. Meritò ergo præcipitur, vt filij parētibus honorem deferant. Nam honor est testimonium excellentiæ, vel solo corde exhibitū, si coram Deo quis aliquem honoret, vel signo externo, puta voce, vel genuflexione, aut similibus, si quis coram hominibus veniat honorandus. Maxima verò est excellentia, alterius hominis esse originē & causam: eo modo enim quis assimilatur Deo, à quo sunt omnia. Deus, inquit Sapiens, honorauit patrem in filiis: & iudicium matris exquirens, firmauit in filios. Hanc excellentiam ille maximè debet agnoscere atque testari, qui ex hoc ipso & esse & omnia accepit, hoc est, filius. Quapropter huic præcepto inueniuntur aduersari, quicunque parētibus suis honorem bono animo non exhibent, aut de parentibus suis erubescunt, aut eos esse negant, aut derident, imitantes impiū Cham, qui non fuit veritus conspicere ve-

Eccli. 3.

Gen 9.

renda patris sui, & fratribus suis nunciare illius nuditatem. Contra quod peccatum Sapiens: Ne glorieris in contumelia patris tui, inquit: non est enim gloria tibi, sed confusio: gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij, pater sine honore. Similiter maledicentes parentibus (qui lege Domini morte plecti iubentur) grauiter violant hoc præceptum. Spernentes, quoque parentes suos atque exasperantes: qui imitantur prophanum Esau, qui duxit duas vxores, quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ. Contra quę peccata Sapiens ait: In opere & sermone, & omni patientia honora patrem tuum. Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua. Quam malæ famæ est qui derelinquit patrē! & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem. At qui imitantur Absalom, patricidę & matricidæ, aut percussores parentum suorū, omnino bestiales sunt & immanes. Honor, in scripturis non tantum in salutationibus & officijs deferendis, quantum in eleemosynis ac munerum oblatione sentitur. Honora viduas, inquit Apostolus, quæ veræ viduæ sunt. Hîc honor donum intelligitur. Et in alio loco. Persbyteri qui bene præsunt, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Sic & quarto præcepto, Dominus, vel imbecillitates vel ætates vel penurias parentum cōsiderans, præcipit, vt filij parentes suos honorent

Eccl. 3. Leu. 20. Gen. 26. Eccl. 3. 2. Re. 15. Hiero. in 15. caput Mat. 1. Ti. 5. Ibid. Exo. 20.

etiam in vitę necessariorũ ministratione. Hanc prouidentissimam Dei legem volentes Scribæ & Pharisei tempore aduentus Christi subuertere, vt impietatem sub pietatis nomine inducerent, docuerunt pessimos filios, prętextu religionis & oblationum quę Deo offerebantur, parentum inopiam negligere. Contra quos inquit Dominus: Bene irritum fecistis pręceptum Dei, vt traditionem vestrã seruetis. Moyses enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam: &, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri vel matri, Corban (quod est donum) quodcũque ex me, tibi profuerit: & vltrà non dimittis eum quicquam facere patri suo, aut matri, rescindentes verbum Dei per traditionem vestrã, quam tradidistis. Quę enim voluntariè assumuntur ad colendũ Deũ, non possunt assumi cum violatione pręceptorum legis naturæ, quorum vnum est, Subueni parenti egeno. Vnde Concilium Gangrense, conformiter Euangelio: Si qui filij, inquit, parentes, maximè fideles, deseruerint occasione cultus Dei, hoc iustum iudicantes esse, & non potiùs debitum honorem parentibus reddiderint, vt hoc ipsum in eis venerentur quòd fideles sunt: anathema sint. Filius igitur si patrem egenum habeat, cui in monasterio constitutus succurrere non posset, vel differre vel omittere debet monasterij ingressum, vt illius subueniat egestati. At si post professionem religionis pater redactusfuerit ad inopiã, indigeatque

*Mat.15.* *Mat.7.* *Exo.20.* *Exo.21.* *Gang.16.*

filij auxilio:ea quidem quæ omnino requirit religionis professio, non potest propterea filius prætermittere, quia se iam Deo tradidit ad ea obseruāda, sed quicquid obseruata professione sua agere potest, ad id iuuandi patris gratia tenetur: sicut qui vxorem duxit, non licitè ea prætermittit, quæ matrimonium requirit, sed tamen quantum cum recta obseruatione matrimonialis rei potest, tantum parenti egēti tenetur præstare. Quare peccant hîc illi filij, qui parentum inopiam non subleuant pro sua virili potestate: item, qui parentibus bona ip-
*Pro. 28.* sorum furantur: de quibus Salomon, Qui, inquit, subtrahit aliquid à patre & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. Grauius autem, qui iam diuisa sibi parētum hæreditate, parentes sinunt ingratissimi
*Eccl. 33.* egestate premi. Quæ impietas ne cui contingat, admonet omnes Sapiens: Audite, inquiēs, me magnati, & omnes populi, & rectores Ecclesiæ auribus percipite: Filio & mulieri, fratri & amico non des potestatem super te in vita tua, & non dederis alij possessionem tuam: ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis. Dum adhuc superes & aspiras, non immutabit te omnis caro. melius est enim vt filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorū tuorum. In die consummationis dierum vitæ tuę, & in tempore exitus tui distribue hæreditatē tuam. Sicut autem filius corporalem necessitatem parentum subleuare præcipitur, ita & spiritualem, obsecrando eos vt se conuertant

à peccatis suis, docendo eos, & eis consulendo, infirmitatesque patienter sufferendo, orando pro eis, siue viuant, siue vita defuncti sint. Hoc quoque mandato præcipitur obedientia parentibus exhibenda, interprete Apostolo, Ephesiis scribente. Filij obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim iustum est: Honora patrem tuum & matrem tuam. De qua obedientia Sapiens, Audi fili mi, inquit, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. & iterum: Qui timet dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his qui se genuerunt. Huius obedientiæ exemplum dominus noster Iesus Christus in semetipso exhibuit, qui non tantum patri vsque ad mortem obediens fuit, sed & matri suæ subditus fuisse legitur (sicut etiam moriens curam eius gessit, custodem & prouisorem ei designans) quin & Ioseph ipsi tanquam parenti, quia matri coniunxerat. Peccant ergo in hoc mandatum qui parentibus non parent, quos Apostolus inter scelestos recenset, & lex Mosaica lapidibus iubet obrui. Attamen hoc obseruandum est hîc, parentibus in iis tantum esse necessario obediendum, in quibus sunt filij superiores, puta, in cura domestica & disciplina vitæ. In iis enim vbi parentibus pares sunt, non stringuntur obedire eis: nempe in his quæ ad naturam pertinent, ad corporis sustentationem, aut prolis generationem. Vnde si pater mandet filio, ne ducat vxorem, aut ne hanc vel illam ducat, ipse ei parere nisi velit non debet.

*Eph.6.* *Prou.1.& 6.* *Eccli.3.* *Phil.2.* *Luc.2.* *Ioan.19.* *Ro.1.* *Deu.21.* *Videatur Ambr. epist. 43.*

Hunc honorẽ nihilominus debet filius patri, vt cum eo consultet quam expediat accipere vxorem, vt ille præsciat quam loco filię seu pro nuru sit suscepturus, qui verisimiliter meliùs filio, quàm filius ipse sibi consulet: sicut fecerunt Isaac & Iacob, malè contrarium agente scelerato Esau. Admodum verò laudabile est, parentibus ab meliora exhortantibus obtemperare: quemadmodũ ostendit dominus apud Hieremiam, dum laudat & insigni promissione decorat Rechabitas, quòd patri suo Ionadab, præcipienti ne biberent vinum, & ne ędificarent domum, obedierint. Sic laudabile est audire parentes incitantes ad perpetuam continentiam: vnusquisque tamen proprium donum ex Deo habet alius quidem sic, alius verò sic. At cùm parentes aliquid pręcipiunt, quod pugnat contra Dei præcepta vel consilia, locum habet illud euangelicum: Si quis non odit patrem suum, & matrem, non potest meus esse discipulus: & illud Petri Apostoli, Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.

*Gen. 24. Gen. 28. Hie. 35. 1. Co. 7. Aug. ad mediũ epist. 199. ad Ediciam. Luc 14. Act. 5.*

*Vt sis longæuus super terram, & bene sit tibi.*

## CAP. XXIII.

*Exo. 20. Deut. 5.*

HOc mandatum: Honora patrem tuum & matrem tuam, primum est (inquit Apostolus) in promissione: Vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram: vel quia primum est in secunda tabula, habetque promissionem illam: Vt bene sit tibi, &c. adiunctam: vel quia quum sæpe in scriptura obseruantibus mãdata Dei promittatur longęuitas,

*Eph. 6. Aug. c. 6. l. de 10. chordis. Vide Hieron. in 6. ca. epist. ad Ep.*

ea tamen primo promittitur honorātibus parentes, Idque ſanè rectè. Nam cùm homines ſoleant ex operibus ſuis fructum & vtilitatem quærere, ex parentibus autem declinantibus ad interitum non videatur magna ſperāda vtilitas: ideo dominus Deus voluit aliquid promittere honorantibus parentes, & quidem congruè longam vitam: eo quòd gratus ſuper accepto beneficio, dignus eſt cui beneficium conſeruetur, ingratus autem acceptum beneficiũ meretur perdere. Quod beneficiũ quum filio ſit vita, quam à parentibus accepit, iuſtum eſt, vt ſi honorando parentes ſe gratum præbuerit, vita ei conſeruetur, hoc eſt, diu viuat. Nec ſolùm longam vitam promittit dominus honoranti parentes, ſed vt bene tibi ſit, inquit, hoc eſt, vt fœlicem atque iucundam ducas vitam. omnia enim quæ ad vſum huius vitæ pertinent, promittuntur honoranti parentes: vt ſunt honor, dignitas, diuitię, lætitia & ſucceſſus ex animi ſententia. Vnde Sapiens: Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. & , ſicut qui theſaurizat, ita & qui honorificat matrem ſuam. Qui honorificat patrem ſuum, iucundabitur in filijs, & in die orationis ſuæ exaudietur. Imò ſub hac promiſſione fœlicitatis & vitę terrenę promitti intelligitur fœlicitas & vita æterna: ſicut ait Apoſtolus, Pietas promiſſionẽ habet vitæ quę nunc eſt, & futurę. At contrà ijs qui parentes non honorant, vel eis immorigeri ſunt, aut

*Prou.* 1.
*Eccl.* 3.
1. *Ti.* 4.

opem non ferunt, dominus minatur contra-
*Exo.21.* ria: Qui, inquiés, maledixerit patri suo vel ma-
*Prou.20.* tri, morte moriatur. &, Qui maledicit patri
suo & matri, extinguetur lumen eius in mediis
*Pro.19.* tenebris. &, Qui affligit patrem, & fugit ma-
trem, ignominiosus erit, & infœlix. &, Oculū
*Pro.30.* qui subsannat patrem, & despicit partum ma-
tris suæ, suffodiant eum corui de torrentibus,
*Eze.22.* & comedant eum filiæ aquilæ. Patrem & ma-
trem, inquit Ezechiel, contumeliis affecerunt
in te. Verecundiora patris discooperuerunt in
*Gen.9.* te. & post pauca: Congregabo vos, & succen-
*Ambr.li.de* dam vos in igne furoris mei. Et scriptura non
*Noe & ar-* simpliciter dixit, Vidit Cham verenda patris
*ca.ca.30.* esse nudata, sed, Vidit Cham pater Chanaam.
vtique Chanaam natus nō erat. Cur ergo no-
men addidit filij? nisi vt & vitio authoris de-
formaretur hæreditas, & author filij nequitia
grauaretur? Et pater igitur in filio, & filius in
patre redarguuntur, habentes stultitiæ, nequi-
tiæ, impietatis quoque commune cōsortium.
Nec poterat fieri vt bonum generaret filium,
qui bono patri nequam filius, & naturę & eru-
*Idem lib.de* ditionis degener extitisset. Quantam quoque
*benedictio* discimus parentibus referre reuerentiam, cùm
*Patriar.c.1.* legimus, quoniam qui benedicebatur à patre,
*Gen.27.* benedictus erat, & qui maledicebatur, maledi-
ctus erat? Ideo hanc parentibus gratiam dona-
uit Deus, vt filiorum pietas prouocetur. Præ-
rogatiua igitur parentum, disciplina est filio-
rum. Honora ergo patré vt benedicat te. Ho-
noret pius patrem propter gratiam: ingratus,

propter timorem. Et si pauper est, & non habet diuitiarum copias quas relinquat filiis, habet tamen vltimæ benedictionis hæreditatem, qua sanctificationis opes successoribus suis largiatur. Et multo plus est, beatum quàm diuitem fieri. Vnde Sapiens: Honora patrem tuũ vt superueniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in nouissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris, eradicat fundamenta. Id opere cõprobatum est in Iacob benedicto ab Isaac. In Ephraim & Manasse & duodecim Patriarchis à Iacob benedictis. quantũ quoque valeat paterna maledictio, in Cham ostẽsum est, nã etiã in multas generationes Chananæorũ extensa est. Decem fratres (inquit August.) de Cæsaræa Cappadociç suorum ciuiũ non ignobiles: maledicto matris recenti patris eorũ obitu destitutæ, quç iniuriã sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali pœna sunt diuinitus coërciti, vt horribiliter quaterẽtur omnes tremore membrorum: in qua fœdissima specie oculos suorũ ciuiũ non ferẽtes, quaquauersum cuique ire visum est, toto penè vagabantur orbe Romano.

*Eccli. 3.* *Gen. 27.* *Ge. 48. & 49.* *Gen. 9.* *Ad finem c. 8. li. 22. de ciuit. Dei.*

*De veritate huius promissionis: Vt sis longæuus, &c. & similium.* CAP. XXIIII.

MVltos fuisse credendum est, qui & parentibus obsequentes citò mortui sunt, & in parentes impij ad extremã deuenerint senectutem. sicut enim ait Ecclesiastes, Vniuersa æquè eueniunt iusto & impio, bono & malo, mundo & immũdo, immo-

*Eccl. 9.*

lanti victimas & sacrificia contemnenti sicut bonus, sic & peccator, vt periurus, ita & ille qui verum iurat. Placuit enim diuinę prouidentiæ præparare in posterum bona iustis, quibus non fruentur iniusti, & mala impijs, quibus non excruciabuntur boni. Ista verò temporalia bona & mala, vtrisque voluit esse cōmunia: vt nec bona cupidiùs appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerunque afficiuntur. Ostendit tamen Deus sæpe etiam in his euidentiùs operationem suam. Nam si nūc omne peccatum manifesta plecteret pœna, nihil vltimo iudicio reseruari putaretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret apertè diuinitas, uulla esse prouidentia diuina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus euidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus. Itemque si omnibus eas petentibus daret, non nisi propter talia præmia seruiendum illi esse arbitraremur: nec pios nos faceret talis seruitus, sed potiùs cupidos & auaros. Hoc autem altius consilium misericordiæ Dei, quo electis suis sibi seruientibus æterna bona etiam per mala temporalia procurat, nō derogat veritati promissionis dei, qua terrena promittit: quemadmodum nemo falsitatis eum arguerit, qui quum ceruisiam promiserit, dat tamē eius loco vinum. nec proinde falsa est etiam hæc promissio, qua parentem honoranti longa vita promittitur: eò quòd si ea tibi non præste-

*Aug. c. 8. li. 1. de ciu. Dei.*

tur, abundè in vita æterna compensabitur. sicut nec minator ille mentitur, qui ad tempus parcit peccanti, in congruum magis tempus comminatam reseruans vindictam, ac grauitate supplicij dilationem ipsam compensans. Sensus, inquit Hieronymus, promissionis illius: Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, iste est, Qui carnalia pro saluatore dimiserit, spiritualia recipiet: quę comparatione & merito sui ita erũt, quasi si centenarius numer⁹ paruo numero cõparetur. Animis tamẽ infirmis & terrena tantum cognoscentibus, quales ferè sunt filij in iuuentute, secretiora Dei consilia prodere non conuenit, sed terrena præmia ac supplicia opportet eis simpliciter proponere. Æterna enim præmia siue supplicia affectum eorum non tangunt, vtpote eis ignota. Infima pars præmij iustitię, quod est perfecta fœlicitas, terrena fœlicitas est. Infima quoquè pars supplicij est miseria huius temporis. Æquum ergo iudicat diuina prouidentia, vt minimum præmij sic reddatur, quomodo conuenit præcipuo præmij: infimum supplicij sic infligatur, quomodo magis conuenit aut principali parti supplicij, aut eis qui præmiis sunt afficiendi. Prosperitas enim impiorum, quæ in hoc seculo eis contingit, aut ad maiorem damnationem eis cedit, quia corruptiores fiunt: aut si tales hinc non euadant, expedit electorum saluti impios prosperari.

*In 19. caput Matthæi.*

*De officio parentum erga filios.*

CAP. XXV.

VT à filiis honor debetur parentibus: ita parentes filiis præstare debent, vnde coram Deo hunc honorem & mereantur & tueantur. Filij semper sunt respectu parentum liberi, sed serui dici possunt, si ipsi parentes tales sint: tuncque serui sunt respectu Domini suorum parentum.

*Eph.6.* Porrò quia Apostolus post eruditionem filiorum docet etiam parentes ipsorum officium: ideo post explicationem quarti præcepti aliquid de hoc attingamus. Debent ergo parētes amare filios suos, prout etiam ad id ipsa natura instigat: & ex hoc amore, diligēter eos educare, vt videlicet iam inde ab initio cōceptionis accuratè foueantur, & custodiantur vsque ad robustam ætatem. Quocirca peccant grauiter, non solum illi qui filios suos adhuc vtero clausos necant, aut abortum, siue studio siue negligentia procurant, aut filios iam natos exponunt, vel somnolentia opprimunt: sed & illi, qui tam negligenter eos educant, vt in ignē vel aquam cadant, vel claudi, gibbosi, aut lutei fiant. Illæ quoque matres peccant, quę sine iusta necessitate proprios filios lactare dedignātur: vnde scilicet sæpe fit, vt natus infans vel non viuat, vel debilior viuat, quia lac sugere cogitur naturæ suæ non cōforme, qui si ex eodem corpore ex quo est genitus, lactatus esset, ac materni corporis calore fotus, robustus fieret. Ex hoc etiam fit, vt & mater filium, &

filius matrem minus amet, vtpote generatione tantum, & non lactatione se sciens filium. Vnde sanctæ mulieres, Sara, Anna Samuelis, mater Machabæorũ, & ipsa Dei genitrix proprios filios lactasse leguntur. Videmus, vt in ouiũ tam copioso numerosoque grege, è stabulis exiliens agnus, matris suæ continuò percipiat vocẽ, ad eamque properet, atque lactis fontes proprios rectà petat, papillisque maternis contentus sit, etiam si perparũ habeat succi, præteritis haud paucis vberibus lacte distẽtis: quoniam mater ipsa inter tam multos innumerososque agnos, cum internoscit, vt proprium. Docet igitur etiam in bestiis ipsa natura matrem debere suum filium lactare. Praua ergo consuetudo, ait Gregorius, in coniugatorum moribus effecit, vt mulieres filios quos gignũt, nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendũ tradant. quod videlicet ex causa incõtinentiæ videtur inuentum: quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Debetur autem & liberis à parente secundum naturalis amoris affectum sustentandæ vitæ prouidentia siue prouentus. Parentum enim est, inquit Apostolus, colligere siue thesaurum recondere liberis: vt præter hoc quod ad vitam illos genuerunt, etiam viuendi subsidia subministrent. Id autem præstant parentes, non tantum si reditus annuos vel agros filiis aggregent, sed etiam vbi opificium, quo vitam illi honestè transigant, docent. Quapropter malè agunt illi, qui filiorum suorum neglecta prouisione, bona sua

*Gen. 21.*
*1. Re. 1.*
*2. Ma. 7.*
*Basil. in Hexameron. ho. 9.*
*Ad interrogationes.*
*Aug. episc. Angelorum cap. 10.*
*Basil. in Ps. 7.*
*2. Cor. 12.*
*Aug. epistol. 199. ad Ediciam.*

dilapidant, aut tam multa extraneis conferũt, vt filios suos sustentaculis vitæ huius nudent, aut illos sine causa exhæredãt. Ille quoque pater naturam ipsam adulterat, qui ob secundarum nuptiarum societatem, priorum obliuiscitur filiorum. Et detestabilis est eorum negligentia, qui nulla arte ad conquirenda vitæ præsentis subsidia filios suos pauperes instruũt.

*Basil. citata. ho. 9.*

Debent ergo parentes filiis disciplinam, hoc est, vt eos erudiant in recta fide & Christianis moribus. Vos patres, inquit Apostolus, educate filios vestros in disciplina & correptione Domini. & Sapiens: Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur. Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorũ gloriabitur in illo. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus. similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit, & lætatus est in illo. In obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis. reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, & super omnem vocem turbabuntur viscera eius. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. Et Moyses in Deuteronomio, præcepta domini, filiis diligenter inculcanda docet. Docete, inquiens, filios vestros verba meã, vt illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris atque surrexeris. At quia plerumque parentes aut non nôrunt,

*Hoc fieri mãdat synodus Maguntiensis canon. 45.*
*Eph. 6.*
*Eccl. 30.*
*Deu. 11.*

nôrunt, aut impediti aliis non valẽt filios ſuos inſtituere: tales magiſtros debent filiis procurare, qui Chriſtianam fidem & vitam eos optimè doceant. idque hoc tempore maximè curandum, quo ſunt tot operarij ſubdoli & miniſtri Satanæ, transfigurãtes ſe velut miniſtros iuſtitiæ: quo, inquam, vix quiſquam reperitur, qui ſpontè præſtet, quod prolẽ de ſacro fonte ſuſcipiendo promiſit, ſed vt ſponſioni ſuæ ſatisfaciat, à Pręſulibus compelli debet: eo quòd omnes præſumunt, ſedulo parentes erudire proles ſuas.

Valde autem præpoſtera cura & admiranda cæcitas occupauit multorũm parentũ corda, qui quidem magnos theſauros filiis relinquere, illoſque docere qua ratione diuites & magni in hoc ſeculo euadant, admodum ſunt ſoliciti: fidem verò ac religionem, quibus poſſint in æternum viuere, eis tradere negligunt. Porrò in filiorum diſciplina atque regimine, prudentia opus eſt: vt videlicet nec auſterior, nec indulgentior ſit parens. Autoritate imperij fit, vt pueri diſciplinam fugere & odiſſe incipiant, priuſquam eius guſtarint vtilitatem. Hinc puſillanimes & deſperati redduntur. Vnde mandat Apoſtolus: Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, vt non puſillo animo fiant, hoc eſt, nec paruulos & lactantes irritetis, nec adoleſcentibus & maturioris ætatis grauia imperetis: moderatum ſit imperium veſtrum: non quaſi ſeruis, ſed vt filiis vos præeſſe noueritis. Si quando delin-

*Eph. 6. Col. 3.*

*Hier. in 6. c. ad Epheſ.*

quunt, sic obiurgandi sunt, vt correctos malitis quàm punitos, & magis à futuris peccatis eos abducatis, quàm pro præteritis puniatis. Hinc pessimè agunt illi parentes, qui magis ira quàm ratione in filios seuiunt, & etiam correctis implacabiles sunt. item, qui filiis suis maledicunt. Metuendum est, ne sæpe eorum maledictiones exaudiantur à domino, in magnã eorum & filiorum perniciem. Sapiens in prouerbiis admodùm blandè erudit filium suum, sicut & Tobias & reliqui sancti. Verùm vt nimia austeritas pusillanimes, ita & æquo maior indulgẽtia planè corruptos reddit: vt pulchrè quidam hoc disticho dixit:

*Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.*
*Aspera virga bonos pueros facit, atque facetos.*

Qui enim à puero disciplinæ non fuerunt subiugati, grandiores facti non sustinent eam. Pro.22. Prouerbium enim est (teste Sapiente) Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea. Et quia hoc peccatum indulgẽtiæ nimiæ valde frequens est in parentibus, & admodum nociuum filiis: ideo scriptura frequenter illud detestatur. Pro.13. Qui parcit virgæ, ait Sapiens, odit filium suum. qui autem diligit, Pro.23. instanter erudit. Rursum: Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum: & animam eius de inferno liberabis. Eccl.30. Et, Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, vt lætetur in nouissimo suo, & non palpet proximorum ostia. Equus indomitus euadet durus, &

filius remissus euadet præceps. Lacta filium tuum, & pauentem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Ne corrideas illi, ne condoleas, & in nouissimo obstupescent dentes tui. Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est: ne fortè induretur, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Inter negligentes disciplinæ *Aug. li. 2. cõfes. c. 3.* filiorum, illi parentes habẽdi sunt, qui ex auaritia vel quauis alia causa non curant filiorum suorum pestilentem & in posterum periculosam libidinem coercere termino coniugalis affectus, quando ad viuum resecare nequeunt, aut qui pudicitiam filiorũ segniter custodiunt. *Eccl. 7.* Vnde Sapiens: Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. Filiæ tibi sunt? serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. Trade filiam, & grande opus feceris: & homini sensato da illam. Negligentiam paternæ in filios disciplinæ, in Heli sacerdote, iudice alioqui iusto, grauissima pœna vindicauit Deus: dum & ipse de sella misere ruens, fractis ceruicibus expirauit. & posteritas eius valde afflicta fuit, eò quòd nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerat eos. Et certè dixerat filiis suis: Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? Nolite filij mei: non est bona fama quam ego audio, vt trãsgredi faciatis populũ domini. Si peccauerit vir in virũ, placari ei potest De⁹: Si autẽ in dominũ peccauerit vir, *1. reg. 4.* *1. reg. 2.*

quis orabit pro eo? Sed non tantùm verbis cú eis agere debuerat, sed & amouere eos ab officio, quod indignè administrabant. At contrà:

Gen.18. Abraham Deum tam amicum sibi habuit, vt ei Deus sua secreta reuelaret: quia scio (inquit dominus) quòd precepturus sit filiis suis & domui suæ post se, vt custodiant viam domini, & faciant iudicium & iustitiam. At væ væ iis parentibus, qui non solùm negligunt disciplinam filiorum, sed vt impiissima Athalia mater Ochosiæ, filios suos ad impiè agendum impellunt, docentes eos hæresim, aut iniustè agere, aliosque decipere: onerantes eos symoniacè multis crucifixi diuitiis, & priusquam valeant sapere, laqueis e quibus sese núquam extricabunt, inuoluentes, aut inuitos ad monasticam religionem cogétes. Ve quoque, væ illis, qui nullam teneræ ætati reuerentiam deferentes, ne in turpibus quidem rebus, puerorum conscientiam necant, obscœnis exemplis & verbis eos deprauantes & perdentes. Quod verò de impudicitia dicimus, idem & de aliis prauis operibus ac verbis sentiendú est.

4.reg.11.

### *De colendis consanguineis & conterraneis.*

### Cap. XXVI.

Propter parentes colendi sunt etiam aui & consanguinei, qui videlicet ex iisdem nobiscum parentibus processerunt. Vnde propter honorem eorum prohibitum est in quibusdam consanguinitatis gradibus matrimonium, & sibi mutuò succurrere

Pro.18. præcipiuntur. Frater, inquit Sapiens, qui adiu-

uatur à fratre, quasi ciuitas firma: & iudicia quasi vectes vrbium. Item alibi: In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata corã Deo & hominibus, Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes. Patriæ insuper, & conterraneis, cum quibus eodem loco nati & nutriti sumus, cultus à nobis deferẽdus est: Cùm audissem (inquit nobilis ille Nehæmias) quod qui remanserant, & derelicti sunt de captiuitate ibi in prouincia Iudææ, in afflictione magna sunt, & in opprobrio, & murus Hierusalẽ dissipatus est, & portæ eius combustæ sunt igne, sedi, & fleui, & luxi diebus multis, & ieiunabam & orabã ante faciẽ Dei cæli. Et iterũ: Quare nõ mereat vultus meus, quia ciuitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, & portæ eius combustæ sunt igni? Pessimè agunt, qui consanguineos ob paupertatem aliamve similem causam despiciunt, aut eos bonis suis spoliant, vel persequuntur. Cùm Cain & Esau, iustorum fratrum persecutoribus, partem habituri sunt, qui eiusmodi sunt, Nimis, pro dolor, inoleuit neglectus consanguinitatis, vt etiam in prouerbium vulgo abierit: fratrum quoque gratia rara est: sicut & propemodum, per corruptionem hominis, naturale est ciues ciuibus semper inuidere. Vnde ait Saluator: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua.

*Eccl. 25.* *2. Esd. 1.* *ibid. 2.* *Gen. 4.* *Gen. 27.* *Beda in 6. c. Mar.* *Mar. 6.* *Beda ad ipsum locum euangelij.*

*De officio coniugum inter se.*

CAP. XXVII.

AD hoc præceptum quartum referũtur omnia alia mandata, quibus pręcipitur, proximo aliquod officium exhiberi propter peculiarem aliquã rationem. vnde & de officio coniugum hoc loco dicendum est. Viri, ait Apostolus, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiã, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam, &c. rursum: Ita viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua.

*Eph. 5.*

*ibidẽ infrà.* Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius de carne eius, & de ossibus eius. Præcipitur igitur viro, vt vxorem suam sicut seipsum diligat, vt eam nutriat atque foueat, præbens ei scilicet victum atque amictum, & ea quæ sunt necessaria, agatque cum ea non tanquam cum famula, sed sicut cum socia. Ideo enim de latere viri facta est ex costa viri, vt ostenderetur quia in consortium creabatur dilectionis, ne fortè si fuisset de capite facta, viro ad dominationẽ videretur præferenda: aut si de pedibus, ad seruitutem subiicienda: quia scilicet viro nec domina, nec ancilla est vxor, sed socia. ideo nec de capite nec de pedibus, sed latere fuerat producenda, vt iuxta se ponendam agnosceret, quã de suo latere sumptam didicisset. Debent autem viri diligere vxores suas non turpi amore, sed sicut Christus dilexit Ecclesiam suã, id est, spirituali amore, ad pietatem. Debent itaque

eas pios mores edocere: ſicut ait alibi Apoſtolus, Si quid mulieres diſcere volunt, domi viros ſuos interrogent. 1.cor.14. Vxor autem ſubiecta & obediens debet eſſe viro ſuo ſicut domino: Eph.5. quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut & Chriſtus caput Eccleſiæ, ipſe ſaluator corporis eius. & ſicut eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Debetque mulier timere virum, hoc eſt, reuereri eique meritò honorem deferre. Sic aliquãdo & ſan- 2.Pet.3.
ctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe, ſubiectæ propriis viris, ſicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. Gen.18. Debet & mulier, 1.Ti.5. vt Apoſtolus ait, materfamilias eſſe, hoc eſt, regere familiam, & gubernare domũ ſuam, ſicut Raguel Saram vxorem Tobiæ docebat. To.10. Docere autem, mulieri non permittitur, ne- 1.Ti.2.
que dominari in virum: ſed debet eſſe in ſilentio. Adam enim primus formatus eſt, deinde Eua: & Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricationem fuit. Et ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo. Debet ni- 1.Pet.3.
hilominùs viro ſuo caſta ac pia ſua conuerſatione exemplum præbere, vt etiam ſi impius ſit, conſideratione caſtitatis & pietatis lucrifiat, debet virum ſuum obſecrãdo blande monere, non dum iratus aut ebrius eſt, ſed more prudentiſſimæ Abigail, dum eſt oportunum, 1.re.25.
ſi quo modo tandem virum ſuum ſaluum faciat. Quòd autem animæ coniugatorum, & in hac vita, & in futura ſint miſerrimæ quia ſaluberrima iſta prę̨cepta Apoſtolica cõtemnũtur:

vtinam non esset notum quotidiana experientia. Propter vxorem maritus, & propter maritum vxor debent mutuò consanguineos suos, hoc est, affines, colere: sicut Raguel Saram docebat soceros honorare. Sæpe enim solent inter affines esse discordia atque simultas, pręcipuè verò inter socrum & nurum, quum tamē lex naturæ exigat, eos honorari & coli à se mutuò. Cęterum, quę ad matrimonium spectant, latiùs sunt tractanda circa sextum pręceptum & sacramentum matrimonij.

*De seruis & dominis.*

CAP. XXVIII.

Eph. 5. SErui ait Apostolus, obedite Dominis carnalibus, cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei, ex animo: cum bona voluntate seruientes, sicut domino, & non hominibus: scientes, quoniam vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à domino siue seruus, siue liber. Quod pręceptum etiam ad eos pertinere qui prauos dominos habent, ostendit Petrus, dicens: Serui, subditi estote in omni timore dominis, nō tantum bonis & modestis, sed etiā discolis. hęc est enim gratia, si propter Dei conscientiā sustinet quis tristitias, patiens iniustè. Qui ergo fideles habent dominos, nō contemnant quia fratres sunt, sed magis seruiant, quia fideles sunt, & dilecti, qui beneficij participes. Pręter

1. Pet. 2.

familiaria ergo vitia seruorum, furta scilicet atque mendacia, eorum etiam vitium est, inuitè & non ex animo subire debitam seruitutem ex quo oritur mussitatio & contradictio contra dominum. quod prohibet Apostolus dicens: Serui dominis suis subditi sint, non contradicentes: Vbi Titum commonet, vt per doctrinam sanã ab his qui Christiani serui sunt, istiusmodi auferat passionem. Si enim quę Dominus imperat necesse habet seruus implere: cur hoc ipsum non cum bona faciat voluntate, sed & dominum offendat, & tandem faciat quod iubetur: maximè cum & Deus ad aquam contradictionis offensus sit? Aliud seruorum peccatum est, mandata domini non exequi, nisi cum ille viderit: eo autem absentè, siue dum non est inquisiturus, otiari & mandata negligere: quod Apostolus vocat, Ad oculum seruire. Denique & in hoc frequenter peccant serui, quòd ægrè ferant seruitutem, sibique ipsis super sua conditione displiceant, quasi sententia Dei iniqua sit: contra quod Paulus admonet, vt sint sibi placentes, quòd vnusquisque quodcunque bonum fecerit, recipiet à domino, siue seruus sit, siue liber. Imò ostẽdit, multis seruitutem vtiliorem esse libertate. Seruus vocatus es? (inquit) non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis vtere. qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est domini. Habent serui quos imitandos sibi proponant: pudicum videlicet Ioseph & fidelem, de quo scribit Moyses, quòd creditis omnibus ei ni-

*Tit. 2.* *Hier. in 2. c. epist. ad Titũ.* *Eph. 6.* *Eph. 6.* *1. Co. 7.* *Gen. 39.*

hil nouerat dominus eius, nisi panem quo vescebatur: & Iacob, qui fidelissimè ac diutissimè seruiuit Laban. Sicut autem seruus debet domino timorem, obedientiam synceram, & fidelitatem: ita vicissim dominus seruo debet esse beneuolus & ęquanimis, magisque se amabilem exhibere quàm terribilem, propensiorem ad beneficia conferenda quàm ad infligẽda verbera, sicut hortatur Apostolus: Et vos domini, inquiens, eadem facite illis, quod iustum scilicet & æquum est, seruis remittentes minas, scientes quòd & illorum & vester dominus est in cælis, & personarum acceptio nõ est apud eum. Porrò prudens dominus, prout varij sunt serui, ita vario modo eos tractabit: sicut ait Sapiens, Non lædas seruum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum. qui ipse alibi ait: Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo. Operatur in disciplina, & quærit requiescere, laxa manus illi & quærit libertatem. Iugum & lorum curuant collum durum, & seruum inclinant operationes assiduæ. Seruo maleuolo tortura & compedes: mitte illum in operationem, ne vacet. multam enim malitiam docuit otiositas. in opera constitue eum: sic enim condecet illum. quòd si non obaudierit, curua illum cõpedibus, & non amplifices super omnem carnem. Verum sine iudicio nihil facias graue.

Gen. 29. 30. & 31.

Eph. 6.

Eccl. 7.

ibid. c. 33.

Debet etiam dominus potissimum curam ge- *1.Ti.5.*
rere, vt famuli bonę sint fidei & vitę. Qui enim
suorum, & maximè domesticorum curam non
habet, fidem negauit, & est infideli deterior.
Confidenter dicebat ille bonus paterfamilias: *Psal 100.*
Non habitabit in medio domus meæ qui facit
superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in
conspectu oculorum meorum. ambulans in *Gen.17.*
via immaculata, hic mihi ministrabat. Et pater
noster Abraham omnes viros domus suæ, tam
vernaculos quàm emptitios & alienigenas, se-
cum tanquam vnius religionis & fidei, pariter *Gen.18.*
eodem die circuncidit: præcipiebatque domui
suæ, vt custodiret viam domini.

*De honorando Principe & magistratu.*

CAP. XXIX.

QVoniã Principis & magistratus officium est, tranquilitatem publicam cõseruare, corpora, vxores, liberos, & diuitias ab iniquis inuasoribus defendere, vtiles leges condere, suum cuique ius reddere, siue iustitiam administrare, noxios supplicio, bene meritos gratia afficere: merito, propter tam ingentia beneficia debetur eis à subditis cultus, & in primis honor: sicut Apostolus Petrus nos admonet dicens: Regem honorificate. Quocirca grauiter offendunt Deũ *1.Pet.2.* qui principem vel magistratum contumeliis, maledictis aut detractionib⁹ persequũtur, qui eorum sententias atque iudicia calumniantur. Contra quæ omnia consueta vitia diligenter inuigilans lex domini: Diis ait, non detrahes: *Exo.22.*

hoc eſt principibus & iudicibus populi tui nō
*Eccl.9.* maledices. Et iterum: Non iudices contra iudicem, quoniam ſecundum quod iuſtum eſt,
*2.Pa.19.* iudicat. ſicut enim ait Ioſaphat, non hominis iudicium exercent iudices, ſed Domini. Debetur quoque obedientia principibus. quia videlicet Dei vicarij ſunt, & quod mandant, id vice Dei præcipiunt: ſicut docet Apoſtolus, Roma-
*Ro.13.* nis ſcribens: Omnis anima, inquit, poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. nō eſt enim poteſtas niſi à Deo. quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Et iterum: Dei miniſter eſt. bene facienti, in bonum: & vindex in iram, ei
*Tit.3.* qui malè agit. Tito quoque mandat, vt admoneat Chriſtianos principibus & poteſtatibus
*1.Pet.2.* ſubditos eſſe, dicto obedire. Et Apoſtolus Petrus inquit, Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue regi, quaſi præcellēti: ſiue ducibus tanquam ab ea miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei. Et ne quis imaginetur nos coram Deo nullum incurrere reatum, ſi clam principibus vel magiſtratibus leges eo-
*Ro.13.* rum violemus: pronunciat apertè Apoſtolus, quòd qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationē acquirunt. Ac ne id intelligas de ciuili damnatione, apertiùs ſubdit: Ideo (nimirum quia princeps Dei miniſter eſt & vicarius) neceſſitate ſubditi eſtote: non ſolùm propter iram, hoc eſt, pœnam huius temporis ſed etiam propter

conſcientiam. Hęc autem obedientia complectitur omnia ea officia, quæ ad vtilitatem reipub. à principibus & magiſtratibus imperantur: vt, militare, tributa perſoluere. hæc enim iuſtè exiguntur, tum vt ſtipendia laborũ quos pro repub. ſubeunt, tum vt neceſſaria ad conſeruationẽ reipub. Vnde Chriſtus in euãgelio: *Mat. 22.* Reddite, ait, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & Apoſtolus, reddite omnibus debita: cui tributum, tributũ: cui vectigal, vectigal: cui timorẽ timorẽ: cui honorẽ, honorẽ. nemini quidquã debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Verum quidẽ eſt, *Ro. 13.* quòd iniquis legibus regum parêre nõ teneamur, nec iniquas impoſitiones ſoluere: vt vidua non cogitur obedire legi ciuili, ne ſecundo nubat ante expletum annum à morte ſui prioris mariti. Attamen ſi certus non ſit ſubditus, iniquam eſſe legem vel exactionem principis, obligatur obedire: quia non licet alteri id ſubtrahere, de quo dubitatur an ei debeatur. Exempli gratia: Ordo ille naturalis, mortalium paci accommodatus hoc poſcit, vt ſuſcipiendi belli authoritas atque conſilium penes principem ſit: exequendi autem iuſſa bellica miniſterium, milites debeant paci ſalutique communi. Vir igitur iuſtus, conſtitutus etiam ſub rege ſacrilego, poteſt, & debet illo iubente bellare, ciuicæ pacis ordinem ſeruans: cui quod iubetur, vel non eſſe contra Dei pręceptum certum eſt, vel vtrum ſit, certum non eſt. ita vt fortaſſe reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſten-

*Vide Decretalẽ de ſecundis nupt. duobus vlti. cap.* *Aug. li. 22. contra Fauſtum. cap. 75.*

dat ordo ſeruiendi. Imo ſi cōtingant principes, qui tyrannicè in ſuas libidines expilent plebem: nihilominus propter principatum honorandi ſunt, & ſi timeatur ex negatione tributorum reipub. perturbatio, etiam eis tributa perſoluenda ſunt, & impoſitiones iniquæ, oranduſque eſt Deus, vt eis det ſaniorem mentem Cum autem tales contingit præeſſe, cogitandum tunc venit illud prophetæ Iob: Deus regnare facit hypocritam propter peccata populi. Pro meritis enim ſubditorum diſponi vitam Pręſidentium, manifeſtum eſt hinc, quod furor domini iratus eſt contra populum Iſrael, eo quod incitatus fuiſſet Dauid ad ſuperbè numerandum populum. Ob hoc enim peccatum peſte perierunt ſeptuaginta octo millia ſubditorum. Quia verò princeps pacificè gubernans populum, multum adiumenti præſtat Chriſtianę pietati: ideo ſubditi debent ei peculiarem beneuolentiam, qua ardenti amore ei à Deo precentur ſucceſſus fœlices & verum Dei timorem, etiam ſi ipſe ſit infidelis aut prauus: Sicut Apoſtolus Timotheo epiſcopo in primis mandat, vt hoc ſubditis ſuis proponat. Obſecro, inquiens, primum omniū fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in pietate & caſtitate. Hæc, inquit Hieremias, dicit dominus exercituum omni tranſmigrationi quam

*Vide Anacleti Papæ epiſtol. 33.*
*Iob. 34.*
*2. re. 24.*
*Vide Aug. de ci. Dei c. 26.*
*1. Ti. 2.*
*Hie. 29.*

transtuli de Hierusalem in Babylonem: Quærite pacem ciuitatis ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad dominum, quia in pace illius erit pax vobis. Et Baruch. Orate pro vita Nabuchodonosor Babylonis, & pro vita Balthasar filij eius, vt sint dies illorum sicut dies cæli super terram, & vt det dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, vt viuamus sub vmbra Nabuchodonosor regis Babylonis, & sub vmbra Balthasar filij eius, & seruiamus illis multis diebus, & inueniamus gratiam in conspectu eorum. *Baru.1.*

*De officio Principis.* CAP. XXX.

PRincipis est ante omnia fundatũ esse in timore Dei, sicut admonet nobilis rex: Et nũc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrã. Seruite domino in timore, & exultate ei cũ tremore. Apprehendite disciplinã, ne quando irascatur dominus, & pereatis de via iusta. Vnde & in lege Moysi iubebatur regi, vt omnibus diebus vitę legeret Deuteronomium, sumpto exemplari à Sacerdotibus, vt disceret timere dominum Deũ suum, & custodire pręcepta Domini. Hoc piissimus Dauid moriens diligentissimè filium suum admonuit. Sicut enim manifestè patuit in regibus Iuda, quandocũque timent dominum, & sperant in eo, diriguntur ab eo, & prosperè cum eis agitur per omnia. Et vt peculiarius explicetur officium principis, cauerę debet sibi summopere, ne eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, quemadmodũ *Psal.2.* *Deu.17.* *Iosu.1.* *3.Re.2.*

mandat lex domini, & Sapiens eius mandatú
Eccl.32. repetens: Rectorem, inquit, te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis. Sedes
Eccl.10. ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus. Memoriam superborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu. Deinde ab omni intemperantia pręcęteris de-
Pro.31. bet esse alienus. Vnde Salomon: Noli regibus ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas. ne fortè bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis. Et iterum: Væ
Eccl.10. tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Beata terra, cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam. Et hinc Esaias propheta conqueritur de iudici-
Esa.28. bus & principibus bellatoribus: Hi quoque, inquiens, præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt. Si verò tantopere præcipitur regi sobrietas, quanto magis pudicitia? sicut ait mater Salomonis regis: Ne dederis mulieribus
Pro.31. substantiam tuam, & vias tuas ad delendos reges. Tertiò, & pręcipue pręcipitur à Deo principibus, vt iustitiam administrent: vti mater Salomoni ait, Aperi os tuum muto, & causis
Ibidem. omnium filiorum qui pertranseunt. Aperi os tuum, decerne quod iustum est, & vindica in-
Pro.25. opem & pauperem. Et alibi: Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.

Aufer

Aufer impietatem de vultu regis, & firmabitur iustitia thronus eius. Quamobrem, pios reges semper diligentes fuisse circa iudicia, ex scripturis clarissimum est, obque neglectum aut peruersum iudicium increpantur ad hunc modum apud Esaiam impij: Principes tui infideles, socij furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicăt: & causa viduæ non ingreditur ad illos. Vę qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiă iusti aufertis ab eo. Væ qui condunt leges: & scribentes, iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei: vt essent viduæ præda eorum & pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longè venientis? ad cuius confugietis auxilium? & vbi derelinquetis gloriam vestrã, ne incuruemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis? Regnum inquit Sapiens, à gente in gente transfertur, propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. Quas virtutes si principes hebeant, tunc eos fœlices dicemus. si iusti (inquit Augustinus) imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt: si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, maiestate eius famula faciunt: si Deum timent, diligunt, colunt: si tardius vindicant, facilè ignoscunt. si eandem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque reipublicæ non pro sa-

*Esa.1.* *Esa.5.* *Esa.10.* *Eccl.10.* *Lib.5.de ciui. Dei ca.24.*

turandis inimicitiarum odiis exerunt: si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent: si quod asperè coguntur plerunque decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate cõpensant: si luxuria tanto eis est castigatior, quãto posset esse liberior: si malunt cupiditatibus prauis, quam quibuslibet gentibus imperare. Et si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem fœlicitatis æternæ: si pro suis peccatis, humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium, Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos imperatores dicimus esse fœlices. interim spe, postea re ipsa futuros, cùm id quod expectamus aduenerit. Denique Christianorũ regum est, non cum Herode & nobilibus eius spernere seruos Dei, neque cum sociis Iehu prædicatores veritatis reputare insanos vel mendaces, nec cum quinquagenariis Ochoziæ improperare tanquam conuitium Dei seruitutem: sed contrà, honorare Dei sacerdotes, atque fouere orthodoxos doctores, amplificare muneribus Dei cultum, legesque ferre pro veritate Christianæ fidei contra hæreses & schismata. In hoc enim reges, sicut eis diuinitus præcipitur, Deo seruiunt inquantum reges sunt, si in regno suo bona iubeant, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ ad diuinam religionem. Aliter enim seruit quis, quia homo est, aliter, quia etiam & rex est. Quia homo est,

*Luc.23.*

*4.reg.9.*

*4.re.1.*

*Aug. contra Crescon. Grã mat. c.51.*

*Aug. paulo ante medium epist.50. quæ est ad Bonifacium.*

Deo seruit viuendo fideliter: quia verò etiam rex est, seruit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes, conuenienti vigore sanciẽdo: Sicut seruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelsa quæ contra præcepta Dei fuerant constructa destruendo: Sicut seruiuit Iosias, talia & ipse faciendo: Sicut seruiuit rex Niniuitarum, vniuersam ciuitatem ad placandum dominum compellẽdo: Sicut seruiuit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo, mandando quoque vniuersis populis, vt in vniuerso imperio suo pauerẽt Deũ Danielis: Sicut seruiuit Nabuchodonosor, omnes in regno suo positos à blasphemando Deo Ananiæ, Azariæ, & Misaëlis, lege terribili prohibendo. Sicut seruiuit Iudas Machabæus, etiam huius rei causa declinans in terrã alienigenarum, vt dirueret aras eorum, & sculptilia deorum ipsorum succẽderet igni. 1. Macha. 5. Sicut denique seruiuit Artaxerxes: qui apud Esdram sic loquitur. Omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem regis diligenter, iudicium erit de eo, siue in mortẽ, siue in exilium, siue in condemnationem substantiæ eius, vel certè in carcerem. Et continuo collaudans hanc regis ordinationem scriptura: Benedictus; ait dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, vt glorificaret domum domini, &c.

4. re. 18. 4. re. 23. Ioan. 3. Dan. 14. Vide finem li. huius authoris de cõmunione sub vna specie. Dan. 6. Dan. 3. 1. Esd. 7. Ibid.

Hæc exempla secuti sunt Theodosius & alij omnes pij principes vsque ad regem nostrum:

cum contra hæreticos varias tulerunt leges. Et sanè Apostolus Paulus, dum Cæsaris Romani non Christiani poposcit auxilium, ne Iudæis traderetur, eum interimere molientibus: satis ostendit quid postea facere deberent Christi dispensatores, quando Imperatores Christianos periclitante Ecclesia reperirẽt. Quis enim mente sobrius regibus Christianis dicat: Nolite curare in regno vestro, à quo tueatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri: non ad vos pertineat in regno vestro, quis quid velit esse, siue religiosus, siue sacrilegus? quibus dici non potest: Non ad vos pertineat in regno vestro, quis pudicus esse velit, quis impudicus? Ob hæc tamen non est secularium Principum discernere seu iudicare de dignitate religionis: sed hoc Episcoporum est, quos dedit Christus pastores & Doctores vsque ad diem iudicij, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinę. Sicut enim sapiens quidam rex, & inter reges facilè beatissimus dicere solebat, ita & quisque verè dixerit: Maxima dona, quæ à Deo hominibus data sunt, sacerdotij dignitatem & imperium existimaui: Illa enim, cælestia curat & dispensat: hoc autem, legibus æquis & iustis omnia quæ in terris fiunt, procurat. Valde autem mouere debet principes, imò omnes superiores ad sedulò exequendum officium suum verissima sententia Sapientis: Secundum iudicem populi sic & ministri eius: & qualis rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Rex insipiẽs

*Act. 25.*

*Ex eadẽ 50. Aug. epist. Ibidẽ paulo infra.*

*Eph. 4.*

*In synodo septima act. 3. in responsio. Orientalium ad Tharasiũ: Ferè verbis Ignatij ad finem epis. ad Smyr.*

*Eccl. 10.*

perdet populum ſuum, & ciuitates inhabitabuntur per prudentiam principum.

## *De honorandis Sacerdotibus & Paſtoribus.*

### Cap. XXXI.

SAcerdotes & Paſtores, ſpiritales quidam parentes ſunt, per quos Deus nos regenerat, & ad æternam vitam ducit. & proinde valde honorandi ſunt, ſicut mandat Sapiens: In tota anima tua *Eccli. 7.* time dominum, & ſacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & miniſtros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes. Quaſi diceret, Tunc propriè Deus honoratur, ſi ſacerdotes eius honorentur: ſicut ſcriptura docet, dum Moyſes & Samuel cõtempti ſunt, *Exo. 16.* aſſerens non eos, ſed dominum fuiſſe contemptum: *1. Re. 8.* ſicut & Chriſtus ait in Euangelio, Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. *Luc 10.* Sacerdotes enim ſunt legati per quos Deus loquitur, & diſpenſatores myſteriorum Chriſti. Sic, inquit Apoſtolus, nos æſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. *1. Co. 4.* & iterũ: Pro Chriſto legatione fungimur, *2. Co. 5.* tanquam Deo exhortante per nos. Et ipſe dominus: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. *Ioan. 20.* Sed proh dolor, multi ſunt ſacerdotes, de quibus verum eſt illud Malachiæ: Diſpergam *Mal. 2.* ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum, & aſſumet vos ſecum. Vos receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege. irritum feciſtis pactum Leui, dicit dominus

exercituum. Propter quod & ego dedi vos cõtemptibiles, & humiles omnibus populis, ſicut non ſeruaſtis vias meas, & accepiſtis faciem in lege. Sic & illud euangelij completur in multis: Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Nihilominus etiã malo ſacerdoti honos eſt deferendus propter miniſterium quod habet, nec ſine peccato cõtemnitur. Vnde Apoſtolus Paulus, cùm ei diceretur: Summum ſacerdotem Dei maledicis, reſpondit: Neſciebam, fratres, quia princeps eſt ſacerdotum. ſcriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices. Dominus etiam noſter, ipſe Ieſus Chriſtus, rex & iudex & Deus noſter, vſque ad paſſionis diem ſeruauit Pontificibus & Sacerdotibus honorem, quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſeruaſſent. Nam cùm leproſum emundaſſent, dixit illi: Vade, & monſtra te ſacerdoti. Humilitate ea, qua nos quoque eſſe humiles docuit, ſacerdotem adhuc appellabat, quem ſciebat eſſe ſacrilegum. Item ſub ictu paſſionis, cum alapam accepiſſet, & ei diceretur: Sic reſpondes pontifici? nihil ille contumelioſè loquutus eſt in perſonam pontificis, ſed magis innocentiam ſuam tuitus eſt. Videant ergo illi qui tam facilè ſacerdotibus detrahunt, maledicunt, irrident: & præcipuè illi, qui nihil aliud captant, niſi vt quiſquis vel Epiſcopus, vel clericus, vel monachus, vel ſanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credantur, ſed non poſſe manifeſtari.

Mat. 5. Act. 23. Cyprian. epiſt. 9. li. 3. epiſt. Exo. 22. Mat. 8. Luc. 5. Ioã. 18. Aug. epiſt. 137.

Et tamen ipsi, cum aliqua maritata inuenitur adultera, nec proiiciunt vxores suas, nec accusant matres suas. Cùm autem de aliquibus qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsitatis sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur. Videntur autem irrisores sacerdotum similes iis, qui in nauicula fluctuante in medio maris constituti rident, & gaudent si nauclerus malè nauiculam dirigat, & in scopulos impingat: quique præ fatuitate nō cogitant, quantū ex imperitia nautę sibi immineat periculū. Tā sunt autē illi absurdi, præposteri & miseri qui prępositorū suorum malos mores imitari eligūt, quàm per eos Domini pręcepta obseruare, quàm si quisquam viator remeandum sibi esse exstimet in itinere cum viderit miliaria lapide. literis plena viam docere & non ambulare. Cur enim non potius, si peruenire desiderant, tales comites intueantur & consequantur qui & viam bene demonstrant, & in ea perseuerant, atque alacriter ambulant? Non enim tales desunt, etsi multis non appareant. Non enim sic quærunt homines charitate studia quod prædicent ad imitationem, quomodo quæru[nt] iniquitate suspitiosa quod murmuren[t] ad [d]eceptionem, partim non inueniendo bono[s], dum ipsi mali sunt: partim timendo inuenire, dum mali esse semper volūt.

*De hoc Aug. videatur in enarrat. Psal. 106.*

*Aug. ho. 50. in lib. quinquaginta ho.*

---

*...liendum Episcopis.*

...AP. XXXII.

SIcut seculares principes vice Dei leges ferunt, & subditi propter conscientiam eis ideo parere debent: ita & prælati ecclesiastici vice Christi leges ferunt, quibus propter conscientiam Christiani obedire tenentur. quod sciens Apostolus Paulus, Corinthiis præscripsit, vt in cõuentu Ecclesiæ duo duntaxat aut ad summum tres dono linguarum diuinitus præditi lingua Ecclesiæ ignota loquerentur: idque vicissim, nec nisi presente interprete. Et vt sciamus quãti sint facienda mandata Ecclesiasticorũ, Apostolus de suis mandatis inquit: Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis: cognoscat quæ scribo vobis, quia domini sunt mãdata. si quis autem ignorat, ignorabitur. Vocat nimirum sua mandata, mandata Domini, non quòd Corinthij ad ea naturali lege vel diuina obligarentur, priusquam ea dedisset eis Apostolus, sed quia (sicut habet Bernardus) quicquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendũ est quàm si præcipiat Deus. Quid enim interest vtrũ per se an per suos ministros, siue homines, siue angelos, hominibus innotescat suum placitum Deus? Vnde, sicut Apostolus docet obediendũ esse principibus: ita & ait obediendum esse Ecclesiæ prælatis: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus [illegible] ... reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, [illegible] gementes. Hoc enim non expedit vo[illegible] ... iam

*1. co. 14.*

*Ibidem.*

*Sub medium libelli de præcepto & dispensatione.*

*Heb. 13.*

ante multa tépora, à tota Christi Ecclesia connumeratus est hæreticis Aërius: quia videlicet docebat, ecclesiasticas leges nō obligare Christianos, vtpote donatos libertate à Christo. Quid est, inquit, Pascha quod apud vos perficitur? Iudaicis fabulis rursus addicti estis. Non enim oportet Pascha peragere. Pascha enim nostrum immolatus est Christus. Sed neque ieiunium erit ordinatum, hæc enim Iudaica sunt, & sub iugo seruitutis. iustis enim lex non est posita, sed iniustis. Si verò omnino volo ieiunare, qualemcunque eligam diem à meipso & ieiunabo propter libertatē. Hūc secutus est sceleratus Ioannes Hus, docés quòd obediētia ecclesiastica est obedientia secundum adinuētionem sacerdotum Ecclesiæ præter expressam authoritatem scripturæ. Sed ob hoc & multa alia, à Concilio Cōstantiensi & Martino quinto, gregi hæreticorum est annumeratus, & postea cum eo Martinus Lutherus, artic. 27. in bulla Leonis 10. At nihil mirū hæreticos nolle obsequi sacerdotibus, cùm non aliunde hæreses oboriantur aut nascantur schismata, quàm inde quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur: cui si secundùm magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium quidquam moueret, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporũ consensum, iudicem se iam non Episcopi, sed Dei faceret: nemo dissidio vnita-

*Apud Epiph. in sua hæresi, quæ est 75. Vide & Aug. in lib. de hæresibus ad Quoduult Deum.*

*Cyprian. li. 1. epist. 3.*

tis Christi ecclesiam scinderet: nemo sibi placens ac tumens, seorsum foris nouam hæresim conderet. Christus dominus in euangelio docet penes prælatos Ecclesiæ esse potestatem ligandi & retinendi peccata, & ab ecclesia eiiciēdi rebelles (qui eiecti tanquam Ethnici & Publicani ab omnibus Christianis haberi debent) quanto magis ergo eis est potestas condendi leges toti Ecclesiæ vtiles? Non enim legislatori minus conuenit punire quàm præcipere. Quantum autem peccatum sit rebellare pastoribus Ecclesiæ, ex Deuteronomio facile est coniicere, vbi iubetur occidi homo ille, qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio pro tempore ministrantis domino Deo.

*Mat. 16. Ioan. 20. Mat. 18. Deu. 17.*

---

*De aliis quæ debentur pastoribus:*

CAP. XXXIII.

DEbetur etiam sustentatio pastoribus à subditis, sicut ait Apostolus: Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore (hoc est maximo subsidio) digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina, dicit enim scriptura: Non alligabis os boui trituranti: & dignus est operarius mercede sua: &, Quis militat suis stipendiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non mãducat? Nunquid secundum hominem hæc dico? An & lex hoc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti, nunquid de bobus cura est

*1. Ti. 5. Deu. 25. Mat. 10. 1. Co. 9.*

Deo? an propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. quoniã debet in spe qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritalia seminauimus: magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt? & qui altario deseruiunt, cum altario participant? ita & Dominus ordinauit iis qui euangelium annunciant, de euangelio viuere. Iniqui igitur sunt, qui decimas vel consuetas oblationes subsidiáve alia pro sacerdotibus fundata defraudant, aut non soluunt. Attamen ex hoc reputare non debet sacerdos, laborem manuum sibi interdictum. quinimò admodum sanctè, exemplo Apostoli Pauli operabitur manibus. inò etiam rurale opus exercere potest: vt videre est in Concilio Agarensi. Et quod plus est, in Concilio Carthaginensi 4. canones hi statuunt: Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat. Clericus victũ & vestimentum sibi artificiolo vel agricultura, absque officij sui duntaxat detrimento præparet. Omnes clerici qui ad operandum validi sunt, & artificiola & literas discant.

*Ro. 1.* *Deu. 18.* *Vide cõc. Matisconẽse. 2. c. 5. Maguntiẽse quoque. c. 38. Tribuautiense canon. 13. Cano. 36. Canon. 51. 52. 53. ad quos respicit 2. cõcil. Turonẽ. c. 7. Videatur decre. de celebrat. Missarum. ca. Presbyteri. in lib. 3. Decretaliũ* *Act. 20.* *1. Co. 4.*

Denique subditi debent beneuolentiam & [illegible]uidas orationes prælatis ecclesiasticis: sicut [illegible] Apostolus ad Thessalonicenses, Rogamus [illegible]s, fratres, vt noueritis eos qui laborant inter [illegible]s, & præsunt vobis in domino, & monent [illegible]s: vt habeatis illos abundantius in charita[illegible] propter opus illorum: pacem habete

*1 Thessal. 5.* *[illegible] superiorum. cap. 1.*

cum eis. Sic & Corinthios & Philippenses & Hebræos admonet. Vnde & ipse tanquam iure suo vtens, in omnibus fere epistolis orationes subditorum pro se exigit. Pastoris misereri oportet, ait Augustinus, qui inter nos quanto in loco superiori, tãto in maiori periculo versatur. Presbyter peractis horis & infirmis visitatis, si voluerit, ad opus rurale exeat. Sacerdos enim, ait Chrysostomus, & si propriam bene dispensauerit vitam, aliorum verò non cum diligentia curam habuerit, cum perniciosis in gehennam vadit.

*In regula.*

*In 20.c. Ioã.*

*De officio sacerdotis.*

CAP. XXXIIII.

SAcerdotem imprimis decet humilitas: sicut Christus summus sacerdos primos sacerdotes docuit suiipsius exemplo, dicens: Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Quamobrem acriter reprehendit veteres sacerdotes, dicens: Omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus: dilatãt enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

*Humilitas.*

*Mat. 20.*

*Mat. 23.*

Deinde cumprimis necessaria est sacerdoti sobrietas. Vinolentos sacerdotes & Apostolus damnat, & vetus lex prohibet. Dixit dominus ad Aaron: Vinum & omne quod inebriare

*Sobrietas.*

potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras, & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea. Vnde ab Esaia aliisque Prophetis acerrimè reprehenduntur sacerdotes & prophetæ seu côcionatores ebriosi. Imò ipse dominus, in Euangelio quodammodo describens malos sacerdotes, quos futuros præuidebat. Si, inquit, dixerit malus seruus ille: Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere conseruos suos: manducet autem & bibat cum ebriosis, veniet serui dominus illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. illic erit fletus & stridor dentium. *Esa.28. & 18* *Mat.24.*

Multo magis autem, ab omni impudicitia alienus esse debet, mente, ore, oculis, auribus, manibus, totoque corpore oportet illum esse mundissimum, cuius officium est consecrare, tractare, tangere, Deo offerre, sumere & distribuere illud corpus, quod virgo de Spiritu sancto concepit, quod super omnes angelos est collocatum. Sacerdotes veteris legis sacrificaturi carnes animalium, continebant à coniugi amplexu, & coniuges Christiani iubentur tempore orationis ab eodem abstinere: multo magis ergo sacerdos Christian⁹, cuius est interesse illi tremendo & mundissimo sacrificio, cui *Pudicitia.* *Luc.1.* *1.Re.2.* *1.Co.7.* *Vide Innocēt 1.epist.1.ad Exuperium. 3.cap.1.*

incumbit quotidie pro populo orare, omnino alienus esse debet ab omni libidine. Vt autem custodiatur castitas à sacerdote, ante omnia mulierum consortium ei vitandum est. Nam (vt inquit Sapiens) nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimentá eius non ardeant? aut ambulare super prunas, & non comburentur plantæ eius? sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam. Et alius: Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decôre illius. Ne des fornicariis animam tuam in vllo, ne perdas te. Noli circunspicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circunspicias speciem alienam. propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt. colloquium enim illius quasi ignis exardescit. Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, & non alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem. Et iterum: Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguunt sensatos: & qui se iungit fornicariis, erit nequam. putredo & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius. Et rursus: Omni homini noli intendere in specie: & in med

Pro. 6.

Eccli. 9.

Eccl. 19.

mulierum noli cõmorari. De veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. melior eſt enim iniquitas viri, quam mulier bene faciens. Vnde prouidè magna illa ſynodus Nicena omnibus modis interdixit, neque epiſcopo, neque presbytero, neque diacono, neq; vlli clericorũ omnino licere ſubintroductã ſecum habere mulierẽ, niſi fortè aut matrẽ aut ſororẽ aut auiam, aut amitã vel materterã, aut eas tãtũ, in quibus omnis quæ ex mulieribus eſt, ſuſpitio declinatur. Et ſynodus Agatenſis: Preſbyteri, inquit, diacones, ſubdiacones, vel deinceps quibus ducendi vxores licentia non eſt, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia: nec his cœtibus miſceantur vbi amatoria cantantur & turpia, aut obſcœni motus corporum choreis & ſaltationibus efferuntur: ne auditus & obtutus ſacris myſteriis deputati, turpium ſpectaculorum atque verborum contagione polluantur. Vnde & D. Hieronymus, in Nepotiano ſuo omnes clericos erudiens: Hoſpitiolum tuum, inquit, aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas & virgines Chriſti aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige, ne ſub eodem tecto manſeris, nec in præterita caſtitate confidas. Nec Sampſone fortior, nec Dauide ſanctior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quòd paradiſi colonũ de poſſeſſione ſua mulier eiecerit. Ægrotanti tibi, quilibet ſanctus frater aſſiſtat, & germana, vel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quòd ſi

*Cano. 3.*

*Cano. 28.*

*In epiſt. ad Nepotianũ.*

*Pro epiſcopo vide 2. conc. Matiſconen cap. 2.*

huiusmodi non fuerint consanguinitatis castimoniæque personæ, multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant ministrando, vt infirmitas quoque tua fructum habeat eleemosynæ. Scio quosdam conualuisse corpore, & animo ægrotare cœpisse. Periculosè tibi ministrat, cuius vultum frequenter attendis. Si propter officium clericatus, aut vidua à te visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas, talesque habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si lector, si acolytus, si psaltes te sequitur, no'n ornentur veste, sed moribus: nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum sola secretò & absque arbitro vel teste non sedeas. Si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem maiorem domus, virginem, viduam, vel maritátam. Non est tam inhumana, vt nullum præter te habeat, cui se audeat credere. Caueto omnes suspiciones, & quicquid probabiliter fingi potest. Ne fingatur autem, deuita. Crebrá munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, ac degustatos cibos, blandasque & dulces literulas sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delicias & lepóres, & risu dignas vrbanitates, & cæteras ineptias amatorum in comœdiis erubescimus, in seculi hominibus detestamur: quanto magis in monachis & clericis, quorum & sacerdotium proposito, & propositum ornatur sacerdotio? Deinde ad custodiã

castitatis

castitatis omnino necessaria est abstinentia atque sobrietas: sicut ait Apostolus, Noli inebriari vino, in quo est luxuria. Venter enim mero æstuans citò despumat in libidines. Noë ad vnius horę ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Loth per temulentiam nesciens libidini miscet incœstum: & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. Vbicunque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominatur. Specta ventrem & genitalia: pro qualitate vitiorum, ordo membrorum. Vicina sunt membra loco sicut vitio. Nunquam ego, inquit Hieronymus, ebrium castum putabo: qui etsi vino cõsopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. *Eph. 5.* *Gen. 9.* *Gen. 19.* *Hie. in epist. ad Occeanũ: cuius initiũ Nunquã fili Oceane. Idẽ in 1. ca. epist. ad Titum.*

Terriò necessarium est ei qui seriò castitatem custodire cupit, vt omne vitet otium, seseque imprimis studio sanctarum scripturarũ occupet. Nunquam, inquit Hieronymus, de manu & oculis tuis recedat liber, discatur psalterium ad verbum, oratio sine intermissione, vigil sensus, nec vanis cogitationibus patens. Corpus pariter & animus tendatur ad Dominum. Iram vince patientia. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. Nec vacet mens tua variis perturbationibus. quæ si pectori insederint, dominabuntur tui, & te deducent ad delictum maximum. Facito aliquid operis, vt te semper diabolus inueniat occupatum: vel fiscellam texe iunco, vel canistrum lentis plecte viminibus: sarriatur humus, areo- *In epist. ad Rusticum.*

læ æquo limite diuidantur: in quibus cùm olerum iacta fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ. Inserantur infructuosæ arbores, vel geminis, vel surculis: vt paruo post tempore, laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabricare aluearia. Texantur & lina capiendis piscibus. scribantur libri, vt & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur. In desideriis est omnis otiosus. Operis tui pensum persoluas. lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, & necdũ expleto somnô surgere compellaris. Domino psallas. Tantis negotiis occupatus, nullis vacabis cogitationibus: & dum ab alio transis ad aliud, opusque succedit operi, illud solùm mẽte tenebis, quod agere compelleris, de nimio somno vitãdo, & de habitu pudico. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quàm propter animæ salutem. Ne vagetur perniciosis cogitationibus mens, & instar fornicantis Hierusalem, omni transeunti diuaricet pedes suos. Imò nec tunc quidem, cùm cibus sumitur, animus omnino relaxandus est. Vnde ordinatum est à sanctis Patribus, vt in mensa sacerdotum sacra lectio recitetur. Pro reuerentia Dei & sacerdotum (inquit Toletana tertia synodus) id constituimus, vt quia sólent crebrò mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali cõuiuio lectio diuinarum scripturarum misceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, &

*Idem paulò infrà.*

*Ibid. paulò antè Idipsũ ndicat & alias factũ concili Agathẽse. cap. 36. Vide Gregorium in epist. ad Natalem.*

*Can. 7.*

*Vt in mensa episco. id fiat, cõstituit Remensis synodus c. 17. & Euse. Papa epis. 1. In epi. ad Eustochiũ de custodi. virginitatis.*

fabulæ non necessariæ prohibentur. Quartò pro castitate custodiẽda prorsus necessum est, incidentes turpes cogitationes statim præscindere: ne si diu mente teneantur, ad consensus ruinam hominem infirmum deducant. Nolo ait Hieronymus, sinas cogitationem crescere. Nihil in te Babylonicum, nihil confusionis adolescat. Dum paruus est hostis, interfice. nequitia, ne zizania crescat, elidatur in semine. Audi psalmistam, dicentem: Filia Babylonis misera. Beatus qui retribuet tibi retributionẽ tuam. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram. Quia enim impossibile est, in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad petram: Petra autem Christus est. Denique præcipuum est, summeque necessarium & optimum castitatis tutamen, feruida & frequens oratio, humilis & deuota virginei corporis Christi sumptio: sicut ait scriptura, Omnis qui petit, accipit. Illi capiunt verbum hoc (quòd non expediat nubere) quibus datum est. Vnde Sapiens: Vt, inquit, sciui quoniam aliter non possum esse cõtinens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius esset hoc donum adij dominum, & deprecatus sum illum ex totis præcordiis meis. Et Ecclesiasticus sic orabat: Aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me: & animæ irreuerenti, & infrunitæ ne

*Psal. 136.* *Luc. 11.* *Mat. 19.* *Sap. 8.* *Eccl. 23.*

tradas me. Sicut & Dauid castitatem flagitabat, dicens: Proba me domine, & tenta me: vre renes meos, & cor meum. &, Cor mũdum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. &, Confige clauis timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui. Corpus autem Christi, absque coitu & semine viri de virgine conceptum, spiritu mũdiciæ plenissimum, calore spiritus sancti exsiccat fontes libidinis. Ipsum est frumentum electorum verè bonum: sanguis eius verè pulchrum vinum est, quod, iuxta Zachariam, germinat virgines: sicut corporale vinum impudicos facit. Ad quod inuitat nos æterna sapiẽtia: Venite, inquiens, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis: Sicut meretrix vecordibus loquitur, dicens: aquæ furtiuę dulciores sunt, panis absconditus suauior.

*Psal.25.* *Psal.50.* *Psa.118.* *Hie. in epitaphio Lucinij Betici.* *Zac.9.* *Pro. 9.* *Ibidem.*

Porrò proprium sacerdotis officiũ est, Deo gratias agere, & ei immolare gratissimum laudis sacrificium, corpus & sanguinem mediatoris, pro beneficio redemptionis sibi totique populo collato: orare feruenter Deum, & ei sacrificare eundem mediatorem crucifixum pro suis & populi peccatis, pro sanatione animæ suæ & totius populi.

*Propriũ Sacerdotis officium.*

Vnde Apostoli describentes officium suum: Nos, inquiunt, orationi, & ministerio verbi instantes erimus. Et Apostolus Paulus: Omnis pontifex inquit, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quę sunt ad Deũ: vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. qui

*Act.6.* *Heb.5.*

condolere possit iis qui ignorant & errant: quoniam & ipse circundatus est infirmitate. & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Cùm ait, Celestinus pontifex, sanctarum plebium pręsules mandata sibimet legatione funguntur, apud diuinam clementiam humani generis agunt causam, & tota secum congemiscente Ecclesia postulant & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, vt Iudæis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, vt hæretici, catholicæ fidei perceptione resipiscant, vt scismatici spiritum rediuiuæ charitatis accipiant, vt lapsis pœnitentiæ remedium cōferatur, vt denique cathecumenis, ad regenerationis sacramentum perductis, cælestis misecordiæ aula reseretur. Hæc autem non perfunctoriè, neq, inaniter à domino peti, rerū ipsarum monstrat effectus. quandoquidē ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos, erutos de potestate tenebrarū, transferat in regnum filij charitatis suæ, & ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ. Quod adeò totum diuini operis esse sentitur, vt hæc efficienti Deo gratiarum semper actio, laudisque confessio, pro illuminatione talium, vel correctione referatur. Similiter, pro regeneratorum quotidianis peccatis veniam, vtque incrementa probabilium studiorum accipiant & ad finem vsque in illis perseuerent, præcari sacerdotes sacrificio non cessant. Et sanè non paruę

*Celest. 1. epistole prime ca. 11.*

*2. Co. 3.*

*Colo. 1.*

*Rom. 9.*

efficaciæ esse orationem & benedictionem sacerdotalem, ostendit scriptura vbi ait: Locutus est dominus ad Moysen, dicens, Loquere Aaron & filiis eius, Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis, Benedicat tibi dominus, & custodiat te. Ostendat dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Inuocabuntque nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis. Grauiter itaque peccāt ij sacerdotes, qui nec gratias agunt Deo, nec orant pro se & populo, quique etiam non legitimè impediti, rarò sacrificant, qui nec horas canonicas quidem deuotè persoluunt, aut qui perfunctoriè tantum, non verè & ex animo, in sacrificiis, precibus, & laudibus Dei occupantur. De qualibus conqueritur dominus per prophetam Amos: Sicut Dauid, inquiens, putauerunt se habere vasa cantici, bibentes vinū in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super cōtritione Ioseph. Quapropter, nunc migrabunt in capite transmigrantium, & auferetur factio lasciuientium. & per Ezechielem: Non ascendistis, inquit, ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël: vt staretis in prælio in die domini. Et quæsiui de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam: & non inueni. De talibus & in euangelio inquit dominus: Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Esaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè

Marginal notes: Num. 6. — Am. 6. — Eze. 13. — Eze. 22. — Mat. 15. — Esa. 29.

est à me. Et iterum: Scribæ deuorant domos viduarum simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem maiorem. Denique Sacerdotis est, sancta conuersatione sua omnes, quibuscum conuersatur, ad piam vitam prouocare: quemadmodum præscribit Apostolus Timotheo: Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. sicut & de bobis Leuitis veteris testamenti dicit Malachias: Pactum meum, inquit dominus, fuit cum Leui vitæ & pacis: & dedi ei timorē, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labiis eius. In pace & in ęquitate ambulauit mecum: & multos auertit ab iniquitate. At de impiis, contrà ait: Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege. Detestandi sunt ergo, qui vt homines leuissimi, canes ad venandum, aut accipitres, aut huiusmodi res habent. Quos condigna pœna ferit con. Agathen. cap. 35.

*Luc. 20.* *1. Ti. 4.* *Mala. 2.*

*De pastoribus.* CAP. XXXV.

A Summo pastore exigebat Christus, vt præ cæteris discipulis se diligeret, eamque dilectionem erga Christi oues ostenderet, diligenter illas pascendo. exigebat vt se sequeretur, ponendo scilicet animam suam pro ouibus suis, sicut ipse Christus bonus pastor animā suam posuit pro ouib' suis. Debet igitur pastor prę cęteris, plebē sibi creditā diligere, proq; salute eius peculiarius solicitus esse, orando & sacrificando: de

*Ioan. vl.* *Ioan. 10.* *Contra omnium penè in hac re defectū episc. qui*

*nec sacrificare &c. sunt solliciti, sed per suffraganeos ipsa episc. peragũt munia, est ca. 24. syno. sub Adriano 2. pro depositione Photij coacta. & antè Damasus primus in episc. 4. vbi de Corepiscop. agit. pulchrè eos taxauit.*

*Luc 12.*
*Mala. 2.*
*Acto. 6.*
*2. Ti. 4.*

quibus functionibus iam diximus. Præterea, diligenter & promptè, hilariter & benignè debet omnibus sacramenta administrare. præcipuè verò, sanam doctrinam proponere: idque omnibus modis, qui saluti omnium expedierint. Nam ipse est seruus constitutus à domino super familiam domini, vt det ei cibum in tẽpore, vt vigilet super eam quo quisque iniuncto sibi operi desudet. Vnde Malachias: Labia sacerdotis, inquit, custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus domini exercituum est. Vnde etiam Apost. in actis dicunt: Non est æquum, nos relinquere verbũ Dei, & ministrare mensis: sed nos orationi & ministerio verbi instantes erimus. Quamobrẽ terribiliter in Timothæo suo adiurat Aposto. omnes pastores: Testificor, inquiens, coram Deo & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Vigila, in omnibus labora, opus fac euangelistę, ministerium tuum imple. Ideo de se in hac parte loquens: Væ mihi est si non euangelizauero. 1. Cor. 9. Vnde rectè Nicolaus primus. d. 43. c. fin. Episcopis, inquit, dispensatio cælestis seminis iniuncta est: væ si non sparserint, væ si tacuerint, sicut vas electionis formidat & clamat. Imò requirit Apostolus, vt episcopus non tantum potens sit nos exhortari in doctrina sana, sed etiam, eos qui contradicunt conuincere, & sanam doctrinam etiam

*Ti. 1.*

commendare aliis fidelibus hominibus, qui *2.Ti.2.*
idonei sint etiam alios docere. Vsqueadeò au- *Vide Prosperum.c.20. & 21. lib.1. de vita contemplat.*
tem Pastoris est verbum Dei proponere, &
peccantes arguere, vt dominus dicat ad Eze-
chielem prophetam: fili hominis, speculatoré
dedi te domui Israel. audiens ergo ex ore meo *Ezec.3.& 33.*
sermonem, annunciabis eis ex me. Si me dicé-
te ad impium, Impie, morte morieris: non fue-
ris locutus vt se custodiat impius à via sua: ipse
impius in iniquitate sua morietur, sanguinem
autem eius de manu tua requiram. Si autem
annunciante te ad impium vt à viis suis con-
uertatur, non fuerit conuersus à via sua: ipse in
iniquitate sua morietur: porrò tu animam tuā
liberasti. Sed & si conuersus iustus à iustitia *Ezec.3.*
sua fuerit, & fecerit iniquitatem: ponam offen-
diculum coram eo, ipse morietur: quia non
annuntiasti ei, in peccato suo morietur, & nó
erunt in memoria iustitiæ eius quas fecit: san-
guinem verò eius de manu tua requiram. Si
autem tu annuntiaueris iusto vt non peccet
iustus, & ille non peccauerit: viuens viuet quia
annuntiasti ei, & tu animam tuam liberasti.
Hæc verò intelligi etiam de pastoribus noui
testamenti, docet Apostolus, dum eorum offi-
cium explicans ait: Ipsi peruigilant quasi ratio *Heb.13.*
nem pro animabus vestris reddituri. Grauiter
ergo peccant illi pastores, qui populo suo ver-
bum Dei non proponunt. de qualibus Esaias:
Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum, vni *Esa.56.*
uersæ bestiæ saltus. Speculatores eius cæci om-
nes, nescierunt vniuersi: canes muti non valé-

tes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia. & canes impudentissimi nesciérūt saturitatem. ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam à summo vsque ad nouissimum. Venite sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius. Hos & Augustinus notat, dum dicit nihil esse in hac vita & maximè (inquit) hoc tempore: (Quid diceret de nostro tempore?) facilius & lætius, & hominibus acceptabilius, Episcopi aut præsbyteri aut diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. item, nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius, Episcopi aut præsbyteri aut diaconi officio: sed apud Deum, nihil beatius: si eo modo militetur quo noster Imperator iubet. Et quia hoc ministerium periculosissimum iudicaui (subdit ibidem) hinc erant illæ lachrymæ, quas me fundere ordinationis meæ tempore (scilicet in præsbyterum) nonnulli fratres animaduerterunt. Hinc sancti illi pastores, Gregorius Nazianzenus, Nicolaus, Martinus, Chrysostomus, Basilius, Ambrosius, Gregor. Magnus, valde exhorruerunt curam pastoralem. Vnde & librum scripsit Gregor. quem Pastoralem vocauit: in quo difficultates regiminis animarum aperit (quæ præsertim consistunt in prædicando & admonendo) & artem artium esse docet, regimen animarum.

*In epist. 148. ad Valerium.*

Nec est quòd causemur, illorum sanctorum tempore ecclesiam fuisse defendendam contra Paganos, hæreticos, schismaticos: ac propterea non immeritò eos curam pastoralem fugisse: Nunc autem, ecclesiam firmiter esse plantatã: ideoque facilem esse prouinciã pascendi oues Christi. Imo iam plurimæ reliquiæ paganismi, hæreses, schismata inualescunt, iam periculum falsorum fratrum, hoc est, simulatorum Christianorum, nimium exiguam orbis partem adhuc in fide sanam obtinuit: tantùm non interemi, dissolutio disciplinæ. Quænam autem tanti mali causa? nisi, sicut dicit Saluator, quod dormientibus hominibus (hoc est, Ecclesiarũ prælatis) venit inimicus Christi diabo. & super seminat in Ecclesia Christi zizania. Nec putare debent sacerdoes, sese ab annuntiando verbo Dei excusatos quia Religiosi mendicantes hoc agunt. Horum enim sermones non tantã vim & authoritatem, ac Pastoris, habent, tum quod ipsi nõ sint ordinarij pastores, tum quod à populo satis grauato ordinariis decimis & oblationibus soluendis, adhuc prætereà petẽtes vitæ subsidium, facile iudicantur verbum Dei gratia terrenorum acquirendorum annũtiare: Vt taceam eos quadam humana timiditate non audere interdum eorum à quibus hac parte dependent, scelera annũtiare. Prætereo quoq;, facilè proponi plebi friuola, curiosa, superflua, ne dicã falsa: dum quiuis ad id muneris admittũtur. rursum, quod magnates & nobiles pauperum fraterculorum dicta irrident, veluti

*Mat. 13.*

*Vide quod libeticã qua Iacobi Latomi.*

aniles fabulas: à quibus, si maiores prælati annuntiarent verbum Dei magni reputaretur, quod à tantis diceretur. Denique & ipsi maiores pastores, cum magno fructu Ecclesiæ, cogerentur multa solicitudine seruare vitæ disciplinam, ne illis à populo obiiceretur: Medice, cura teipsum: &, Qui alium doces, teipsum nõ doces? Nunc, pro dolor, lacrimabilis quærela boni pastoris completur: Messis quidem multa, operarij autem pauci. In quæ verba Gregorius magnus: Ad messem multã, inquit, operarij pauci sunt (quòd sine graui loqui mœrore nõ possumus) quia & si sunt qui bona audiant, desunt qui dicant. Ecce, mundus sacerdotibus plenus est: sed tamen in messe Dei rarus valde inuenitur operator. quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus. Peccant igitur illi pastores, qui se temporalium rerum gubernation inuoluũt, propter quam verbum Dei non prædicant: cum Apost. doceant æquum non esse, vt quò seruiatur mensis pauperũ, relinquant verbum Dei. Agenda (inquit Bernardus pontifici) domus tuæ, per alium facies. At is si fidelis non fuerit, fraudabit: si non fuerit prudens fraudabitur. Quærendus proinde fidelis, & prudens, quem constituas supra familiam tuam: & huic danda authoritas & facultas vt agat prolibitu. Tu illi habeas fidem, vacans tibi & ecclesiæ Dei. Si quominus, aut fidelis inueniatur, aut prudens, fideli potius committendũ. quanquam si idoneus non reperitur, minùs fidelem sustinere

*Luc. 4.* *Rom. 2.* *Mat. 9.* *Hom. 17. habita in conuetu pastorũ.* *Act. 6.* *Post medium li. 4. de consideratione.*

potiùs consulo, quàm te immergere labyrintho huic. Memento saluatorem, Iudam œconomũ habuisse. Mirares. Satis superque Episcopi ad manum habent quibus animas credãt: & cui suas committant facultatulas, non inueniunt: optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis, paruam aut nullam de maximis curam gerant. Sed, vt liquidò datur intelligi, patientiùs ferimus Christi iacturam, quàm nostram. Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio, & continua dominici gregis detrimenta nescimus. De pretio escarum, & numero panũ, cum ministris quotidiana discussio est: rara admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit asin., & est qui subleuet eam. Perit anima, & nemo est qui reputet. Nec mirum cum nec nostros quidem assiduos sentiamus defectus. Riuus qua fluit, cauat terram, sic discursus temporalium conscientiam rodit. Desunt & illi pastores suo officio, qui neglectis euangelicis & propheticis literis, legibus, vel medicinæ dant operam. Vnde prohibetur hoc eis omnibus, sub pœna excommunicationis. Similiter & ill suo officio desunt, qui se occupant legendis libris Gentilium. De quo legitur in concilio Carthaginensi quarto: Episcopus gentium libros non legat: hæreticorum autem pro necessitate & tempore. Peius autẽ agunt illi pastores, qui falsam doctrinam tradunt: qui sunt hæretici, & imperiti quidam catholici. De qualibus dicit domin⁹ per Esaiã:

*Lib. 3. decretal. titulo: Ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant ea. Super specula.*

*Can. 15.*

Væ qui dicitis malum bonum, & bonũ malũ, ponentes tenebras lucẽ & lucem tenebras · ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.
Zec. 13. Et per Ezechielem: Violabãt me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis, vt interficerent animas quę non moriuntur, & viuificarent animas quę non viuũt, mentientes populo meo credenti mendaciis. Pro eo quod mœrere fecistis cor iusti mendaciter quem ego non contristaui: & confortastis manus impij, vt non reuerteretur à via sua mala, & viueret: propterea vana non videbitis, & diuinationes non diuinabitis amplius. His adiungẽdi sunt illi pastores, qui orthodoxos prędicatores & doctores à vera doctrina propaganda impediunt seu cohibent. De qualibus
Amo. 2. Amos inquit: Suscitaui de filiis vestris in prophetas & prophetis mandabatis, dicentes, ne
Isa. 30. propheteti. Item per Esa. Populus ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. qui dicũt videntibus, Nolite videre: & Aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea quę recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me semitã, cesset à facie nostra sanctus Israel. Quid vero ad hæc remedij?
Mat. 9. Rogate, ait Christus, dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. alioqui, nisi scilicet dominus cito mittat fideles pastores, valde formidandum est, ne sicut à Iudęis ablatum
Mat. 21. est regnum Dei, quia ędificatores (hoc est, pastores eorum reprobarunt lapidem angularẽ

Christum: ita & à nobis auferatur regnũ Dei: quemadmodum etiam ab Orientali Ecclesia ablatum videmus. timendum, ne quod Hieremias dixit ad Hierusalem propter corporalem desolationem, nobis dicatur ob spiritalẽ: Cui comparabo te? Vel cui assimilabo te filia Hierusalem? cui exęquabo te, & consolabor te virgo filia Sion? magna est enim, velut marè, contritio tua: quis medebitur tibi? Prophetę tui viderunt tibi falsa & stulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. viderunt autem tibi assumptiones falsas & eiectiones. *Thre. 2.*

*Quid religiosi debeant suo præposito.*

CAP. XXXVI.

EX supràdictis satis manifestum est, religiosos debere suo Superiori honorem & obedientiam. Sicut enim aiunt Benedictus & Bernardus, de Patribus monastriorũm loquẽtes: Obedientia quę maioribus exhibetur, Deo prębetur: quia vice Dei pęcipiunt, quod pręcipiunt. Verum in quibus obedire debeant considerãdum est. De hac re sic habet Bernar. Quisque professus in quouis genere salutiferę vitę, nec vltra obedentię legem cogendus, nec citrà est inhibendus, quàm sua ipsius videtur cõplecti professio. Ergo pręlati iussio vel prohibitio nõ prętereat terminos professionis. Nec vltrà extendi potest, nec cõtrahi citrà. Nil me prælatus prohibeat horum quę promisi, nec plus exigat quàm promisi. Vota mea nec augeat sine mea *Non procul ab initio lib. de præcepto & dispensatione.*

voluntate, nec minuat sine certa necessitate. Necessitas quippe non habet legem, & ob hoc excusat dispensationem. Alioquin & absque necessitate remissio voti, non dispensatio, sed præuaricatio est: & restrictio contra voluntatem, murmur est, non profectus. Ponant ergo præpositi metam obedientiæ subiectorum ex votis labiorum ipsorum, non suorum desideriorum: monentes eos, non cogentes ad celsiora: condescendentes eis cum necesse fuerit, ad remissiora, non cadentes cum eis. Communis autem professio religiosorum fere omniũ consistit in voto seu promissione obedientiæ secundum regulam Aug. vel Bene. vel alicuius similium sanctorum Patrum. Oportet igitur eum qui præest, præfixam ex regula sibi scire mensuram: & sic demum sua imperia moderari circa id solum, quod rectum esse constiterit: nec quodlibet rectum, sed hoc tantum quod Aug. Ben. vel alius pater, cuius regulam quis professus est, instituit, aut certe quod sit secundum quod instituit. Sic se quippe habet professio: Promitto nõ quidem regulam sed obedientiam circa regulam, talem vel talem. Secũdum regulam autem patris alicuius nõ solum id esse dicitur, quod in regula exprimitur, sed etiam quod necessarium vel ferè necessarium est ad implendum quod regula mãdat. Exempli gratia, Regula præcipit castitatem. Si igitur pro castitate seruanda huic professo necesse sit, vt nunquam adsit tali mulieri, debebit ille obedire prælato hoc iudicanti & mãdãti, vt scilicet

*Communis professio religiosorum.*

*Bernard. ibidem Paulo antè.*

vt ſcilicet nunquam adſit illi mulieri: quia mã-
datur illi hoc ſecundum regulam. Pro qualita- *Bernard.*
te autem mandatorum, eſt qualitas culpæ trãſ- *eodem. lib.*
gredientium: maioribus quippe maior, mino-
ribus minor opera noſtra & cura debetur. de
quorum etiam contemptu iuxta eandem con-
ſiderationem, grauior leuiorue offenſa contra-
hitur. Porrò maiora minoraque mandata di-
xerim, ſecundum quòd maius minúſve velle
conſtiterit ipſum qui præcipit, ſiue hominem,
ſiue Deum. Eſt, verbi gratia, mandatum, Non *Mar. 10.*
furaberis: & eſt mandatum, Omni petenti te, *Luc. 6.*
da: vtrumque quidem magnum, quoniã vtrũ-
que diuinum: ſed de non furando maius. Quis
enim neſciat æquiſſimo Deo non æquè diſpli-
cere tenaces atque fures? & quia de duobus
malis plus velit, nos tenere noſtra, quam tolle-
re aliena: & ita minùs peccare qui non tribuit
ſua, quam qui non ſua furatur? Sed in manda-
tis hominum rara æqualitas inuenitur, cùm
pro variis neceſſitatibus vel vtilitatibus agen-
dorum, iniungentium affectio varietur, quód-
que putauerint rectius vel commodius, hoc
ampliùs cupiant & exigant obſeruari. Clariſ-
ſimè autem explicãt prælati, ſe ſummè aliquid
velle, dum id mandant in virtute ſanctæ obe-
dientiæ, quale mandatum nunquam ſine mor-
tali peccato negligitur: ſicut nec vllum ſupe-
riorum mandatum ſiue verbo ſit expreſſum,
ſiue aliter ſubdito innotuerit (dum fortè præ-
latus ob quoſdam rebelles non audet expreſſè *Bernard.*
proponere.) Hæc eſt enim generalis regula *Ibidem.*

vniuersorũ quę per se aut propter se, nec bona nec mala sunt aut diuina institutione, aut propria cuiusque professione fixa non sunt, vt nó iussa quidem, licitè vtrumlibet vel admittantur vel omittantur: iussa verò, sine culpa non negligantur, sine crimine non contemnantur. Vbique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis est. Differunt autẽ, quòd neglectus quidem languor inertiæ est, contẽptus verò superbiæ tumor. Porrò contemptus in omni specie mandatorũ pari pődere grauis, & communiter damnabilis est: neglectus autẽ in fixis grauior, tolerabilior in mobilibus mãdatis. Quis enim nesciat vnũ detractionis verbum quantum etiam innumeris verbis otiosis præponderet ad delictum meritumque damnationis? Quid ita? Videlicet quia discretio est in mandatis, consequenter & in culpis: vt maiorum grauior, leuiorque minorum censeatur transgressio mandatorum. Sed mandantiũ non

*Nota.* ita. Siue enim Deus, siue homo vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reuerentia reuerendũ: vbi tamen Deo contraria non præcipit homo. Nihilominus, si quis non solum præceptum violet vel contemnat, sed & præcipientem reiiciat: pro dignitate præcipientis, erit & culpæ grauitas. Grauius est enim Deum contemnere, quàm hominem. Simili modo, prout varia sunt mandata Regulæ & statutorũ, ita & culpæ grauitas variatur, vbi contigerit mãdata non seruari. Necessitatẽ enim seruandi

regulam. Patrumque ſtatuta, ſua cuique facit in promittendo voluntas. Non enim audiendi ſunt, qui putant regulas ſanctorum Patrum, ſtatutaque nihil præcipere: ſicut nec illi, qui putant omnis præcepti violationem eſſe crimen, ſiue peccatum mortale. Nam, vt exempli cauſa dicamus, Auguſtinus dicit expreſſè, ſe ea præcipere, quæ in regula continentur: & concludens regulam, Vbi, inquit, ſibi quicunque veſtrum videt aliquid deeſſe (de his ſcilicet quę in regula ſcripta ſunt) doleat de præterito, caueat à futuro, orans vt & debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Abſit enim, vt Auguſt. doceat orantes Deum ridere Deum, pro eo petendo veniam quod non eſt peccatum. Non tamen ideo omnium in regula poſitorum violatio peccatum mortale eſt. Mortale quidem peccatum eſt, occultè aliquid accipere, & rem ſibi collatam celare præpoſitum, ſiue nolle rem aliquam eſſe in præpoſiti poteſtate vt ille eam redigat in rem communem (hoc eſt enim contra præcipuum & maximè notabile regulæ præceptum, quo pręcipitur vt omnia ſint communia. Vnde & regula talem, qui celat rem ſibi collatam, tanquam furē cōdemnandum dicit: Sicut & conſilium Lateranenſe vniuerſos religioſos qui peculiū habuerint, niſi fuerit eis ab abbate pro iniūcta adminiſtratione permiſſum, à cōmunione remouet altaris, & cū peculio moriētes, ab eccleſiaſtica ſepultura omniq; oblatione quę pro Chriſtia-

*Lib. 2. decre. tit. de ſtatu monacho. & cano. ca. Monachus. &, Cum ad monaſt.*

nis fieri solet)at nō continuò peccatū mortale committit,qui extra statutam horam petat codicem,vel aliquantulum in cibo excedat. Nec illi audiendi sunt, qui putant præcepta prælatorum, vel statuta sanctorum patrū non obligare subditos, ita vt si ea non seruēt nulli peccato nec veniali quidem, propterea corā Deo obnoxij sint. Eadem enim impudentia dicant, contra Christum & Apostolum, nec eos qui statutas à potestate ciuili vel ecclesiastica,leges violant, coram Deo reos esse. Ne tamen nihil omnino videantur tribuere prælatis, dicunt eorum præcepta obligare ad pœnam, non ad culpam:noua videlicet adinuentione, vt is puniatur, qui nihil peccauit: cum vtrūque sit legis officium & præcipere & præceptum violantes punire. Sed his omissis audiamus potius Romanos Pontifices,qui dicunt, regulari obseruantia hominem astringi ad abstinentias, ad quas alij Christiani non sunt astricti: qui dicūt, ad obseruanda statuta Patrum (exempli causa, Præmonstratensium) etiam ecclesiasticis censuris subditos compellendos. imò Pontifices multa præscribunt religiosis, ad quæ vtique obligant eos.

*Statuta prælatorum subditos in conscientia obligare,&c.*

*De hoc,c.21. supra fol. In decre. de obserua. ieiun. ca. explicari.*

Audiamus potius Benedictum & Bernardum similesque Patres, qui exactè graues & leues culpas à se mutuò distinguunt. Dominus noster Iesus Christus in Euangelio malos Sacerdotes, Scribas, & Pharisæos, ferè semper hypocritas nominat : quia videlicet cum ipso vitæ suæ officio, habitu, & professione, nihil

*Vide epistol. Pōtificū præfixam statutis præmonstratensium, & ca. Cum ad monast.*

aliud ostentarent quàm insignem pietatem, ea tamen non suberat: ideoque tota vita eorum erat simulatio.

At illi qui docent statuta superiorum ad pœnam obligare, non ad culpam, docent religiosos vitam hypocriticam: videlicet ita se coram oculis præpositorum gerere, tanquam omnia præcepta obseruarent. rúrsum, intereà dum præpositi conspectum effugerint, liberè & absque vllo metu peccati quoduis præceptum audacter violare: Quasi scilicet non satis facilè religiosi omnibus externis protestantes sanctitatem, declinarent in hypocrisim, nisi eiusce vitij doctores & defensores haberent.

Verum quidem est, quosdam prælatos (vt, ordinis Prædicatorum) dicere: Volumus constitutiones nostras (leuiores nimirum) nō obligare ad culpam, sed ad pœnam: sed Ioannes Dominici Cardinalis, primus reformator ordinis Prædicatorū in Italia, & Antoninus eundem ordinem professus, docent id hoc sensu intelligendum (quod scilicet leuiora statuta non obligant ad culpam, sed ad pœnam) quia videlicet qui ista leuiora se prætergressum cōperit, & de hoc dolet, petens à Deo deuotè veniam, proponens post hac cauére, & patienter tolerat punitionem monasticam, liberatur ab eo peccato veniali, quod commisit leuis statuti neglectu, aut, quia ea statuta intelliguntur mandare vel obseruationem aliquam, vel pœnæ taxatæ sufferentiam in humilitatem & patientiam, humilitatis causa.

*Vide 3o. partem summæ Antonini tit. 16. c. 1. in fine paragr. vltimo.*

*De præposito religiosorum.*

CAP. XXXVII.

QVicquid de religiosis dicitur, id de se dictum agnoscat eorum prælatus, cum & ipse religionis voto obstrictus sit. imò diligentius quàm cæteri in obseruatione totius regulæ & statutorum se exercere debet: tum quia ipse in maiori est periculo & castitatis perdendæ, propter conuersationem cum extraneis, & vitio proprietatis peccandi, propter temporalium dispensationem ei creditam, & obedientiæ penitus negligendæ, quia superiot est omnibus: tum quia ipse pietate vitæ & obseruantia regulari omnibus suis fratribus exemplar esse debet. Nónne, inquit Bernardus, regularis ipsa professio, qua se iunior subdit sponte priori, æquè alligat & priorem? Communis equidem pacti pari reor vtrumque necessitate teneri, fierique duos per vnius sponsionem alterutrum debitores: fidelis curæ vnum, alterum humilis obedientiæ.

*Lib. antè citato.*

Non debet autem putare præpositus se pro libitu suo posse secum dispensare super obseruatione regulæ & statutorum. Regulæ enim sanctorum Basilij, Augustini, Benedicti, necnō authentici canones, & si qua sunt alia ecclesiastica instituta dignæ authoritatis, quoniam à sanctis tradita sunt, sancita stabiliter perseuerant, nec omnino cuiuis subiectorum ea aliquo modo variare vel mutare conceditur. Quia tamen ab hominibus, etiam per homines loco & officio illis canonica electione suc-

*Bernard. Ibidem.*

cedentes, licitè interdum innoxieque pro causis, personis, locis, & temporibus dispensantur: vbi sanè qui hæc legit, attendat me cautè non dicere, ea posse vel ab istis leuiter pro voluntate mutari, sed ex ratione fideliter dispensari. Quandiu enim charitati militant, immobiliter fixa sunt, mutarique omnino ne ab ipsis quidẽ præpositis sine offensa possunt. Vnde & Papa Gelasius: Vbi, ait, necessitas non est, inconuertibilia maneant Patrum sanctorum decreta. Leo quoque Papa: Vbi, inquit, necessitas non est, nullo modo sanctorum Patrum instituta violentur. Et infert: Vbi ergo necessitas fuerit ad vtilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispenset, ex necessitate enim fit mutatio legis. Primò igitur quicquid de spiritualibus (verbi causa, charitate, humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus) in ipsa regula traditum est, in manu Abbatis nequaquam relinquitur. Deinde reliqua pars quæ in corporalibus constat obseruantiis, ne ipsa quidẽ in eius ita voluntate posita est, vt eiusdẽ deseruiat voluntati, sed magis charitati. Neque enim Abbas supra regulam est, cui semel & ipse spontanea se professione submisit. Interdum quidẽ regulæ litera cedit pro tempore charitati, cum ratio necessitatis vel charitatis exegerit: absit tamen vt hominis cuiuspiam subdatur voluntati. Super fratrum sanè transgressiones, non super Patrum traditiones constituitur qui Abbas eligitur, mandatorum cultor, & vltor vitiorum. *Idem infrà.*

## *De præceptoribus & senibus honorandis.*

### CAP. XXXVIII.

EXimiam gratiam debemus præceptoribus nostris: qui nos disciplinis excolendo refingunt, & quasi denuo pariunt, ac tanquam ex bestiis homines nos faciunt. Sed ex hactenus dictis satis manifestum est quid illis debeatur: sicut etiam & hoc, quòd cuilibet benefactori debemus esse grati. Imò sic honore parentũ delectatur Deus, vt ipsam etiam senum canitiem, quia paternæ dignitatis quandam imaginem præ se fert, nobis velit

*Leu.19.* esse venerabilem. Vnde in Leuitico mandat: Coram cano capite consurge, & honora personam senis: & time Dominum Deum tuum. ego sum Dominus. Quod dictum de iis senibus intellige, qui aperta malitia vitæ honorem

*Dan.13.* senectuti debitum non impediunt. De qualibus scriptum est: A senioribus egressa est ini-

*Ibidem.* quitas. & qualium vni dicebat puer Daniel: Inueterate dierum malorum nunc venerunt

*Sap.3.* peccata tua. In his habet locum illud Sapientis: Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum

*Sap.4.* computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero cõputata. cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata. Et Ecclesiasticus:

*Eccl.25.* Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum. Pauperem superbum: & diuitem mendacem: & senem fatuum & insensatum. at de venerandis senibus subdit: Quàm

ſpecioſum canitiei iudicium, & preſbyteris cognoſcere conſilium? Quàm ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſus intellectus, & conſiliũ? Conora ſenum multa peritia: & gloria illorum timor Dei.

## De quinto Præcepto.

*Non occides.* CAP. I. *Exo.20.*

INter nocumenta quæ poſſunt proximo inferri, rectè proximo loco prohibetur nocumẽtum ſummum, quo videlicet ipſe proximus è medio tollitur: & dicitur, Non occides: hoc eſt, non occide, ſiue non occidas. Manichęorum autem deliramentis remotis, cum legimus, Non occides: propterea non accipimus hoc dictum eſſe de frutetis, quia nullus eſt eis ſenſus: de quibus dixit Dominus, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam, &c. nec de animantibus irrationalibus, volatilibus, natalibus, *a* ambulantibus, reptilibus, quia nulla nobis ratione ſociantur, quã non eis datum eſt nobiſcum habere communem: vnde iuſtiſſima ordinatione creatoris & vita & mors eorum noſtris vſibus ſubditur: dicente domino Noë, Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia: reſtat vt de homine intel-

*Aug.c.20.li.1.de ci.Dei.* *Gen.1.* *a ambulãtibus.* *Gen.9.* *Exo.20.*

ligamus, quod dictum est, Non occides. Iniustitiæ tamen aliquousque simile est, iumenta occidere, vel crudeliter tractare sine causa: indeque etiam quodammodo crudelis fit homo homini. Quamobrem Dominus in Propheta Iona dicit, se parcere ciuitati etiam propter iumenta: Et in Deuteronomio: Non ligabis, inquit, os bouis *a* triturantis in area fruges tuas. Et Salomon: Nouit iustus, inquit iumentorum suorum animas: viscera autẽ impiorũ crudelia.

*Ion.4.* *Deu.25.* *a terentis.* *Pro.12.*

*Nemini licere seipsum occidere.*

CAP. 11.

NVsquam in sanctis canonicisque libris nobis diuinitus præceptum permissumve reperiri potest, vt vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel vllius carendi cauẽdive mali causa, nobismetipsis necem inferamus. Nam & prohibitos nos esse intelligendum est, vbi lex ait: Non occides: præsertim quia non adiecit, Proximum tuum: sicut falsum testimonium cùm vetaret: Falsum, inquit, testimonium non dices aduersus proximum tuũ. Nec ideo tamen si aduersus seipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putauerit alienum: quoniam regulam diligendi proximum à semetipso dilector accepit: quãdoquidem scriptum est, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Hoc igitur dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias tẽporales, ne incidat in perpetuas: neminẽ pro-

*Aug. de ciui. Dei, li.1. c.20. Vide eundem li. de patiẽtia. c.12.* *Exo.20.* *Mat.22.* *Eiusd.li.cap. 26.*

pter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere grauissimum proprium, quem non polluebat alienum: neminē propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, vt possint pœnitendo sanari: neminem, velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur: quia reos suæ mortis, melior post mortem vita non suscipit: neminem, ne in peccata irruat eisque consentiat: quia non sunt facienda peccata certa, vt euadamus incerta: non sunt facienda mala, vt eueniant bona.

*Idem ibid. cap. 18.*

*Cap. 27. ibid.*

*Licere authoritate Dei hominem occidere.*

## CAP. III.

DIcitur quidem nullo excepto, Non occides hominem: quasdam verò exceptiones ipsa diuina fecit authoritas, vt *a* liceat hominem occidi: sed, his exceptis quos Deus occidi iubet, siue data lege, siue ad personam pro tempore expressa iussione. Non autem ipse occidit, qui ministerium debet iubenti, sicut adminiculū gladius est vtenti. Et ideo nequaquam cōtra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est. Non occides, qui Deo authore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis, secundum eius leges, hoc est, iustissimæ rationis *b* imperium, sceleratos morte punierunt. quales, tanquam vice Dei fungentes, commendat Apostolus, dicens: Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum.

*Eodem li. ca. 21. Et epist. 61. nullis autem iubentibus, &c.*

*a non.*

*b imperio,*

*Vide Inno. 1. epist. 3. ca. 3.*

*Ro. 13.*

Si autem malum feceris, time. non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram, ei qui malum agit. Et Abrahā non ſolùm non eſt culpatus crudelitatis crimine, verumetiam laudatus eſt nomine pietatis, quòd voluit filium nequaquam ſceleratè, ſed obedienter occidere. Nec Sampſon aliter excuſatur, quòd ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit: niſi quia ſpiritus latenter hoc iuſſerat, qui per illum miracula faciebat. His igitur exceptis, quos vel lex iuſta generaliter, vel ipſe fons iuſtitię Deus ſpecialiter occidi iubet, quiſquis hominem vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur.

*Aug. ibid.*

### *Iudici licere tantùm malefactores occidere.*

### Cap. IIII.

*Exo. 23.* INſontem, inquit dominus, & iuſtum non occîdes: quia auerſor impiū. Nec quemlibet malefactorem licitum eſt occidere, ſed eum tantum, qui recto & publico iudicio malefactor eſſe deprehenditur. In ore duorum aut trium teſtium, inquit Dominus, peribit qui interficietur. Nemo occidatur vno contra ſe dicente teſtimonium. Non ſtabit teſtis vnus contra alterum, quicquid illud peccati & facinoris fuerit: ſed in ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum. Recta itaque erat Romanorum conſuetudo, qui nemini ob gratiam dabant aliquem hominem vt periret, priuſquam is qui accuſatus erat præſentes haberet accuſatores, locumque defendendi accepiſſet ad abluenda crimina quæ ei

*Deu. 17.*

*Deu. 19.*

obiiciebantur. Vnde & Pilatus, Romanæ præ- *Ioan.18.*
ſes poteſtatis, rectè recuſauit Chriſtum condemnare ſine cauſæ cognitione: etſi Pontifices, Scribæ, Phariſæi, & ſenatores ſiue ſeniores plebis palàm teſtarentur Chriſtum eſſe malefactorem dignumque qui interficeretur.

*Qui malefactores ſint occidendi.*

CAP. V.

SIcut medicus illud membrum tantum præcîdit à corpore, per quod totus homo certum incurrit mortis periculum: ita ij occidendi ſunt à principe, qui non ſibi tantum nocent, ſed & pacem reipub. totius cõturbant: vt ſunt latrones, homicidæ, fures: & in vnaquaque repub. quos leges occidi iubent. Pro varietate regionum & populi variatur communitatis turbatio & tranquillitas. Ideò etiam non eædem *Exo.22.* vbique leges de occidendis malefactoribus. *Deu.22.* In Iudæa fur capitali ſupplicio non puniebatur, ſed adulter: nũc apud pleroſque Chriſtianos fur legitimè occiditur, non adulter.

*Hæreticos legitimè occidi.*

CAP. VI.

NVllo autem pacto à turbatoribus reipub. eximendi ſunt hæretici: imò tanto magis cõmunitatem turbant, quanto cõcordia populi in vera religione, præſtantior eſt pace politica: & quanto concordia ciuilis melius per veram religionem quam citra eam cuſtoditur. Nullum enim

odium sæuius aut exitialius est, quàm quod ex religione diuersa atque falsa procedit: quia sola vera religio inimicos diligere nouit. Vnde in
Deu.13.&17 veteri lege & Iudæus idololatra, & propheta suadẽs alterius Dei cultum, etiam si alias multa verè prædixisset iubebatur occidi. & ciuitas Israëlitica, quæ alieni Dei cultum suscepisset, cum omni suppellectile, quantumuis pretiosa
Deu.17. & vtili, funditus erat delenda. Et si quis, etiam in ipsius legis difficilibus & subtilibus quęstionibus, noluisset sacerdotis supremi audire sententiam, etsi sacerdos ille gladij corporalis nõ haberet potestatem, iudici tamen mandabatur vt talem occideret: quanquam iudex ille difficiles legis quæstiones definire nequiret, verũ etiam ipse sacerdotem audire deberet. Si tunc ij, qui iudicio sacerdotis de difficultatibus circa legem obortis parere nolebant, turbatores populi censebantur: quanto magis, qui nunc coruscante Christi euangelio à catholica fide deficiunt, & hominum adinuenta sequuntur, reipub. perturbatores habendi sunt? Proinde Christianorum Regum est, morte eos punire, omniaque eorũ scripta, etiam quæ vtilia sunt, in authorum talium detestationẽ æterna obli-
Nota. uione obliterare: atque hac ratione Christo seruire, inquantum reges sunt, nempe potestate gladij sui gloriam eius defendendo: sicut,
Dan.3. laudante scriptura, fecerunt Nabuchodono-
Dan.14. sor, Darius, & Artaxerxes: sicut antè dictum
1.Esd.7. est. Propterea ait Consilium Anthiocenum: Si
Pag.148. quis presbyter aut diaconus episcopum pro-

prium contemnens, se ab Ecclesia sequestrauit, & seorsum colligens altare constituit, & commonenti episcopo non acquieuerit, nec consentire vel obedire voluerit semel & iterum conuocanti, hic damnetur omnimodo, nec vltra remedium consequatur, quia suam recipere non potest dignitatem. Quod si Ecclesiam conturbare & solicitare persistat, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur, cano. 5.

*Posse quemlibet se suaque defendere contra inuasorem, etiam si mors inuasoris inde sequatur.*

CAP. VII.

SEcundum iura ciuilia vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quam sententiam cõfirmat etiam lex diuina, vel potius, eam prior statuit, quæ de fure nocturno sic dicit: Si effringens fur domum siue suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. At de diurno fure ad hunc modum loquitur: Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipse morietur: quia videlicet non est tutela inculpata, qua quis claro die furem occidit. Potest enim multis aliis modis quis auertere furem diurnum, quàm eum occidendo. Vnde Petrus (ait Cyrillus) gladium habuit? quia secundum legem gladio se defendere licebat: idcirco gladium quoque ferre licebat. Vnde si Christus vi multitudinis inuitus ad necem traheretur, omni modo fortassis

*Exo. 22.*

*Idem ff. ad l. Aquil. l. 4.*

*Lib. 11. in Ioan. c. 35.*

debuiſſent illum diſcipuli defendere. Verum quia Chriſtus, vt mortem ſolueret, mortem libenter ſubiit, propterea Chriſtus ſequendus erat neceſſariò, & rectè de Petro ſe volente defendere, dixit, Qui acceperit gladium, gladio peribit: hoc eſt, dignus eſt qui gladio pereat.

*Mat. 26.*

Hinc Auguſtinus: Qui, inquit, repelluntur aliquo terrore, ne malè faciãt, etiam ipſis aliquid fortaſſe præſtatur. Hinc autem dictum eſt, Nõ reſiſtamus malo: ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum paſcit, non vt correctionem hominum negligamus. Vnde nec reus eſt mortis alienę, qui cum ſuę poſſeſſioni murum circunduxerit, aliquis ex ipſo ruens percuſſus intereat. Neque enim reus eſt Chriſtianus, ſi bos eius aliquem feriendo, vel equus calcem iaciendo aliquem occidat, aut ideo non debẽt Chriſtianorũ boues habere cornua, aut equus vngulas, aut dentes canis. Aut verò quoniam Apoſtolus Paulus ſategit, vt in Tribuni notitiam perferretur, inſidias ſibi à quibuſdã perditis pręparari, & ob hoc deductores accepit armatos, ſi in illa arma ſcelerati homines incidiſſent, Paulus in effuſione ſanguinis eorum, ſuum crimen agnoſceret. abſit vt ea quæ propter bonum ac licitum facimus aut habemus, ſi quid per hæc præter noſtrãm voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur.

*Ad Publicolã epiſt. 154.*
*Ro. 12.*
*Aug. epiſt. 50. Neque enim & apoſtolus, &c.*
*Act. 21.*

Alioquin nec ferramenta domeſtica & agreſtia ſunt habenda, ne quis eis vel ſe, vel alterũ interimat: nec arbor, aut reſtis, ne quis ſe inde ſuſpendat: nec feneſtra facienda eſt, ne per hãc ſe quiſ-

se quisque præcipitet. Quid plura commemorem, cùm ea commemoranda finire non possim? Quid enim est in vsu hominum bono ac licito, vnde non possit etiam pernicies irrogari: Hæc Aug. qui etsi tantùm de iis expressè loquatur defensoriis instrumentis, quæ hominem etiam quiescentem defendunt: idem tamen iudicium est de iis, per quæ homo ipse se defendit: vt est eiaculatio bombardæ, vel vibratio siue infixio gladij. Hæc enim omnia ad hoc tantum adhibētur, vt hostis terreatur territusque auertatur à sceleris patratione, vnde homo tandem saluus liberetur. Et nemo inde moritur, nisi qui praua sua voluntate vltrò se in illa iniicit, quæ alter pro sua defensione licitè parauit. Attamen, hæc tantùm de iis dicta sint, qui aliud non quærunt, quàm se suáve tueri, nequaquam inuasorem occisuri, si qua alia ratione sua tueri possent: dolentes admodum, inuasorem in mortem suam irruere. Nam si quis quia vidit alium se velle occidere, vindictam quærat, & tanquam quoddam bonum eligat inuasoris necem, vt videlicet hoc modo vitam suam conseruet (sicut infirmus libenter sumit amaram potionem quò vitā seruet) hic vere alterius vitam inuadit, & per vindictam occidit: quod priuata authoritate nequaquam licet. Ideoque rectè dicit Augustinus: De occidendis hominibus ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet cōsilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro *Citata iam epistola.*

ſe hoc faciat, ſed pro alijs, vel ciuitate, vbi etiã ipſe eſt accepta legitima poteſtate, ſi eius congruit perſonę. Quia vero difficillimè & rariſſimè homo iniquè ab alio inuaſus, manſuetudinem, patientiam & dilectionem erga proximũ ita ſeruat, vt non ex ira petat mortem inimici ſui tanquam ſuum quoddam bonum, ſed vt ſolam ſui defenſionem: deinde, quia rarò admodum adhibetur omne aliud remedium, quod citra necem inuaſoris adhiberi *poſſet:*
*Lib.1. de lib. ar.ca.5.* Auguſtinus loquens de talibus, quales ferè omnes ſunt, qui eligunt alienam vitam perdere pro rebus ſuis, dicit apud ſecretiſſimam diuinæ prouidentię legem illos peccato non eſſe liberos, qui pro rebus quas contemnere oportet, & quas inuiti poſſumus amittere, humana
*Cõtra Fauſt. li.22. ca.70.* cæde polluti ſunt. Et iterum: Conſulta æterna lege, innuit, reperio non debuiſſe hominem ab illo, qui nullam ordinatam poteſtatem gerebat, quamuis iniurioſum & improbum occidi. Sicut & in Enchirid. dicit peccatum eſſe ſua iudicio repetere. loquitur enim de iis, quales ferè ſunt omnes, qui multa cum ira & indignatione per iudicem ſua repetunt. alioqui, epiſtola.5. quę eſt ad Marcellinum, docet quomodo quis rectè, ſine omni peccato, id poſſet facere.

*De Bello* CAP. VIII.

EX his iam euasit manifestum, iustum esse bellum, non solum defensiuum, quo exercitus aliquis qui iniquè inuadit aliena propellitur, sed etiam vindicatiuum, quo princeps populum aliquē ob scelera punit: quale fuit diuinitus mandatū Israelitis contra Chananæos: quale voluerunt *Deu.7.* inire filij Israel aduersus tribum Ruben, Gad, dimidiamque Manasse, quos putabant ad falsos Deos deflexisse: quale Deus præcepit vndecim tribubus aduersum tribum Beniamin gerere, propter stupratam vxorē Leuitæ. De qualibus bellis scribit in hæc verba Augustinus: Iusta bella definiri solent, quæ vlciscuntur iniurias, si qua gens vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniuriam ablatum est. Sicut autem interest quibus caussis bella gerantur, ita & quibus authoribus. Ordo enim ille naturalis, mortalium paci accommodatus, hoc poscit, vt suscipiendi belli authoritas atque consilium penes principem sit: exequendi autem iussa bellica ministerium, milites debeant paci salutique communi. Si autem in bello vel desit publica authoritas, vel iusta belli causa, non iustum bellum, sed merum erit latrocinium. Naturali autem illo ordine hoc etiam fit, vt vir iustus, si fortè sub rege etiam sacrilego militet, rectè possit illo iubente bellare, ciuicæ pacis ordinem seruans: cui quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit,

*Ios.22.* *Iud.20.* *Quæst. 10. li. 4. super Iosue* *Idem contra Faustum lib. 22. ca. 75.* *Sic Aug. de regno Remota iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia c. 4. li. 4. de ciuit. Dei.*

certum non est: ita vt fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi. Quæ Aug. verba de viro iusto militante tantum loquuntur, deque eo qui ad obediendum principi est obligatus. Proinde, locum non habent in iis militibus, qui solam pecuniam quærunt, parati seruire tam in iniquo bello quàm in iusto: neque in his, qui, quum omnino dubium sit, num iustum sit bellum, incuriosè se ad militãdum offerunt, cum Principi obligati non sint. Tum enim hi citra necessitatem periculo iniustitiæ sese temere committunt. Sed locum habent prædicta D. Aug. verba in subditis principis, aliisve eius seruituti addictis: qui cũ astringantur Principi obedire tanquã superiori suo; debent præsumere eum iustè agere, donec cõtrarium eis apertè constiterit. Et vt paucis absoluamus, quod dicere volumus de bello: Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt quæ in bello iure culpantur: quæ plerumque ita culpantur, vt etiam iure puniãtur. Aduersus violentiam resistentium, siue Deo siue aliquo legitimo imperio iubente, gerẽda ipsa bella suscipiũtur à bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inueniuntur, vbi eos vel iubere tale aliquid, vel in talibus obedire, iustè ordo ipse constringit. Alioquin, Io. cum ad eũ baptizandi milites venirent, dicentes, & nos quid faciemus? responderet eis: Arma abiicite,

*Ex August. contra Fau. li. 22. ca. 74.*

*Luc. 3. Vide Aug. etiã epistol. 207.*

militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite neminē. Sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis & non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publice defensores, respondit eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipēdium vestrum. Et dominus Iesus Christus hoc stipendium iubet reddi Cæsari, quod Ioannes dicit sufficere militi: Reddite inquit, Cæsari *Mat.22.* quæ Cæsaris sunt. Ad hoc enim tributa pręstātur, vt propter bella necessario militi stipendiū præbeatur. Meritò & illius Centurionis, dicētis·Et ego sum sub potestate constitutus, ha- *Mat.8.* bens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alij, Veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit, fidem laudauit, nō illius militiæ desertionem imperauit. Mirabitur fortè quispiam, Ioannem Baptistam non exegisse à militibus, vt Deum non blasphemarent: quum hoc vitiū militibus sit nimis familiare: imò nobiles consueuerint ludibrio habere sacerdotes aliosque Dei seruos, instar sociorum Iehu, qui de filio prophetæ ab Helisęo ad Iehu misso, dicebant: Quid venit insanus iste ad te? Falsum est quod *4.re.9.* locutus est. vnde & Herodes cum exercitū suo spreuit Saluatorem, & illusit indūtum veste *Luc.23.* candida. Mirabitur itē & de stupro (quod etiā militibus admodū familiare est) nihil eum dixisse: sed sciendum quòd loquebatur militibus vtcumque bonis, iam timore iudicij Dei grauiter ad pœnitentiā pręculsis: quibus proinde

ſufficiebat dicere vt ſibi ab iis cauerét peccatis, quæ etiam nobiles, & qui in numero militum boni videntur, pro paruis habent, alioqui, grauiter de incœſtu etiam Herodem corripuit.

*Mat. 14.*

## *De infanticidis.* CAP. IX.

*Conſtant. 6. in Trullo ca. 91. Decre. li. 5. tit. de hom. c. Si aliquis Illerdenſe cõ. c. 7. eiuſmodi homines ſeptem annos à cõmunione excludit.*

HOmicidæ ſunt illæ mulieres, imò parricidæ, quæ fœtus ſuos in vtero iam animatos pharmacis extinguunt, ſicut & qui prægnantes fœminas ita percutiunt vel terrẽt, vt earum fœtus moriatur. Qui verò impediunt, ne ex concubitu procreetur, etſi hominem non occidant, humanæ tamen vitę impedimentum præſtant: ideoque partem cum homicidis ſortiuntur. ſicut dicit Concilium Guarmacienſe: Si aliquis cauſa explendæ libidinis, vel odij meditatione, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non poſſit generare aut concipere, vel naſci ſoboles, vt homicida tenetur.

## *De his qui per immoderatam actionem hominem occidunt.* CAP. X.

HOmicidij quoque reus eſt, qui occidere quidem non intendit, reique licitæ ſtudet, attamen ita in opere ſuo immoderatus eſt, vt non adhibeat debitam cautelam, ideoque alium occidat: vt qui immoderatè ſe tuendo occidit inuaſoré: qui infantulum iuxta ſe collocans in lecto, ne frigeat, incautè eum ſomnolentus opprimit: qui equitat in equo calcitrante: qui venatur vel ſagitta ſe exercet, & non adhibita ſufficienti cautela hominem

intereà occidit: qui medica potione vel alio modo per imperitiam ægrum necat: maximè, si se medicum esse profiteatur. item qui intemperato studio, amore, vel ira siue tristitia seipsos occidunt: sicut dicit Apostolus, Seculi tristitia mortem operatur: & Sapiens, Multos occidit tristitia, & non est vtilitas in illa. Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus. Qui verò per ebrietatem & crapulam sese occidunt (de quibus ait Sapiens: Propter crapulam multi obierunt) his non sunt annumerandi: quoniam se occidunt dando operam rebus illicitis.

2. Co. 7.
Eccl. 30.
Eccl. 37.

*De variis generibus occidendi.* CAP. XI.

NOn solum is qui manu sua vitá homini tollit, sed & omnis cooperator hominem occidit, sicut & in alterius generis nocumentis, vt adulterio, furto, &c. omnis cooperator iniuriá infert: Varij autem sunt cooperatores, iubentes alij, alij consulentes. Iezabel iubebat occidi Naboth: Caiphas Christum occidi consulebat. Item alij petunt, & precibus alliciunt ad alterius necem alium: cuiusmodi fuére Iudæi, qui à Pilato petierunt vt Christus crucifigeretur: Alij cooperantur consensum præstando, quando consensus est causa mortis. Quamobrem postremus scabinorum, si sciat iniquè quempiam occidendum per suorum confratrum consonas inter se mutuò voces, consentire non potest, sed reclamare debet, nihil enim excusat dum cõsentit, si dicat Senatú

3. Re. 21.
Ioan. 11.
Ioan. 19.

Exo.23. facere. ſicut ſcriptum eſt: Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ vt à vero deuies. Cooperatur quoque homicidę, qui eius eſt ſocius vel comes, etiam ſi homicidio haud cōſentiat, modò alter ex ſocietate amici reddatur animoſior: qui ſi ſolus fuiſſet, nihil auſus fuiſſet attētare. Item, quiſquis poteſt & tenetur ex officio vitam alterius ſeruare, nec ſeuat, is verè homicida eſt dicendus. In quorum numero ſunt parentes, quorum proles in ignem ruunt vel in aquam, vel à beſtiis deuorantur: vel quorum filij moriuntur, quòd nō ſatis commodè educati fuerint. De qualibus dicit Hiere. Sed & Lamię nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos, filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto. Adhæſit lingua lactentis ad palatum eius in ſiti: paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Item Principes & Senatores, qui homicidas non puniunt, latrones & graſſatores non capiunt, omnium homicidiorum rei ſunt, quæ ipſi latrones, poſtquam capi potuiſſent, committunt, & omne damnū ſubditis illatum coram Deo reſarcire tenētur.

Thre.4.

Deu.19. Hinc dominus in Deuterono. Auferes, inquit, malum de medio tui. non parcet oculus tuus vt miſerearis. nō miſereberis, ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. Pulchrè quidam Gentilis ait: Sæuit in bonos, qui parcit malis.

Vnde ait propheta ad Regem Achab: Hæc

dicit dominus, Quia dimisisti virum dignum 3.Reg.20.
morte de manu tua, erit anima tua pro anima
illius, & populus tuus pro populo eius. Propheta quoque & rex Dauid moriturus nulla 3.Reg.2.
exre anxius erat nisi quòd homicidã Ioab principem militiæ suæ, qui duos principes exercitus iniquè occiderat, tam diu tolerasset cum
Semei maledico. Sic medicus, qui infirmum
curandum suscipit, si eius negligentia & imperitia ille moriatur, eum occidit. Et hi omnes
cooperatores, quia iustitia eos obligat ad vitã
seruandam, seu ad non cooperandum in occisionem, restitutioni faciẽdę obnoxij sunt, qualis est possibilis homicidæ, & sicut homicidæ
alij tenentur. Occidunt & illi, qui etsi non teneantur ex iustitia, periclitantibus tamen de
vita, fame, vel alio casu, non succurrunt cùm
possint. Pasce, ait Ambrosius, fame morientem
si non paueris, occidisti. Sic occidunt, qui captiuos aut iniustè condemnatos ad mortem nõ
liberant cum possint. De quibus Salomon:
Erue eos, qui ad mortem ducuntur, & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Si dixeris. Vires non suppetunt, qui inspector est Pro.24.
cordis, ipse intelligit, & seruatorem animę tuę
nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua.
Multo verò grauius peccat ille, qui subuenire
calamitosis volentes remoratur, non veritus
Dei mandatum. Noli prohibere benefacere Pro.3.
eum qui potest, si vales, & ipse benefac.

*De consentientibus homicidio & optantibus mortem alicuius.*

CAP. XII.

Q Visquis iniquè consentit in necem alterius, etsi ipse nequaquam vellet eam inferre, homicidij tamen coram Deo reus est, sicut & is qui optat vt alius moriatur, non zelo iustitiæ, sed odio proximi vel aliqua terrena cupiditate. Hinc Sapiēs *Eccl.8.* De mortuo inimico noli gaudere, sciens quoniam omnes morimur, & in gaudium volumus venire, & iterum. *Eccli.9.* Non placeat tibi iniuria iniustorum, sciens quoniam vsque ad inferos non placebit impius. Hinc contingit & eos qui publica authoritate funguntur peccare homicidio coram Deo, cùm non occidunt quos ex æquitate occidere possunt, rursum, cū non zelo iustitiæ, sed odio hominis vel carnali quadam cupiditate hominem occidunt. Neque enim Dauid minus reus fuit latrocinij coram Deo, quia sub prætextu iustitiæ bellicæ, vt honorem suum defenderet, Vriam iussit occidi. *3.Reg.18.* Cum discipuli Iacobus & Ioannes de Helia dedissent exemplum domino, commemorantes quid ab eo factum sit, vt etiam ipsis daret potestatem petendi de cælo ignem ad consumendos eos qui sibi hospitium non præberēt: *Aug. de ser. do. lib.1.c.38.* reprehendit in eis dominus non exemplum Prophetæ sancti, sed ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus animaduertens eos non amore correctionem, sed odio desiderare vindictam.

*De pœna homicidarum.* CAP. XIII.

His qui voluntariam cædem perpetrant, pœnam mortis sanxiuit ipse Deus, dicens. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo. Et vsque adeo res abominabilis est homicidium, vt etiam ante legem scriptam homines naturali iudicio iudicarent morte dignum, qui homicidium patrâsset. Vnde sceleratus Cain primus homicida, non solum audiuit à Deo: Nunc maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinẽ fratris tui de manu tua, cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, vagus & profugus eris super terram. Sed etiam in seipsum sententiam protulit iustissimam, qua se confessus est dignum vt interficeretur, qui fratrem germanum occidisset. Omnis, inquiens, qui inuenerit me, occidet me. Hinc & Rebecca, cum audisset minas Esau. Venient dies luctus Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Cur, inquit, vtroque orbabor filio in vno die? sentiẽs vtique fore vt occideretur Esau, si fratrem suũ peremisset. Tempore verò legis Moysi seuere admodum dictum est: Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo auelles eum, vt moriatur. Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit qui percussus est, reus erit homicidij, & ipse morietur. Si lapidem iecerit, & ictus occubuerit, similiter punietur. Si ligno percussus interierit:

*Gen. 9.*
*Pœna se ipsos occidentium in con. Antisiod. c. 17. & con. Braccarensi 1. ca. 34.*
*Gen. 4.*
*Gen. 27.*
*Exo. 21.*
*Num. 35.*

percuſſoris ſanguine vindicabitur. propinquus occiſi, homicidam interficiet, ſtatim vt apprehenderit eum, interficiet. Si per odium quis hominem impulerit, vel iecerit quippiam in eum per inſidias, aut cùm eſſet inimicus, manu percuſſerit, & ille mortuus fuerit percuſſor homicidij reus erit, cognatus occiſi ſtatim vt inuenerit eum iugulabit. Non accipietis pretium ab eo qui reus eſt ſanguinis, ſtatim & ipſe morietur. Terra habitationis veſtræ inſontium cruore maculatur, nec aliter expiari poteſt, niſi per eius ſanguinem qui alterius ſanguinem fuderit, atque ita emundabitur veſtra poſſeſſio me commorante vobiſcum.

Matt.26. Quam pœnæ ſeueritatem etiam Chriſtus dominus approbauit, dicens. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Ab homicidij tamen pœna liberauit Deus eum, qui aliud agens, contra voluntatem ſuam hominem caſu occidit, ſicut & ciuiles leges liberant eum, qui dum licitæ rei operam dat, interuenientem caſu occidit. Secus ſe habet, ſi quis rem illicitam aut vanam incuria adminiſtrans, vitã alicui adimat. Vt oſtendatur tamen, quantùm
Deut.19. diligat Deus vitam humanam, quamque deteſtetur homicidium, ſtatutum eſt Moſaica lege, vt etiam innocens homicida exultet, & confugiat ad ciuitatem refugij, permaneatque ibi vſque ad mortem Põtificis, ita vt impunitus maneret propinquus occiſi, ſi innoxium homicidam, inuentum extra fines vrbium eis tunc in refugium deputatarum occidiſſet. Innocens

verò homicidium erat ( exempli causa ) si quis *Deut.19.*
percussisset proximum suum nesciens, & qui heri & nudiustertius nullum contra eum odiũ habuisse fuisset comprobatus, sed abiisse cum eo simpliciter in siluam ad cedenda ligna, & in succissione lignorum securis fugiens manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum eius percussisset, sicut Ancyranum concilium etiam eum qui non voluntariè, sed casu homicidium facit impunè euadere non sinit, sed &c. canone 22.

*De irregularitate ex homicidio vel mutilatione procedente.* CAP. XIIII.

Pijssimo Dauidi, qui summa deuotio- *1.Par.22.*
ne excogitauit domum domini ædificare, sic sermo respondit diuinus. Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ędificare domũ nomini meo, tanto effuso sanguine coram me. Filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus: faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc causam. Pacificus vocabitur, & pacem, & otium dabo in Israel cunctis diebus eius, ipse ædificabit domum nomini meo. Sic in Christi Ecclesia iam pridem statutum est, vt ad sacros ordines non ascenderet, nec in iis ministraret, quisquis sua culpa hominem occidisset vel mutilasset, imò quisquis per iustitiam, seu iusto iudicio, *Vide in 1.ep.*
cooperando tantùm hoc fecisset. Cùm enim *ad Syn.Tole-*
in altaris sacrificio repræsentetur passio domi- *tanum c.2.*
ni saluatoris, qui percussus non repercussit:

quomodo idonei ad id erũt, qui culpa sua, aut saltem voluntate hominem necarunt vel mutilârunt? Secundum iudicem populi sic & ministri eius, inquit Sapiens. Nihilominus (sicut ait Clemens quintus) si furiosus, aut infans, vel dormiẽs hominem occidat vel mutilet, ei hinc nulla continget irregularitas. Et idem censemus de eo, qui mortem aliter euadere non valens suum occidit vel mutilat inuasorem.

*Eccl.10.*

*In con. Viennensi. Et est in li.5. Clem.c. de homi.*

*De mutilatione & similibus.*

CAP. XV.

Cum hoc præcepto prohibeatur occisio hominis, prohibentur, & nocumẽta minora quæ corpori humano inferuntur: vt est mutilatio, qua membrum tollitur, item vulneratio, qua tollitur integritas carnis, Cum autem ipse homo sicuti non est dominus vitę suę, ita nec membrorum suorum, ideo neque ipse sibi, neque alius etiam ipso consentiente aliquod membrum auferre vel vulnerare potest, nisi quando ad totius corporis sanitatem id necessarium est. Iudex autem sicut pro pro peccato occidere, ita & mutilare potest. Pro spiritali autem salute animæ nunquam licet hominem mutilare neque enim integritas membrorum causa est peccati, sed voluntas. Vnde stultè fecit Origenes sese castrando. Nec dominus in euãgelio laudat sese castrãtes, corporaliterue exsecãtes, cũ in veteri lege necbruta castrari voluerit, sed laudat eos qui ab omni cõcubitu abstinent, & impudicitiã oculorũ & cogitationũ resecant. non enim à mẽbro, sed à

*Mat.19.*

*Leu.22.*

proposito incontinentiæ, & mente negligenti impudicitia fomentum habet. Est enim & in spadonibus concupiscentia carnis, pudiceque comprimitur, ne concubendi, quanuis irritus ipse conatus, in eam turpitudinem veniat, propter quam Calligonum Valentiani iunioris eunuchum gladio nouimus, inquit, Aug. vltore punitum, meretricis confessione conuictum. *Cont. Iul. li. 6 ca. 5.* Neque enim & in libro Ecclesiastici adhiberetur inde similitudo atque diceretur, Vidẽs oculis & ingemiscens, quasi spado complectẽs virginem & suspirans: nisi & ipsi mouerentur cõcupiscẽtię carnalis affectibus, licet destituti carnis effectibus. *Eccle. 30.* Hinc & in con. Nyceno primus canon est, Siquis à medicis propter languorem sectus est, vel à Barbaris castratus, placuit vt iste permaneat in clero. Si quis autem seipsum sanus abscidit, hunc & in clero constitutum, abstinere oonuenit, & deinceps nullum talium debere promoueri. *Conc. Nyceni. 5. Idem con. Arelatem secundi c. 7. & Inno. I. in ep. ad Felicem epist. Nucerianum 4. c. I.* Similiter qui sibi vel alijs morbi causa est, grauiter peccat, nisi vel ex debito officij sui, vel ex proximi dilectione sanitatem suam Deo offerat, sicut ex eadem causa vitæ suæ periculm rectè subit homo. Verberare quoque hominem seu dolore afficere, non licet nisi causa disciplinæ ipsi superiori, sicuti patrifamilias licitum est, moderate verberare filium, domino seruum, præceptori discipulũ, alijs haud licet. Detinere quoque hominẽ, vel ligare, siue quouis alio modo ei libertatem adimere, quò impediatur ab iis bonis, quæ liber posset facere. grauis est iniuria : excepto.

eo casu, quo homo nisi detineretur vel cohiberetur, statim aliquid mali facturus esset, verbi gratia, si alium esset læsurus, vel se præcipitaturus. Iudici quoque ob iustam causam licet publicè hominem incarcerare.

*De ira, odio & similibus.*

CAP. XVII.

Mat. 5. QVia Scribę non intelligebant homicidium, nisi eam corporis humani peremptionem, qua vita priuatur, aperuit dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari, vnde 1. Ioan. 3. & Ioan. dicit: Qui odit fratrem suum homicida est. Ibidem apud Matth. Audistis, ait Christus, quia dictum est antiquis. Exo. 20. Non occides, qui autem occiderit, Deut. 5. reus erit iudicio. Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit cōcilio, qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. His quatuor modis committitur homicidium, sed in culpa gradus sunt, sicut & in Vide. Aug. de serm. Do. in monte lib. 1. c. 19. pœnis erunt. Primus gradus est irasci, ita tamē vt eum motum retineat homo corde conceptum, ne foras se prodat. Et rectè adiicit Saluator. Sic legit etiā Ireneus cap. 27. lib. 4. Qui irascitur fratri suo temere, id est, sine causa, est enim ira quædam salutaris, cui affectus lædendi non adhæret, & quæ non perniciem sed salutem proximi intendit, qua non homini, sed vitiis eius irascimur, odio habentes in homine, non quod fecit Deus, sed quod fecit homo. Sed cum nemini sua ira videatur iniusta, valde cauendum est ne mentiatur iniquitas.

quitas sibi, persuadens se tantum odisse peccatum proximi, cum hominem ipsum odiat. Hac salutari ira etiam Saluator noster aliquoties commotus esse legitur. Ad hunc primum peccati gradum pertinent omnes malæ cogitationes: inuidiæ, odia, dissensiones, æmulationes, suspiciones malę, amaritudines, desideria mortis proximi, occulta gaudia de miseria eius, & similia. Secundus gradus est: si extorserit vocē indignantis ipsa commotio non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille cui irascitur homo. Hoc enim peius est, quam si surgens ira silentio premeretur. Hoc significat Saluator per Racha. Est enim Racha Hebræis interiectio irascentis, sicut latinis est Hem, sicut Heu est interiectio dolentis. Huc pertinent omnia irati animi signa, quibus homo indicat in animo suo se fratri malè velle: vt labra mordere, quassare caput, frontem attrahere, vultu excandescere, naribus sufflare, torue intueri, non salutare, aut salutationes non reddere: & multa similia. Tertius gradus est, cum iratus in verborum vituperationem erumpit, & voce sua certam vituperationem exprimit, manifestisque conuitiis proscindit fratrem. Gradum hunc significauit Christus dicens: Qui dixerit fratri *Mat. 5.* suo, fatue, reus erit gehennæ ignis: vbi etiam intelligendum sine causa, sicut in præcedentibus. alioqui non diceret Apo. Galat. O insensati Galatæ. nec Christus discipu. suis: O stulti, *Galat. 3.* & tardi corde &c. Ad hunc gradum referendæ *Luc. 24.*

ſunt minæ, & omnis generis conuitia, & vniuerſa tertiæ linguæ mala: de quibus ſtatim peculiariùs. Vltimus gradus eſt, cùm quis corporaliter hominem occidit vel mutilat. Cum vero Apo. iram, odium, inuidiam (quæ ſunt in primo gradu) pronunciet homines excludere à regno Dei, cenſendum eſt omnes iſtos gradus à Chriſto hic poſitos, æterni ignis ſuppliciis ſubiiciendos, ſed tamen differentias pœnarum fore, vt grauius puniatur, qui grauius deliquerit. In æternum enim ardebit, qui fratri ſuo iratus fuerit temerè: ſed longè profundius detrudetur in gehennã, grauiuſque cruciabitur, qui fratri ſuo conuitiatus eſt, vel eum occidit. Præcipit itaque Deus non ſolum manum à cęde vel percuſſione contineri, ſed & animum ab omnibus affectibus ad læſionem proximi propenſis prorſus emundari, contrariiſque virtutibus imbui: vt videlicet nulli malũ pro malo reddatur, ſed è contrario bonũ pro malo. quaſi diceret: Non occides hominem, ſed vitã eius ſeruare ſtudebis. ſicut quando dominus mandat famulo: Ne res meas auferas, etiam eas ab illo cuſtodiri vult. Quinimò, hoc præceptum ſic ipſe Chriſtus explicat, vt ei qui in aliquo proximum læſit præcipiatur, omnibus aliis quantumuis bonis operibus omiſſis, adire fratrem læſum, & ei ſatisfacere ac reconciliari. Si ergo, inquit, offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuũ ante altare, & vade priùs reconciliare fratri tuo:

*Mat. 5.*

& tunc veniens offer munus tuum. Similiter quoque hoc præcepto vult Dominus, læsum citò ignoscere ei à quo læsus est, dicens: Esto consentiens (tu scilicet qui iniuriam passus es) aduersario tuo citò dum es in via (huius vitæ, in qua omnes ad iudicium extremum tendimus) cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi: nō exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. *Mat. 5.*

*De iniuriis verborum, in genere.* CAP. XVII.

NVnc tertius gradus, quem Saluator ponit, dicens: Qui dixerit fratri suo, fatue, latius est explicandus. Eo enim facto perspicua erit varietas iræ occultæ, seu absque certa significatione expressæ. Consistit autem hic gradus in peccatis linguæ, quam quoque Iacobus Apostolus, vt dominus, dicit esse plenam veneno mortifero: sicut & Psalmista, gladio acuto, nouaculæ acutę, veneno aspidum, & sagittis pestiferis comparat. *Psa. 52. & 56.*

*De iniuriis verborum particulatim, 1. De contumelia.* CAP. XVIII.

COntumelia siue conuitium est, quòd quis alteri in faciem peccatum vel miseriā eius improperat, atque hac ratione ei honorē aufert. Vt si quis dicat: Tu es fur, impudicus es, mendax, ebriosus, fatuus, ignobilis, vilis, pauper, indoctus, cęcus, &c. Item si quis alteri in faciem cōmemoret bona ei⁹ & quę in eo laude digna sunt, beneficiaque ei à Deo vel hominibus præstita: ita

tamen, vt præteritam maliciam aut miſeriam vel indigentiam, aut id quod in præſentiarum ei adhuc deeſt, ſimul commemoret, improperium eſt: Exigua dabit, & multa improperabit: Eiuſmodi conuitium eſt, ſi quis alteri dicat: Tu valde bonus es & doctus, ſed hoc exiguum adhuc deeſt tibi, &c. item: Magnas debes Deo gratias, quòd ſic exaltauerit te: noui te cùm puer eſſes, &c. Nihil refert ſiue ex ira, ſiue iocoſè quis dicat, modò loquatur ad alterius honorem auferendum, vel per verbum ipſum hoc efficiatur. De hoc peccato Chriſtus ait: Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehēnæ ignis. Et Apoſtolus ad Romanos cap. 1. inter eos qui digni ſunt morte æterna, recenſet contumelioſos. In rebus tamen nullius momenti crimen non eſt, ſi alteri exile improperium ioci cauſa dicatur. Diſciplinæ verò cauſa, ſanctum eſt obiurgare proximum, vel alium ſubditum. Porrò quando irrogatur contumelia, patienter ferenda eſt, dicente domino: Si quis percuſſerit te in dexteram maxillam tuā, præbe illi & alteram: niſi cum improperantis ſaluti expedit vt ei reſpondeatur, quò eius audacia reprimatur, ne poſteà idem attentet. Itē, quando ſalus aliorum hoc poſcit, vt honor noſter conſeruetur, repellenda eſt contumelia. Id vero locum habet pręcipuè in publicis perſonis. Cauendum tamen, ne conuitio repellatur conuitium, ſed ſic honor defendatur, vt dicas verum non eſſe quod dicitur, vel contumelioſum malè agere & iniuriam inferre, vel

*Eccl. 20.*

*Contumelia quam facile dicatur.*

*Mat. 5.*

*Rom. 1.*

*Vide Ambr. li. 1. offic. c. 5.*

*Quando ergo aliquis nobis conuitiatur.*

*Mat. 5.*

dicas, eum ex ira loqui aut inconſiderate, vel aliquo ſimili modo. Contumelioſus autem diminutionem dignitatis, in aliorum opinionibus ex contumelia ortam, reparare debet per exhibitionẽ honoris & reuerentiæ, & læſo ſatisfacere de iniuria, veniamque flagitare: ſicut ſatis patet ex Euangelio, vbi dominus poſtquã dixiſſet, Qui dixerit fratri ſuo, fatue, ſubdit mox: Vade, reconciliare fratri tuo. Sic Auguſtinus in regula: Quicunque conuitio vel maledicto aut etiam criminis obiectu aliquem lęſerit, meminerit ſatisfactione quantocius curare quod fecerit, & ille qui læſus eſt, ſine diſceptatione dimittere. Si autem inuicem ſe læſerint, inuicem ſibi debita relaxare debebunt, propter orationes veſtras, quas vtique quanto crebriores habetis, tanto ſaniores habere debetis. Melior eſt autem qui quanuis ira ſæpe tentatur, tamen impetrare feſtinat vt ſibi dimittat cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam, quàm qui tardiùs iraſcitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut nõ ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiam ſi inde non proiiciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite: quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, vnde facta ſunt vulnera. Hæc Auguſtinus. Quæ etſi religioſis ſcripſerit, omnibus tamen Chriſtianis neceſſaria ſunt: nec in ſola contumelia, ſed & in aliis verborum iniuriis, maximè quas nouit læſus, locum habent.

*Contumelioſus ad quid teneatur.*

*Mat. 5.*

*De detractione.* CAP. XIX.

DEtractor occultè nocet proximo, auferédo ei, vel diminuendo famam bonam,& bonam opinionem, quam de eo alij conceperant. Tollitur auté fama apud audientem, dum is credit narranti alterius peccatum vel miseriam, aut neganti bonum eius. Diminuitur autem, si vacillare incipiat in bona opinione quam de proximo habere solet. Quando autem quis ad hoc tendit, quæritque, vt fama proximi denigretur, non refert an hoc faciat dicendo falsum, an dicendo verum, siue laudando, siue vituperando, siue assertione, siue dubitatione, siue referendo quod dicit, quasi alienum, cui tamen non credat, siue addendo, siue minuendo, siue aliquid de eo interpretādo in malum, siue excusando, siue tacendo, siue quouis alio modo semper quocunque tali modo fiat, vera detractio est. Si verò non sit animi intentio, vt proximi famam minuas, sed ex loquacitate vel alia causa dicas exiguum aliquod malum de illo, hoc non est reputandum crimen detractionis. Si verò tale sit verbum, vt inde notabiliter fama proximi lædatur: quod tunc præsertim contingit, cùm detrahitur proximo in his quæ concernunt honestatem vitæ, mortalis est detractio, etiam si quis ex pia aliqua causa sine intētione tollendi famam malum proximi recitet. De hoc peccato scriptum est: Si mordeat serpens in silētio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit: id est, serpēs & detractor equa-

*Fama quando tollatur.*

*Eccl. 10. Hier. in 10. Ecclesiastæ.*

les ſunt. quomodo enim ille occultè mordens, venenum inſerit, ſic iſte clam detrahens virus pectoris ſui diffundit in fratrem,& nihil habet à ſerpente ampliùs. cùm enim lingua hominis ad benedicendum Deo & ædificationem proximi ſit creata, ille eam ſerpenti ęqualem facit, dum virtutibus eius in peruerſum abutitur. Et Apoſtolus Romanis ſcribẽs, detractores recẽſet inter dignos ęterna morte. Nocet enim detractor in bono nomine, quod inter res externas eſt præſtantiſſimũ: ſicut ait Sapiẽs, Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, ſuper argentum enim & aurum gratia bona. Et iterum: Fama bona impinguat oſſa. Inter detractores autem recenſendi non ſunt, qui per iuſtitiam alteri famam adimũt, ſiue quia alterius crimen ſeruato ordine iuris, zelo iuſtitiæ manifeſtant: ſicuti nec homicidæ ſunt, qui per iuſtitiam hominem occidunt. Similiter nec ille detractor habẽdus eſt, qui videns proximũ nõ poſſe corrigi, niſi coram duobus vel tribus teſtibus, vel coram tota Eccleſia, eius occultum crimen redarguatur, propter ſalutem eius crimen ipſum prodit: ſicut medicus pręſcindens membrũ putre, vnde moreretur totus homo, non eſt dicendus mutilator. Si vero quis prodat crimen occultum, quando ſecreta correptione frater poſſet emendari, vera eſt detractio. imo tunc non licet vel ſuperiori prodere, etiam ſi ſub obedientia vel iuramento mãdet id fieri: eo quòd merè occulta iudicio humano non ſubſint. Rurſum, detractor non eſt,

*Rom.1.* *Detractio peccatũ mortale.* *Detractionis nocumentũ.* *Pro.22.* *Pro.15.* *Mat.18.*

qui vt alios defendat, qui alioqui interirent, occultum alterius crimen prodit: ſicut homicida non eſt, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ inuaſorem occidit. vt fit cùm aperitur ſeditio occulta, quæ ſecreta admonitione non poteſt extingui: cum aperitur diſſeminatio hęreticæ doctrinę: imperitia medici multos occidentis: prauitas illius qui præficiendus eſt, & præfectus multos læſurus vel deprauaturus.
Item nec ille detractor eſt, qui de homine, cui nihil famæ bonæ ſupereſt circa aliquod crimẽ, illud crimen dicat ob aliquam eius vtilitatem. Non autem excuſatur à vitio detractionis, qui occultum alicuius crimen prodit, circa quod ille adhuc bonæ famæ eſt, tantum in quodam alio crimine infamis. Vt ſi quis eius qui cõcubinarius publicus eſt, cùm tamen catholicus reputatur, hæreſim prodat: ille infamat eum.
Si quis verò eouſque perdiderit famam, vt iã ei nil ſuperſit, abſque peccato prodi poteſt. exempli gratia: octauum latrocinium illius, quem palam eſt, ſeptem commiſiſſe. Sicut autẽ non poteſt homo alium infamare, ita nec ſeipſum: ſicut nec vitam aut membra ſibi tollere. Patienter tamen ferre poteſt ſi ab aliis ſibi detrahatur: modò infamia ſua non ſit aliis nocumentum. Curam, inquit Sapiens, habe de bono nomine: Hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi & magni.

*Quàm de ſeruanda fama non negligẽtes eſſe debeamus, vide Aug. c. 22. lib. de bono viduitatis: Nec audiendi ſunt, &c. Eccl. 41.*

---

*De reſtitutione famę.*

CAP. XX.

SI detractori nemo fidem adhibuit, si nemo ob eius detractionẽ, in bona de proximo æstimatione vacillauit, nihil debet restituere detractor, quia etsi conatus sit famam proximi lędere, non tamen læsit. Si autem iniustè ablata est fama vel diminuta, eam redintegrare detractor tenetur, quod faciet inducendo proximos, eosque qui audierunt tum à se, tum deinde ab auditoribus, ad rectius sentiendum de proximo. Etsi quidem falsum dixit, dicere debebit, se falsum dixisse, idque faciet toties, eoq ue modo, vt falsum fuisse persuadeat id quod dixerat. Si verò verum dixit, non licet ei mentiri, sed debet dicere, se malè ac iniquè locutum, nisi fortè auditor talis sit, qui ex eo quod detractor non dicit, se falsum dixisse, sed tantum, iniquè, colligat crimen esse verum. Eo enim casu magis confirmatur infamia, quàm restituitur fama. Proinde, cauendum est tunc, ne quid dicatur, sed proximo recompensandum est in aliis rebus, sicut & cùm nullo modo credere volunt auditores detractori, dicenti se falsum dixisse. In omnibus enim nocumentis, vbi restituere est impossibile, aliunde facienda venit recompensatio.

---

*De audiente detractorem.*

CAP. XXI.

QVi detractorem libenter audit, gaudens alium infamari, vel inducit eum ad diffamandum, aut in detractione fouet, ei cum detrahit præbēdo amicabilem faciem: manifestè sociatur peccato detractoris, & æquè damnationi redditur obnoxius: sicut dicit Salomon, Cum detractoribus non commiſcearis: quoniā repente conſurget perditio eorum: & ruinam vtriuſque qui nouit? tam eius ſcilicet qui detrahentem auſcultat, quàm ipſius detrahentis. hoc eſt, difficile cognitu eſt, in quantam ruinam vterque cadet. Similiter: qui ſuperior eſt, & ex ſuo munere debet detractionem impedire? ſi non impediat, etiam ſi ei in animo diſpliceat detractio ipſe tamen famam auferre dicendus eſt. Hinc Dauid dicebat, tanquam bonus paterfamilias & æquus princeps: Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar. Et in deſcriptione viri habitaturi in tabernaculo cæleſti, Opprobrium, inquit, non accepit aduerſus proximos ſuos. Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus. Hi autē tres: videlicet inducens ad detrahendum, fouens detractorem, & qui ex officio tenetur famam proximi defendere vel detractorem cohibere, nec id facit, ad reſtitutionem famæ ablatæ tenentur. Cui verò ex officio non incumbit proximi diffamationem impedire, ſi poſſet tamē, & metu aliquo negligit, peccat: ſæpè quidē venialiter, quandoque etiā mortaliter: videlicet cum tam magnum damnum ex detractione ſequuturū

*Vide Proſperum ca. 10. lib. 3. de vita contemplat.*

*Pro. 24.*

*Pſ. 100.*

*Pſalm. 14.*

animaduertit, vt charitatẽ proximi nequaquã inueniatur habere, si illud non auertat. Attamen ob hoc non obligatur restituere ablatam famam: sicut nec is qui etsi detractione oblectetur, non tamen detrahit. Timenti Deũ ergo optimum est, ac obseruatu necessarium illud Ecclesiastici: Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Item illud Salomonis: Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. Quæ iam dicta sunt de detractione famæ vnius, vera sunt etiam cũ detrahitur alicui familiæ, domui, ciuitati, patriæ, statui. Imo tanto grauior est ea infamia, quanto fama societatis & multitudinis est præstantior fama vnius. Talis infamia erat, quando gentiles imponebãt Christianis, quòd docerent non esse obediendum Principibus, item cùm hęretici imponebant Catholicis graues errores, vel è contrà, dum imperiti Catholici dicunt hæreticos errare vbi non errant.

*Eccl. 28.* *Prou.*

## *De susurrone.* CAP. XXII.

SVsurro est, qui verbis suis vel factis dissem inat inter fratres vel amicos discordias, sicut ait Ecclesiast. Susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbauit pacẽ habentes. Cũ defecerint ligna, extinguetur ignis, & susurrone subtracto, iurgia cõquiescũt Pro. 26. Nec refert an susurro narret aliqua bona, quæ tamen amicis displiceant, an mala: an verũ dicat, an falsũ. Hic bilinguis dicitur: quia cũ amicitia vt minimũ inter duos cõsistat, is ex

*Eccle. 28.*

vtraque parte eam ſtudet diſſoluere, ob hoc vtens duabus linguis apud diuerſos. Et detractore & contumelioſo ſceleratior eſt, quia maius bonum honore & fama proximo tollit, amicum ſcilicet, de quo Sapiens, Amicus fidelis, protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitę & immortalitatis: & qui metuunt dominum, inuenient illum. Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam ſecundum illum erit amicus illius. Idem. Ne, inquit, appelleris ſuſurro in vita tua, & lingua tua ne capiaris, & confundaris. Super furem enim eſt cõfuſio & pœnitentia, & denotatio peſſima ſuper bilinguem ſuſurratori autem odium & inimicitia & contumelia. Salomon quoque, inter ſeptem ſceleratos pronunciat peſſimum, qui ſeminat inter fratres diſcordias. Dirimere autem amicitiam vel pacem, qua mali in malo ac iniquitate fruuntur, magni eſt meriti, vt ſupra dictum eſt. Tenetur autem ſuſurro, quam diſſoluit, iterum colligare amicitiam. Quòd ſi id non poſſit, recompenſationem vtrique debet in aliis.

*Eccli. 6.* *Ibid. c. 5.* *Prou. 6.*

*De deriſore.* CAP. XXIII.

DErisor vel illusor est, qui aliqua dicit vel facit ad proximi paruipensionem vt ille apud se ac in conscientia sua erubescat. Sicque tollit ei quietem & testimonium conscientiæ bonum, quod de se habet. Quocirca, quum magnum bonum sit conscientiæ securitas, secundum illud Salomonis, Secura mens quasi iuge conuiuium, patet *Pro. 15.* grauiter eum peccare, qui illud proximo tollit. Vnde Apostolus, Ephesiis scribens, scurrilitatem (hoc est, vrbanitatem vel facetiam) sceleri- *Eph. 5.* bus connumerat. Inter stultiloquium & scur- *In eum locũ Apostoli.* rilitaté, inquit Hieronymus, hoc interest, quod stultiloquium nihil in se sapiens & corde hominis dignum habet, scurrilitas verò de prudenti mente descédit, & consultò appetit quædam, vel vrbana verba, vel rustica, vel turpia, vel faceta, quam nos iocularitatem possumus alio verbo appellare, vt risum moueat audientibus. Verum & hæc à sanctis viris penitus propellenda, quibus magis conuenit flere atque lugere, & non tam lætos esse nisi in charitate fraterna. *Vide synod. Carthagi. 3. cap. 3. & Cartha. 4. ca. 60.* Fit autem derisio siue illusio, aliquid mali vel miseriæ proponendo, sicut & contumelia & detractio, non quidem seriò, vt hæc, sed ioco. Iocus verò non est, nisi cum malũ vel paruũ vel nullius momenti ducitur, quæ enim accipiuntur vt magna mala, ea non ioco, sed seriò tractantur. Cum igitur malum exiguum in risum, vel lusum proponitur, quia verè exiguum est: sicut nocumentũ est exiguũ, ita & peccatũ est exiguũ, & leue. Cum auté malum alterius

parui penditur, quia persona vilis reputatur (sicut defectus puerorum & amentium parui facere solemus, quia pueri & stulti parui æstimantur) omnino parui penditur ipse, adeoque vilis æstimatur, vt cura de malo eius habēda non videatur, sed pro ioco & ludo ducendũ, & ideo, derisio talis longè est vituperabilior, & ipsi patienti molestior, quàm contumelia, propterea quòd hinc magis inglorius & abiectus homo habeatur. Tāto autem grauior est derisio, quanto maior personæ irrisæ debetur reuerentia. Quapropter grauissimum scelus est irrisio Dei & sanctorũ, quæ rectius blasphemia dicitur. Vnde dicit dominus Zēnacherib, à quo irrisus fuerat. Cui exprobrasti, & quē blasphemasti? Contra quem exaltasti vocem tuam, & eleuasti in excelsum oculos tuos, contra sanctum Israel? & Nicanor, primus cecidit in prælio cum numeroso exercitu, quia irridēs spreuerat Dei sacerdotes, &c. 1. Mac. 7. Qualis quoque iocus est circa scripturam sacram, doctrinam fidei, sacramenta, sacerdotes atque doctores diuinæ legis, & circa ea omnia, quæ ad Dei cultum spectant. Secundo loco valde grauis est parentum irrisio. De qua Salomon loquens. Oculum, inquit, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, suffodiant eum corui de torrente, & comedant eum filij aquilæ. Deinde bene agentium derisio grande omnino peccatũ est. De quo Iob. Deridetur iusti simplicitas. Augetur quoque peccatũ derisionis ex vilitate personæ deridentis. Maior

*Derisionum species.*

*4. Reg. 19.*

*Pro. 30.*

*Iob. 12.*

eſt enim contemptus hominis, vbi ab inferiore contemnitur, quàm cum à ſuperiore. Comparatione enim excellentioris homo magis ſibi vileſcit, comparatione verò inferioris excellentior eſt magiſque honoratus. Hinc Iob exaggerans ſuam miſeriam. Qui, inquit, me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum, &c. Nunc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei: quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipſa putabantur indigni. Et Saluator noſter, cùm omnes iniurias linguæ pro nobis paſſus ſit, præcipuè tamen recenſetur deriſio eius, quam etiam à viliſſimis ſuſtinuit, nempe à ſeruis Pontificum, & cohorte Pilati, imò à peſſimo & abiectiſſimo latrone, iam animam agente in cruce coram toto mundo. Quando autem aliquis quidpiam magni facit, & alius vertit hoc in riſum & iocum velut rem nullius momenti, tunc eſt contemptus perſonæ, irrideturque perſona tanquam fatua, quæ æſtimat magni ea, quæ nullius pretij ſunt. Hinc videmus eos qui ſerio aliquem corripiunt, longè grauiſſimè iraſci, ſi quod dicunt, tacendo contemnatur, aut in riſum conuertatur. Imo ipſe Saluator noſter, quando diligentiſſimè, tanquam quiddam ad ſalutem neceſſarium, docebat eleemoſynam, & ob id deridebatur ab auaris Phariſæis, duram eis reddidit reſponſionem. Vos, inquiens, eſtis qui iuſtificatis vos coram ho-

*Iob.29.* *Iob.30.* *Sap.2.* *Pſ.21.* *Mat.27.* *Luc.16.*

minibus. Deus autem nouit corda veſtra, quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum. Deinde recenſet hiſtoriam qua nulla inuenitur terribilior in euangelio, de immiſericordi epulone.

## *De maledicis* CAP. XXIIII.

Maledicere eſt malum alicui verbis vel imprecari, vel vt inferatur imperare. Imprecatur qui dicit: Deus te peſte occidat. Imperat, qui ſententiam mortis in aliquem profert. Si igitur maledicat quis proximo, quærens vt illi malè ſit, haud dubie peccatum eſt, ac tantum, vt de eo dicat Apoſtolus: Maledici regnum Dei non poſſidebunt. Tanto autem grauius eſt hoc peccatum, quanto magis diligenda & reuerenda eſt perſona cui maledictio imprecatur. Vnde peſſimũ eſt maledicere parenti: ſicut lex dicit, Si quis maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Et peius eſt maledicere filio quam extraneo. Si quis autem alteri malè eſſe nolens optet ei modicũ malum, vel indeliberatè maledicat ſeu ex ſurreptione, modicum eſt peccatum. Si quis verò non in perniciem proximi, ſed in eius ſalutem ei maledicat: ſicut qui optat alium ægrotare, vt vitam ſceleratam mutet, vel capi, vt nemini moleſtus ſit, quemadmodum iudex ad mortem zelo iuſtitiæ condemnans: non peccat. Ita Prophetæ in ſcripturis mala impiis imprecantur, conformantes ſe diuinæ iuſtitiæ. Creatura autem irrationalis, ſecundum ſe benedici aut maledici nequit, niſi vane & otioſe: eo

*1.Cor.6.* *Exo.20.* *Deut.5.*

quod soli creaturæ rationali cōpetit bene esse vel malè, beatam esse vel miseram, Irrationali creaturæ bonū vel malū dicitur contingere in ordine ad hominem, propter quem est, idque multifariam. vno modo, quia subuenitur hominis necessitati per illam. Hac ratione ager benedictus dicitur, qui multum fructus profert homini maledictus, qui sterilis est. Sic, benedicere cibo, est homini esuro benedicere: maledicere agro, est illi maledicere cuius est ager. Secūdo modo ordinatur irrationalis creatura ad hominem, per modum significationis: ita vt per ea quæ contingunt in creatura irrationali designentur, quæ pertinent ad hominē. Ad hūc sensum maledixit dominus ficui non *Mat.21.* habenti nisi folia, ad designandam maledictionem Indæorum. Tertio modo maledicitur tēpus vel locus: quatenus quis detestatur miseriam vel peccatum quod est in loco vel tempore. Vt cum Dauid maledixit montibus Gel- *2.Re.1.* boe, quia cupiebat puniri cædem populi quæ ibi contigerat. Sic qui dicit: Maledictus dies, quo illum cœpi nosse, maledicit homini, ac si diceret: Vtinam ille nunquam fuisset. Si vero creatura irrationalis maledicatur in quantum est Dei creatura: iam est blasphemia in Deum. vt cum aliquis dicit: Quorsum nunc mittitur pluuia è cælo? quid meruimus nos, vt in nos pestis grassaretur?

---

## *De adulatione.* CAP. XXV.

A

ADulator est, qui nimium studet delectare verbis proximum, etiam vbi ille deberet contristari. Is quoque, qui tam est austerus, vt etiam vbi non oportet, cōtristet proximum, nocet proximo, & peior est adulatore. Sed de his & aliis peccatis linguæ, latius alibi.

*De remedio contra peccata linguę.* CAP. XXVI.

Pro.18. EX iam dictis clarissimum est quod ait Sapiens: Mors & vita in manibus linguæ: & quod alibi scriptum est: Multi

Eccl.28. Mat.12. ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. Imo ipse dominus in Euangelio apertè pronunciat nobis, Quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. At quomodo euademus & vitabimus peccatum linguæ? Primum remedium est purgare cor, & sanctis cogitationibus occupare. quia (vt ait Saluator) ex abundantia cordis os loquitur.

Mat.12. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & mal⁹ homo de malo thesauro profert mala.

Pro.4. Hinc & Salomon inquit: Omni custodia serua cor tuum: quia ex ipso vita procedit. Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te. Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Vbi pręcipit Salomon, vt cor & intellectum occupemus rectis cogitationib⁹, & locuturi pręmeditemur quid dicam⁹, nec simus pręcipites. vt prauo ore ca-

rere possimus. Hinc B. Aug. precatur: Libera *Lib. 15. de*
me Deus à multiloquio, quod patior intus in *Tri. ca. vl.*
anima mea, misera in conspectu tuo, & confugiente ad misericordiam tuam. Non enim cogitationibus taceo, etiam tacens vocibus. Et si quidem nõ cogitarem nisi quod placeret tibi, nõ vtique rogarem vt me ab hoc multiloquio liberares. sed multæ sunt cogitationes meę tales, quales nôsti cogitationes hominũ quoniã vanæ sunt. Dona mihi non eis consentire: & si *Psalm. 93.*
quãdo me delectant, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari: nec in tantum valeant apud me, vt aliquid in opera mea procedat ex illis, sed ab eis mea saltem tuta sit sententia, tuta cõscientia te tuēte.
Secundum remedium est silentiũ, vtque pau- *Pro. 10.*
ca loquaris. Sicut enim dicit Salomon: In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. Argentũ electum lingua iusti. Ideo Sapiens ad hoc ad- *Eccl. 28.*
hortans: Aurum tuum, inquit & argentũ confla, & verbis tuis facito stateram, &c. Hanc ob causam diligẽter à Patribus monasteriorũ pręscriptum est iis in locis silentiũ, vbi fere quotidie conuersantur. nec ab illis tantũ (quod tamen satis esset) sed & ab ipso Pontifice id vniuersis religiosis est præscriptũ. Quam cõstitu- *Ca. Cum ad*
tionẽ cogetur is fateri summè laudabilẽ esse, *monasterium*
qui volet aduertere, quot quãtaq; peccata vi- *li. 3. decr. de*
tentur obseruato silentio: item, quam alienus *statu monacho. & cã. reg.*
homo reddatur per totam vitam à multis linguę peccatis, qui silentiũ seruare consueuerit.

Tertium remedium contra peccata linguæ, eſt euitatio conſortij malè loquentium, amicus enim ſtultorum ſimilis efficitur. Vnde Sapiens inquit. Cùm ſtulto ne multum loquaris, & cum inſenſato ne abieris. Serua te ab illo, vt non moleſtiam habeas, & non coinquinaberis peccato illius. Item conuerſatio cum iis, qui didicerint linguam ſuam moderare. Vnde Sapiens: Ne deſpicias, inquit, narrationē preſbyterorum ſapientum, & in prouerbiis eorum conuerſare, ab ipſis enim diſces ſapientiam, & doctrinam intellectus, & ſeruire magnatibus ſine querela. Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à patribus ſuis: quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum. Denique, ſicut ait Iacobus Apoſtolus: Omnis natura beſtiarum & volucrum, & ſerpentium, & cæterorum domantur, & domita ſunt à natura humana, linguam autem nullus hominum domare poteſt, inquietum malum, plena veneno mortifero. Quod nō ideo dixit Apoſtolus, vt huius in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur, ſed vt ad domandam linguam diuinæ gratiæ poſcamus auxilium. Non enim ait: Linguam nullus domare poteſt, ſed, nullus hominum, vt cùm domatur Dei miſericordia, Dei adiutorio, Dei gratia fieri fateamur. Conetur ergo anima domare linguam, & dum conatur, poſcat auxilium, & oret lingua, vt dometur lingua domante illo qui dixit ad ſuos. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris

*Prou. 13.* *Eccl. 22.* *Iaco. 3.* *Aug. lib. de natu. & gratia. ca. 15.* *Mat. 10.*

vestri qui loquitur in vobis. Itaque præcepto facere commonemur, quod conantes, & nostris viribus non valentes, adiutorium diuinum precentur. Hoc igitur est remedium præcipuũ summeque necessarium ad frenandam linguã, feruentissimis precibus, & misericordię promptis operibus orare Deum vt frenetur lingua à malis, & sermo noster semper in gratia sale sit conditus, vt ædificet, atque det gratiam audientibus. Hoc petebat qui dicebat domino: *Col.4.*
Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque: hoc est, ne auferri patiaris. Et, Pone domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labiis meis. Non declines cor meũ in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem. &, libera me de manu filiorum alienorum: quorum os locutum est vanitatẽ. Salomon quoque: Vanitatem & verba mendacij longè fac à me. Et Ecclesi. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me? Domine pater & dominator vitæ meę ne derelinquas me in cogitatu & consilio eorũ, nec sinas me cadere in illa exprobratione. Imò ipse Apo. cuius cor plenum erat timore Dei, adhuc metuebat sibi à peccato linguæ: & non tantum orabat, vt Deus sibi daret legitimam & rectam euangelij prædicationem, sed & Ephesios & Colossenses rogabat, vt pro eo eam à domino peterent.

*Ps.114. Ps.140. Eccl.22. Ps.143. Pro.30. Eccl.22. Eccl.23.*

## De sexto Præcepto.

Exo.20. *Non mœchaberis.* CAP. I.

POstquam prohibuit nocumentum, quo e medio proximus ipse tollitur, recto ordine prohibet, ne proximo noceatur in ei cōiunctissima perso-na, secundum id quod optimū habet post sui-ipsius seu propriæ suæ personæ consistentiam, nempe secundum generationem: & dicitur, Non mœchaberis. Hoc, Mœchari, græcū ver-bum est, quo iam scriptura vtitur pro latino. Mœchos tamen Græci, non nisi adulteros di-cunt: sed vtique ista lex nō solis viris in popu-lo, verumetiam fœminis data est. Neque enim quia dictum est, Non cōcupisces vxorem pro-ximi tui: nihil sibi hic præceptum debet puta-re fœmina, tanquam licitè posset concupisce-re virū proximæ suæ. Si ergo hoc ex illo quod viro dictum est, intelligitur, quamuis non di-ctum sit, quòd etiam ad fœminam pertineat: quanto magis ex eo quod dictū est: Non mœ-chaberis, vterque sexus constringitur, cum & ipsum præceptum potest referri ad vtrumque, sicut, Non occides, Non furaberis, & alia quæ similiter non expresso vno sexu vtrique viden-tur sonare communiter: tamen, vbi vnus ex-primitur, honoratior vtique exprimitur, id est, masculinus, vt ex hoc intelligat etiam fœmina quid sibi præceptum sit. Ac per hoc si fœmina

*Augu. quæst. 71. quæstionū super Exodū.*

mœchata est habens virum, concumbendo cũ eo qui vir eius non est, etiam si ille non habeat vxorem : ita & vir mœchatus est habens vxorem, concumbendo cum ea quę vxor eius non est, etiam si illa non habeat virum. Triplex igitur est adulterium. primum, cum coniugatus vir commiscetur vxori alterius : quod est grauissimum. Secundum, cùm vir solutus miscetur vxori alterius. Tertium, cùm mulier soluta miscetur marito alterius. Secundũ grauius est quàm tertium : eò quòd longè magis bonum prolis impediatur, & natura violetur, si vna mulier duobus viris, quàm, si vir vnus duabus mulieribus misceatur. Occulta enim lege naturæ amant singularitatem quæ principantur. Plura autem vni rectè subiiciuntur. Nihilominus, ex ea parte grauius peccat vir adulter, quàm mulier adultera, quia fortior est, & ratione magis viget : caput quoque mulieris est: eique proinde castitatis exemplum debet prębere. sed cùm hæc eis viris dicimus, inquit Augustinus, irascuntur veritati, & respondẽt: Sed nos viri sumus. An verò sexus nostri dignitas hanc sustinebit iniuriam, vt cum aliis fœminis præter vxores nostras si quid admittimus, in luendis pœnis mulieribus comparemur? Quasi non propterea magis debeant illicitas concupiscentias viriliter frænare, quia viri sunt: quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad virtutis huius exemplum se præbere, quia viri sunt : quasi non propterea minus debeant libidinę superari, quia

*Adulterium triplex.*

*Aug. c. 17. de bono côiu. & c. 9. li. 1. de nupti. & concup.*

*Eph. 5.*

*Aug. li. 2. de adult. coniu. ad Pollentiũ cap. 8.*

viri sunt: quasi non propterea minus debeant lasciuienti carni seruire, quia viri sunt. Et tamen indignantur si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cum tanto grauius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Christianis equidem loquor, qui fideliter audiunt, Caput mulieris vir: vbi se agnoscunt duces, illas autem comites esse debere. Et ideo cauendum viro illac ire viuendo, qua timet ne vxor sequatur imitando. Imò Gentilis Imperator Antoninus constituit vt maritus vxorem de adulterij crimine accusare non sinatur, cui moribus suis nõ præbuit castitatis exemplum: ita vt ambo damnẽtur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse conuicerit. Nam hæc dicti Imperatoris verba sunt, quæ apud Iurisconsultum illum Gregorianum leguntur: Sanè inquit, meæ literæ, nulla parte causæ præiudicabant. Neque enim si penes te culpa fuit vt matrimonium solueretur: & secundum legem Iuliam Eupasia vxor tua nuberet: propter hoc rescriptum meum adulterij damnata erit, nisi constet esse cõmissum. Habebunt autem ante oculos inquirere, an cùm tu pudicè viueres, illi quoque bonos mores colendi author fuisti. Periniquum enim mihi videtur esse, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibet, quæ res potest & virum damnare, nõ ob compensationem mutui criminis, rem inter vtrumq; cõponere, vel causam facti tollere, Hæc Anto. Si hæc

Ephe. 5.

obſeruanda ſunt propter decus terrenæ ciuitatis, quanto caſtiores quærit cæleſtis patria & ſocietas angelorum?

*Quàm graue peccatum ſit adulterium.*

CAP. II.

SCriptura multis modis deſcribit nobis grauitatem huius ſceleris. Sic, inquit Eccleſiaſticus, dedecus erit omnibus mulier omnis relinquens virum ſuum, & ſtatuens hæreditatẽ ex alieno matrimonio. Primo enim in lege Altiſſimi incredibilis fuit: & ſecundo, in virum ſuum deliquit: tertio in adulterio fornicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi. Primum horum trium, ſcilicet quod legi altiſſimi inobediens ſit adulter commune eſt omnibus ſceleribus: reliqua verò duo propria ſũt adulterio. Peccatur enim per adulterium, ſiue viri ſiue mulieris, in coniugem: & fides ei debita violatur. Cui fidei tãtum iuris tribuit Apo. vt eam poteſtatem appellet, dicens: Mulier non habet poteſtatẽ ſui corporis, ſed vir: Similiter autem & vir nõ habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier. Huius autem fidei violatio dicitur adulterium, cum vel propriæ libidinis inſtinctu, vel alienæ conſenſu cum altero vel altera contra pactum cõiugale concumbitur: atque ita frangitur fides, quæ in rebus etiam corporeis & abiectis magnum animi bonũ eſt, & ideo eam ſaluti quoque corporali, qua etiam vita iſta continetur, certum eſt debere præponi. Coniuncti ſunt coniuges tanquam ſocij vitæ, qui ſibi mutuo

*Eccl. 23.*

*Aug. ca. 4. li. de bono coniugali.*

*1. Co. 7.*

in omnibus necessitatibus summo amore succurrant. Hoc bonum amicæ societatis & pacis totum per adulterium dissoluitur. Vnde Iob de eo dicit: Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina. Et apud Salomoné, exiguum peccatum reputatur furtum præ adulterio: quia videlicet læsus coniunx reconciliari non vult: Non grãdis est culpa, inquit, cũ quis furatus fuerit: furatur enim vt esurientem impleat animam; deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substãtiam domus suæ tradet. Qui autem adulter est propter cordis inopiam perdet animam suam: turpitudinem & ignominiam cõgregat sibi, & opprobrium illis non delebitur: quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima. Non autem tantum valet quod ait Apostolus; Vir sui corporis potestatem nõ habet, sed mulier, vt permittente vxore, quæ maritalis habet corporis potestatem, possit vir cum altera, quæ soluta est concumbere: alioqui, & fœmina permittente viro lenone, hoc facere poterit: quod omniũ sensus excludit. Sicut enim nemo est dominus sui corporis, vt se occidere vel mutilare possit: ita non est dominus corporis coniugis suæ, vt alteri hoc concedere possit. Imò in concilio Arelatensi legitur sic statutum: Si vir sciens vxorem suam deliquisse quę non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione: & vixerit cum illa reus erit, & eius peccati particeps.

*Iob. 31.* *Pro. 6.* *Aug. c. 19. li. 1. de ser. dom. in monte.* *Habetur lib. 5. decret. tit. de adul. & Stupra tor. ca. Si vir, &c.*

Quod si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reuerti, debet, sed non sæpè, recipere peccatricem. Sic & Salomon dicit: Qui tenet adulteram, stultus & insipiẽs est.

Tertium quod ponit Sapiens in adulterio, est, quod adultera ex aliò viro statuit sibi filios, hoc est, quòd adulterium est nocumentum prolis. Cum enim adultera tum marito tum adultero se miscet, aut fit vt non nascatur proles, aut nata, est patris incerti: vel si certo ex adultero nasci sciatur, impedit tamen adultera bonum legitimæ prolis suæ, & cogitur maritus infœlix curruca prolem à petulante coccyge suppositam educare pro sua, & defraudare hæreditate, atque laboribus suis proles suas. Similiter cùm coniugatus vir mulieri solutæ commiscetur, proles nascitur miserrima, vtpote quæ non habeat, sicut natura requirit, patrem & matrem matrimonio coniunctos ad sui educationem, imò patrem habet, cuius cor & cura ab hac prole & eius matre, ad legitimas proles & earum matrem distrahi debet.

*Quid adulterio commisso sit agendum.*

CAP. III.

SI adultera decipiente enutriat maritus adulterinam prolem pro sua, tenetur adulter & adultera recompensare omne damnum marito & eius hæredibus illatum. Quod si non possint, restat vt remissionem damni petant, etiam prodendo adulterium suum. Non tenetur tamen adulter vel

adultera crimen suum prodere, cum verisimile est quod ei non credetur, aut si iniustæ mortis periculum ei vel alicui alteri, hinc immineret. Similiter, illi adulteri siue adulteræ, quorũ filij in hospitalibus sunt expositi, tenentur hospitalibus rependere damnum & grauamen, ex prolium nutritione illatum, distinctimque filios suos nosse & eorum curam, quod ad institutionem, ac similia diligẽter gerere. Imò prolibus cum adoleuerint tenentur sese insinuare, seu dicere se esse eorũ parẽtes. Magna enim est hominis miseria ignorare parentem, & per cõsequens, cõsanguineos, quos colat, & ad quos aliqua pressus necessitate cõfugiat. Itaque, nõ licet parentibus tanto malo efficere proles.

*De pœna adulterij.* CAP. IIII.

Deu. 22. Gen. 20. LEge Moysi adulter, & adultera iubebantur occidi. Imò ante legem. Vnde mortẽ minatus est Deus Abimelech, si vxorem Abrahæ adulterio violasset. & Abimelech omni populo pręcepit: Qui tetigerit hominis huius vxorẽ, morte morietur. Et tãta atrocitas adulterij erat in opinione Gentium, vt leuius crimen ęstimarent prius virum perimere, vt muliere iam per eius cędem facta libera potirentur, quàm, vt alterius vxorem eo viuente pollucrent. Hinc Abraham & Isaac, cum inter gentes exularent, vxores suas sororum nominibus dissimulabãt, ne forte ab iis qui eas ob insignem pulchritudinem expetituri essent occiderentur. Et apud Roman. lex Iulia adulteros capite plectebat:

Gen. 12. Gen. 20. Gen. 26.

quę adhuc tempore diui Hieronymi ſeruabatur. Imò quamquam malè filiis ex adulterio natis alimenta negant (ſed hęc nunc abolita ſunt) in deteſtationem tamen adulterij ab hęreditate repelluntur ex adulterio nati, nec ſequenti matrimonio fiunt legitimi, vti qui ex ſimplici fornicatione naſcuntur: vt patet cap. Tanta in Decretal. tit. Qui filij ſint legitimi. Et à ſacris ordinibus repelluntur ex adulterio nati, per cap. Conſuluit, de ſeruis non ordinandis, ſicut & in Deuteronomio dicitur, Non ingredietur mamzer, hoc eſt, de ſcorto natus, in eccleſiam domini vſque ad decimam generationem. Quó ad pœnas futuri ſeculi, apertè pronunciat Apoſtolus adulteros regnum Dei nō poſſeſſuros, quemadmodum & Malachias dicit, Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit dominus exercituum.

*Vide epiſt. ad Inno. de muliere ſepties percuſſa. & Proſp. ca. 36. li. 1. prædic. & promiſſ.*

*Deu. 23.*

*1. Co. 6.*
*Mala. 3.*

*Cano. 4. con. Aurelianenſis tertij, in monaſterium toto vitæ ſuæ tempore detruditur clericus ob adulterium. Vormatienſe cō. 9. adul. vel adulteram 7. annorum pœnitentiam ſubire cogit.*

## *De fornicatione.* CAP. V.

SIcut *a* furti nomine in ſeptimo pręcepto bene intelligitur omnis illicita vſurpatio rei alienę, neq; enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit, ſed vtique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur, ſic profectò & nomine mœchię omnis illicitus concubitus atque illorum membrorum non legitimus vſus prohibitus debet intelligi.

*a Aug. q. ſuper Exo. queſt. 71. Fornicatio ſimplex.*

Sunt autem variæ libidinis venereæ species, aliæ aliis grauiores. Et prima est fornicatio simplex: quæ est viri soluti cum soluta muliere concubitus extra matrimonium: quæ iuxta
*Tob. 4.* Tobiam, crimen est. Attende, inquit tibi fili mi ab omni fornicatione: & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Vnde &
*1. Cor. 6.* Apostolus Paulus. Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, &c. regnum Dei possidebunt. Item: Fornicatores & adul-
*Heb. 13.* teros iudicabit (hoc est, condemnabit) Deus.
*1. Cor. 6.* Et iterum: Fugite fornicationem. Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam mẽbra vestra, templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate &
*Eph. 5.* portate Deum in corpore vestro. Et rursum: Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus non habet hæreditatem in regno Christi &
*Apo. 28.* Dei. Et Ioan. in Apocalypsi: Fornicatoribus, inquit, pars erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Dicitur autem hæc fornicatio simplex: quia interdum nomẽ fornicationis in scripturis generale est, adulterium quoque complectens: vt Mat. 5. Quicunque dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari. hic fornica-

tionem appellat adulterium. Sed hoc loco loquimur de fornicatione prout Paulus eam ab adulterio distinguit. Et si consideremus fornicationem vergere in notabile nocumentûm prolis, ex concubitu naturaliter oriturę: non erit mirum, recenseri fornicationem inter mortalia peccata. Manifestum enim est, quod ad educationem prolis nõ solum requiritur cura matris à qua nutriatur, sed etiã, idque multo magis, cura patris à quo est instituenda, defendenda, & in omnibus adiuuanda. Hinc naturaliter in humana specie matribus est solicitudo de certitudine patris, quia illis incumbit educatio. Tollitur autem certitudo hæc; nisi vir & mulier sibi mutuo ad commanendum sint obligati: quæ obligatio solum ex matrimonio oritur. Perit quoque vtrique parenti in prolem affectus & amor, ad commode eam educandam necessarius, dum considerat vnius parens alterum parentem prolis suæ sibi non adhærere, se non iuuare, vel posse se derelinquere, cunque placuerit, alteri se tradere. Nocet igitur concubitus extra matrimoniũ naturaliter proli in bono valde notabili nempe educatione.

*Fornicationem peccatũ mortale esse.*

*De meretricibus.* CAP. VI.

ILla autẽ fornicatio grauior est, quã quis ad prostibula accedit: eo quòd regulariter impediatur non tantum bona educatio nascituræ prolis, sed etiã ne nascatur proles. Contra qualẽ fornicationem loquens Lex domini: Non erit, inquit,

*Deu.23.*

Aug. super Deu. quaest. 37. meretrix de filiab⁹ Israel, nec scortator de filiis Israel. prohibens ibi, & meretrices esse, & ad eas accedere quarum publicè venalis est turpitudo. Ac in sceleris detestationem, subiicitur, Non offeres mercedē prostibuli, nec pretium canis in domo domini Dei tui, quicquid illud est quod vouerint, quia abominatio est vtrumque apud dominum Deum tuum. Vbi scortatorem, canem videtur appellare, quia sicut ad vnam caniculam plures canes concurrunt turpissimè, ita & ad vnam meretricē varij

1. Cor. 6. scortatores. Apostolus Paulus quoque grauitatem huius peccati declarans, Nescitis inquit, quoniam corpora vestra, membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam mēbra meretricis? absit. An nescitis, quoniam qui adhęret meretrici, vnum corpus efficitur? Erūt enim (inquit) duo in carne vna. Qui autem adhęret domino, vnus spiritus est. Et hodie, in

Gene. 2. Mat. 19. eiusdem criminis detestationem, videtur dominus nouam illam leprę speciē, quam morbum gallicum vocamus, vnde miserrime homo necatur, misisse in mundum. Nam qui à meretricibus sese continent ab eo malo fere immunes sunt, qui vero illis adhęrent, difficillime euadunt.

## *De concubinatu.* CAP. VII.

Concubina vocatur fornicaria illa, quę quidem publicum prostibulum nō est, sed ad hoc tenetur ab aliquo, vt quoties libuerit, cum ea fornicetur. Ideoque concubinatus non solū significat

crimen

crimen fornicationis,ſed etiam ſtatum & permanentiam in illo, conſuetudinem & familiaritatem cum fornicaria. Et quia naturaliter ſcandalizat virum conſuetudo eius mulieris cum qua fornicatus eſt, ideo agendæ verę pœnitentiæ non ſufficit vt proponat non amplius cum ea fornicari, ſed etiam abiiciēda eſt, eiuſque vitanda familiaritas: ſicut dicit Salomon, Non cōcūpiſcat pulchritudinem mulieris extraneæ cor tuum, ne capiaris nutibus illius. pretiū enim ſcorti vix eſt vnius panis: mulier autem viri pretioſam animam capit. Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, vt non comburātur plantæ eius? Nomen tamen concubinæ in ſacra ſcriptura pro illa vxore ponitur, quæ eſt conditione ſerua. ideoque non eſt ſocia viri in regimine domus. Omnis concubina vxor, inquit Auguſtinus, non autem omnis vxor concubina more loquendi ſcripturarum appellatur: id eſt, Sara & Rebecca, & Lia & Rachel concubinæ dici non poſſunt: Agar verò & Cethura, & Bala & Zelfa & vxores & concubinæ. De tali concubina loquens conſilium Toletanum primum: Si quis, inquit, habens vxorem fidelis concubinam habeat, non communicet.

*Pro. 6.*

*Queſ. 90. in Gene.*

*Cano. 17. Citatur à Gratiano diſtin. 34. Decre. ex li. de diſtin. noui & veteris teſtamen.*

Cæterum is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione nō repellatur: tamen, vt vnius mulieris, aut concubinæ (vt ei placuerit) ſit coniunctione contentus, alias, viuens abiiciatur, donec deſignat

B

& ad pœnitentiam reuertatur. Item Isido. inquit: Christiano non dicam plurimas sed nec duas habere simul licitum est, nisi vnam tantum, aut vxorem, aut certè loco vxoris, si coniunx deest concubinam. Non est autem prȩsumendum, quòd aliquis liber & ingenuus, mulierem cõditione ancillam assumpserit in matrimonium, nisi fortè illa mulier (sicut ait Leo) & ingenua facta, & dotata legitimè, & publicis nuptiis honestata videatur. Etsi enim ancilla assumpta in vxorem non fiat socia viri in domus regimine, verum adhuc ea parte maneat serua: aliquousque tamen fit ingenua: quia seruo non potest in matrimonium tradi, nec vendi iam potest vt anteà potuit. Vxorem enim (vt ait Augustinus) nullis etiam seculi legibus licet vendere: Legibus autem Christi, sola causa fornicationis licet dimittere.

*Ad Rusticũ Narbonẽsem epist. ca.*

*Epist. 89. ad Hilarium.*

Dotatur quoque ancilla assumpta in matrimonium: quia necessaria, victum & amictum debet ei maritus. Et sicut non præsumuntur coniuges duo ingenui, nisi publicetur matrimonium: ita nec ingenuus & ancilla præsumuntur coniuges, nisi hoc ipsum publicetur matrimonium.

## *De stupro.* CAP. VIII.

Grauius fornicatione simplici est stuprum: quod est concubitus, quo mulier virgo extra matrimoniũ defloratur siue corrumpitur. Fœdior enim est libido cum tanta est, vt etiam integritatem virgineam violet, nec compescitur ex

eo, quod muliebre corpus est vulnerandum. In matrimonio quidem habet hoc malum excusationem,quia aliter proles generari nō potest: extra matrimonium vero nihil est quod ipsum excusare possit. Porro ex parte viri virginis primo concumbentis cum muliere corrupta,quia nulla est corporalis læsio, nullū est peculiare peccatum, sed duntaxat fornicatio simplex. Lege Moysi corruptor virginis necdum desponsatæ alteri, iubebatur eam ducere, nec poterat ei dare libellum repudij cunctis diebus vitæ suæ, debebatque patri puellæ dare quinquaginta siclos argenteos, eo quod & ipsi iniuria facta esset, vtpote in cuius tutela & custodia, præcipuè quoad virginale signaculum, erat filia. Quod si pater virginis nolebat tradere filiam suam stupratori, debebat stuprator reddere pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueuerant. Nunc quoque, corruptor debet stupratā ducere vxorem, aut iuxta morem patriæ & arbitrium bonorum, illatam iniuriam compensare; quanquam melius ác tutius sit, & in foro conscientiæ omnino suadendum regulariter, vt stuprata ducatur vxor. Nec quicquam ad rem facit, si ipsa in stuprum consenserit, quia non est domina corporis sui, nisi ad vsus legitimos. Nihilominus, grauius peccatur, si mendaciis & fraudibus stuprum extorqueatur.

*Exo.22. Deu.22. Exo.22.*

---

*De raptu.* CAP. IX.

RAptus eſt, cùm virgo, vel coniugata, vel quæcunque alia mulier, vi ſeu cōtra ſuam voluntatem ad concubitum opprimitur. Ob quod peccatum, Sichem cum patre principe Sichimorum, à fratribus Dinæ, quam raptam vitiauerat, obtruncatus eſt, & eius ciuitas cum toto populo ſubuerſa. Item raptus eſt, ſi vi auferatur mulier, etſi poſteà nō niſi proprio cōſenſu cum raptore rem habeat. Rurſùm ſi inuito marito vel patre abducatur, etiam ſi conſentiat, vxor vel filia. Rapta autem puella legitimè contrahit cum raptore (ſicut ait Innocentius tertius) ſi prior diſſenſio tranſeat poſtmodum in conſenſum, & quod ante diſplicuit, tandem incipiat complacere: dummodo ad contrahendum legitimæ ſint perſonæ. Lege verò ciuili, primi & ſecundi generis raptor capite plectitur, etiam ſi raptam poſt duxerit vxorem.

*Gene. 34.*

*In decre. ca. Accedens, de raptoribus.*

*Adeo graue eſt hoc peccatum præ aliis vt raptorem è ſacro loco educere, & nō alium reum, conſiliū Aurelianen. 1. permittat in ſuo ad regem Clodoueum reſcripto.*

## *De inceſtu.* CAP. X.

ABominabilis eſt coitus, dum quis effreni libidine, cum conſanguinea vel affini, in gradu iure prohibito citra legitimam diſpenſationem & matrimoniū concumbit. Multis autem modis incongrui ſunt conſanguinei & affines commixtioni venereę. Primò, quia naturaliter homo debet parentibus honorificentiam, & per conſequens ſuis vel vxoris conſanguineis, quia ex iiſdem parentibus propinquam originem trahunt. In concubitu autem maximè conſiſtit turpitudo quædam contraria honorificentiæ. Vnde ma-

ximè de concubitu homines verecundantur. Proinde, incongrua est mutua consanguineorum commixtio. Quamobrem dominus ait: Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius. Mater tua est, non reuelabis turpitudinem eius: & sic in cæteris gradibus prohibitis, pro ratione adiicit: Ne reueletur turpitudo. Nescio, inquit Augustinus, quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile: vt cui debet causa propinquitatis verecundũ honorem, ab ea contineat, quamuis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam coniugalem. Secundò, inconueniens est coniunctio cum consanguineis, quia personas sanguine iunctas necesse est simul conuersari. Si igitur homines non coërcerentur à commixtione consanguineorum, nimia oportunitas libidinis daretur illis: & sic animi eorum nimis emollescerent. Vnde in veteri lege illæ personæ peculiariter sunt à concubitu prohibitæ, quas simul oportet habitare. Tertia ratio est: quia per coniugium consanguineorum impeditur multiplicatio amicitiæ: sicut ait Augustinus. Qui, inquit, ex primis duobus parentibus nati sunt viri, sorores suas coniuges acceperunt. quod profectò quanto est antiquius compellente necessitate, tanto posteà factum est damnabilius, religione prohibente. Habita est enim ratio rectissima charitatis, vt homines quibus esset vtilis atque honesta concordia, diuersarũ

*Leu.18.*

*Li.15. de ciu. Dei, c.16. Et li.2. ca.4.*

*Eodem ca.15 de ciui. Dei.*

neceſſitudinum vinculis nectérétur, nec vnus in vna multos haberet, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos, ac ſic ad ſocialem vitam diligentius colligandam, plurimæ plurimos obtinerent. Pater quippe & ſocer duarum ſunt neceſſitudinum nomina. Vt ergo alium quiſque habeat patrem, alium ſocerum, numeroſiùs ſe charitas porrigit. Porro lege naturæ prorſus immutabili, illicita eſt & abominabilis commixtio inter eos qui in recta linea ſecundum aſcenſum & deſcenſum ſanguine ſibi iunguntur, vt, inter matrem & filium, patrem & filiam, auiam & nepotem. Inter reliquas vero perſonas, ſecundum lineam tranſuerſam ſibi attinentes, mutatur decentia, vel indecentia commixtionis ſecundum conſuetudinem, & legem poſitiuam. Vnde & ibi locum habet quandoque diſpenſatio, & quod iam dictum eſt de conſanguinitate & affinitate carnali, idé & de ſpiritali cognatione eſt intelligendum. Sed de his omnibus latiùs tractabitur in materia de matrimonio.

## *De ſacrilegio.* CAP. XI.

SAcrilegium eſt, cùm quis proprium votum caſtitatis opere violat, vel cum ea rem habet, quæ Deo continentiam vouit. Polluitur enim tali coitu perſona Deo ad caſtitatem dicata. De

1. Ti. 5. qualibus Apoſtolus, Adoleſcentiores viduæ cum luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

*De peccato contra naturam.*

CAP. XII.

Omnibus sceleribus prædictis abominabiliora sunt ea, de quibus Apostolus Ephesiis dicit: Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere, eo quod in ipsis relinquatur naturalis ordo vsus fœminæ, vel masculi, sicut ad Romanos primo capite dicit Apostolus, hoc est ille vsus, vnde natura humana potest nascendo subsistere. Primum horum est mollities, quando aliquis solus, siue vir, siue fœmina, polluit seipsum seminis effusione sine omni concubitu. Quali peccato peccabat Onam filius Iudæ, quem idcirco percussit dominus, eo quòd rem detestabilem faceret. Da qualibus Apostolus ait, Molles regnum Dei non possidebunt. Secundum est cócubitus cum muliere extra ordinatum generationis membrum, aliique bestiales coitus cum muliere, qui sunt Apostolo Paulo, turpitudo non nominanda. de quibus loquens, Omnis immundus, inquit nõ habet hereditaté in regno Christi. Tertiũ est peccatum Sodomiticũ, cùm masculus in masculum, vel fœmina in fœminam turpitudinem operatur. Quartum est peccatum omnium grauissimum bestialitatis, quo vir, vel mulier cum bestia coit. Concubitus autem cum dæmone succubo vel incubo, inexplicabile malum est, & ad idololatriam pertinet.

Eph. 5.

Aug. ca. 20. li. 3. contra Iulianum.

Gen. 38.

1. Co. 6.

Eph. 5.

*De pœna omnium dictorum flagitiorum.*

CAP. XIII.

Flagitia quæ ſunt contra naturam, vbique ac ſemper deteſtanda ac puniendа ſunt. qualia Sodomitarum fuerunt. quæ ſi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu diuina lege tenerentur, quæ non ſic fecit homines, vt ſe illo vterentur modo. Violatur quippe ipſa ſocietas, quæ cum Deo nobis eſſe debet, cùm eadem natura, cuius ille auctor eſt, libidinis peruerſitate polluitur. Vnde & Apoſtolus, cum dixiſſet Epheſiis: Hoc ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator aut immundus aut auarus (quod eſt idolorum ſeruitus) non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei: vbi explicat pœnam futuri ſeculi, quæ manet omnem in re venerea immundum: ſic ſubiecit, Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ: reſpiciens vtique ad illam ſupra modum grandem vindictam, qua etiam in hoc ſeculo flagitia carnis puniuit Deus: qua ſanè præſignatur ſummum ſupplicium futuri ſeculi, dicente Iuda Apoſtolo: Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram (hoc eſt, coniugio non contẽtæ) facti ſunt exemplum ignis æterni, pœnam ſuſtinentes. Imprimis igitur ſimplicem fornicationem ita acriter puniuit Deus, vt vno die occiderẽtur viginti quatuor milia hominum. Cuius iræ mentionem faciens Apoſtolus, Neque, inquit, fornicemini, ſicut quidam ex ipſis (Iſraëlitis) fornicati ſunt, & ceciderunt vna die

*Aug. li. 3. Cõfeſſ. ca. 8.*

*Ephe. 5.*

*Gen. 19.*

*Aug. ca. 30. li. 16. de ciu. Dei. Specimẽ futuri iudicij diuini fuit.*

*Iudæ epiſt.*

*Nu. 25.*

*1. Co. 10.*

viginti tria milia. Propter vxorem verò Leuitæ, à multis ſcortatoribus adeò vexatam, vt hinc moreretur, deleta eſt numeroſiſſima tribus Beniamin cum paruulis & mulieribus, vrbibus quoque incendio conſumptis, Deo iubente, exceptis duntaxat ſexcentis viris: interfectique ſunt vno die viginti quinque milia & centum viri, omnes bellatores, præter ſenes, paruulos, & mulieres. Tempore Noë propter exundantem hominum libidinem, terribiliter dixit Deus: Pœnitet me feciſſe homines. deleuitque vniuerſum genus humanum aquis diluuij, iuſto Noë tantùm cum ſeptem hominibus ſuæ familiæ reſeruato ad humani generis reparationem: & in maiorem deteſtationem huius peccati, etiam omne viuens in terra & aëre, conſeruato tantùm vno pari in qualibet ſpecie. De adulterio verò ait Hieremias, Mœchati ſunt, & in domo mulieris luxuriabantur. equi amatores, & emiſſarij facti ſunt: vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat. Nũquid ſuper his non viſitabo, dicit dominus? & in gente tali non vlciſcetur anima mea? Propter incœſtum verò eiectæ ſunt ſeptem gentes Chananæorum de terra optima, penituſque deletæ, ſicut ait dominus: Omnes, inquiẽs, execrationes iſtas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam. Cauete ergo ne & vos ſimiliter euomat cum paria feceritis, ſicut euomuit gentẽ quæ fuit ante vos. Et certè decem tribus ob talia ſcelera eiectæ ſunt e terra promiſſa: ſicut dicit Amos prophe-

*Iud.20.* *Gen.6. & 7.* *Hier.5.* *Leu.19.* *Amos 2.*

ca, Filius ac pater eius ierũt ad puellam, vt violarent nomen sanctum meum. Item duæ tribus ideo in Babylonem adductæ sunt, quemadmodum testatur Ezechiel, Vnusquisque in vxorem proximi sui operatus est abominationem, & socer nurum suam polluit nefarie, frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te. Propter scelera contra naturam, non solum euertit & deleuit Deus Chananæos, sed & ignem, sulphurque pluit super Sodomam & Gomorram, Adamam & Seboim, & omnem circa regionem subuertit, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia, ascenditque fauilla de terra quasi fornacis fumus. Nec tantum temporanea fuit hæc pœna terræ illi, sed & hodie ita sulphure & solis ardore combusta est, vt non seratur, nec virens quippiam germinet, & quæ prius vniuersa irrigabatur sicut paradisus domini, nunc habet mare salsissimum, mortuum idcirco dictum, quod nihil in eo viuat, nec ibi auis in aëre viuere possit. De qua re sic Sapiens loquitur. Descẽdit ignis in pentapolim, quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria stans figmentum salis. Sapientiam enim prætereuntes non tantum in hoc lapsi sunt vt ignorarent bona, sed & insipientiæ suæ relinquerẽt hominibus memoriam, vt in his quæ peccauerunt, nec latere potuissent. Hæc vtique omnia ita disposuit Deus, vt omnibus posteris essent perpetua ad-

Ezec.22. Gen.19. Deu.29. Gen.13. Sap.10.

monitio, explicarentque quàm sit horribilis futuri seculi æterna damnatio.

*De oculo impudico, osculis, tactu, & similibus.*

CAP. XIIII.

SIcut quinto præcepto, Non occides, prohibentur mutilatio, vulneratio, & similia nocumenta, quę natura sua ad mortem disponunt & præparant, ita hoc sexto præcepto, Non mœchaberis, non solum prohibetur illicitus cõcubitus atque pollutio, sed & omnia illa quæ naturaliter illegitimũ vsum illorum membrorum inducunt, inchoant, vel præparant. Vnde dominus in Euangelio, arguens insufficientem Pharisæorum doctrinã, sicut docet prohibitione homicidij prohiberi etiam iram & contumeliam, eo quòd naturaliter ad homicidium præparant, ita docet hoc præcepto, Non mœchaberis, prohiberi etiam internam concupiscentiam (de qua nos dicemus circa nonum præceptum) item oculum impudicum, atque tactum, quibus quasi signis se profert interna impuritas. Audistis, inquit, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. *Mat. 5.* ego autem dico vobis. Quia omnis qui viderit mulierẽ ad concupiscendũ eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Videre autẽ mulierẽ ad concupiscendũ eam, est eã ad hoc intueri vt cõcupiscas eã, hoc est, vt cogitatione concubitus eius quæ matrimonio ad te nõ pertinet, te occupes, vel, vt imagineris pulchritudinẽ eius, quãque delectabilis sit ei⁹ aspectus, quãque sit idonea ad concubitũ, etiã si statuas nunquam

commiſceri cum ea, ſiue qui ad eam non potes pertingere, ſicut iniqui iudices iuſſerunt vt
Dan. 13. diſcooperiretur Suſanna, vt vel ſic ſatiarentur decore eius: ſiue quia aliqua ratione, vel honeſta, vel inhoneſta, opus ipſum abominaris: ſicut ſi ſacerdos, nolens propter votum ſuum cuiquam commiſceri, eo fine inſpiciat mulierem, vt cogitet quàm ſit amábilis ad concubi-
Mat. 5. tum. Iam, apertè pronunciat dominus, omnẽ qui aſpexerit mulierem vt concupiſcat eam in corde ſuo, eſſe mœchum: quia videlicet talis aſpectus ſignum eſt, in corde eſſe voluntatem mœchiæ, vel deſiderium naturaliter ducens ad mœchiã. imò ipſe externus aſpectus eius mali initium eſt. Et Marci ſeptimo ſceleribus connumerat impudentiam: quæ in ſignis libidinis
Eſa. 3. præcipuè conſiſtit. Sic Eſaias. Filiæ Sion, inquit, ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant: ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant.
Eccl. 26. Et Eccleſiaſticus:. Fornicatio mulieris in extollẽtia oculorum, & in palpebris illius agnoſ-
2. Pet. 2. cetur. Ipſe quoque Apoſtolus Petrus: Oculos, ait, plenos habent adulterij & inceſſabilis delicti. Hunc igitur oculum impudicum, ſiue aſpectum impudicum, quia ruere nos facit in
Mat. 5. mortem æternam, Chriſtus iubet erui, etiam ſi dexter ſit, hoc eſt, delectabilis, iocundus, charus, vtilis, & proſperitatem adferat. Poſt ea nãque verba: Omnis qui viderit mulierẽ ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo, ſic dicit, Quod ſi oculus tuus dex-

ter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te. expedit enim tibi vt pereat vnum membrorū tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. Hoc præceptum ſeruabat Propheta Iob, qui veraciter de ſe dicebat: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem omnipotens de excelſis? Dauid vero deflexit ab hoc præcepto, quādo poſt meridiem dormiuit & otioſus deambulauit: & oculus impudicus deduxit eum vſque ad adulterium & latrocinium. Pulchrè de oculo impudico loquitur in hęc verba Auguſtinus: Oculi veſtri etſi iaciantur in aliquam fœminarum, figantur in nulla. Neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini: ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. Nec ſolo tactu & affectu, ſed aſpectu quoque appetitur, & appetit fœmina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus, impudici cordis eſt nuncius. Et cùm ſe inuicem ſibimet, etiam tacente lingua, conſpectu mutuo corda nunciant impudica, & ſecūdum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiā intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet qui in fœminam figit oculum, & illius in ſe diligit fixum, ab aliis ſe non videri cùm hoc fecerit: videtur omnino, & à quibus ſe videri non arbitratur. Sed etſi lateat, & à nemine hominum videatur, quid

*Iob. 31.*

*2. Reg. 11.*

*In regula ſeu epiſt. 109*

faciet de illo superno inspectore quem latere nihil potest? An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius, quanto sapientius? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit fœminę malè placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam malè videre. Illius namque & in causa hac commendatus est timor, vbi scriptum est, Abominatio est domino defigens oculum. Hæc Augustinus. Ex his patet, etiam grande peccatum esse, ornare se, vt ab aliis præterquam à coniuge, vel iam acquisito vel acquirendo, concupiscaris. Quod verò iam diximus de visu impudico, tanto verius est de osculis impudicis (hoc est, causa delectationis tactus exhibitis) & aliis voluptatibus tactus, quanto tactus delectabilis propinquius accedit completioni voluptatis venereę quàm aspectus. Hinc Christus, quod de aspectu impudico dixerat, id quoque de manu
Mat.5. (qua sanè tactus significatur) subiecit; Et si, inquiens, dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam & proiice abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm
Li.1.epist.11. totum corpus tuum eat in gehennam. Hinc diuus Cyprianus de hoc tactu loquens: Ipse, inquit, concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio, & inosculatio, & coniacentiū duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis confitetur? Et si incorrupta inuēta fuerit virgo ex ea parte sui, qua mulier potest esse, potuerit tamē ex alia corporis parte peccasse, quæ corrumpi potest, & tamen in-

ſpici non poteſt. Notanter verò loquimur de oſculo & tactu, qui fit cauſa delectationis prouenientis ex contactu carnis. Hinc enim & in homine & in omnibus animantibus, veneris initium eſt. Oſculum verò & manuú cótactus, qui cauſa amicitiæ fit, vel alicuius operis peragendi, ad materiam libidinis non pertinet, ſicut nec ad nocumentum pertinet illa percuſſio, quæ fit cauſa diſciplinæ. Huc quoque referenda eſt (ſicut ex Cypriani verbis patet) confabulatio cum muliere, etiam quę de rebus ſacris habetur, ſi fiat cauſa delectationis, quæ ex voce mulieris percipitur, vel ex eo quòd confabulatio habetur cum muliere. Tale etiam eſt huiuſmodi delectationis cauſa, audire mulierem cantantem, etiam ſancta carmina. Vnde Sapiens, non tantum ab aſpectu & tactu mulieris nos auocat, ſed etiam, Nec audias, inquit, ſaltatricem, ne fortè pereas in efficacia illius. Colloquium enim mulieris alienæ quaſi ignis exardeſcit. Cum aliena muliere non ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum: & non altercceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditione. Et alibi: Omni homini noli intendere in ſpecie, & in medio mulierum noli commorari, de veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. melior eſt enim iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, & mulier confundens in opprobrium. Hoc verò animaduertendum eſt, ad eam libidinis ſpeciem pertinere hæc

Eccli. 9.

Eccl. 42.

initia visus, tactus, & colloquij libidinosi, ad quam spectat consummatio concubitus. Vnde aspectus vel osculum coniugum, matrimonij honestate excusatur, soluti ad solutam, fornicarium est, inter eos qui aliis sunt coniuges, adulterinum, violenter illatum, ad raptum inter consanguineos, ad incœstum, inter eos qui Deo dicati sunt vt castè viuant, ad sacrilegium pertinet. Fricare vero vel palpare vel inspicere libidinosè seipsum, mollitiei est. Brutorum genitalia turpiter tangere, ad bestialitatem pertinet. Si vero vir virum, vel fœmina fœminam libidinosè palpet vel osculetur, sodomia est.
*Epist.109.* De quo sic Augustinus, Non, inquit, carnalis, sed spiritalis inter vos debet esse dilectio, nam quæ faciunt pudoris immemores, etiam fœminis fœminæ, iocando turpiter & ludendo, non solùm à viduis & intactis ancillis Christi in sancto proposito constitutis, sed omnino nec à mulieribus nuptis, nec à virginibus sunt facienda nupturis.

## *De turpiloquio.* CAP. XV.

*Eph.5.* Fornicatio, inquit Apostolus, & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquiū aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent, sed magis gratiarum actio. Manifestum enim est, verba venerea causa recreationis prolata, significare quod homo turpibus delectetur: & ad hoc proferri, vt alij similiter oblectentur. Vnde luce clarius est, secundum doctrinam Apostoli,

stoli, turpiloquium prohiberi hoc præcepto, Nō mœchaberis. Pertinetque ad eandem speciem libidinis, ad quam res de qua est sermo. Vnde colloquium de concubitu coniugali inter coniuges, ad matrimonium pertinet: colloquium de adulterio, ad adulterium: & ita in cæteris. Huc & lectio turpium historiarum, fabularum, poëtarum, facetiarum, cantatio impurorum carminum: siue fiat voce, siue organo vel alio instrumento musico: pertinent. De quibus omnibus verum est, quod de vno eorum dixit Hieronymus: Dæmonum cibus est carmina poëtarum. sicut contra dicit Christus de seipso: Meus cibus est, vt faciam volūtatem eius qui misit me. Imò adauscultare huiusmodi, scelus est. Vnde ibidem Hieronymus: Dæmonum cibus est ebrietas, luxuria, fornicatio, & vniuersa vitia. Hæc blanda sunt & lasciua, & sensus voluptate demulcent: statimque vt apparuerint, ad vsum sui prouocant. quibus ideo luxuriosus adolescens (de quo Dominus in Euangelio) legitur non potuisse saturari: quia semper voluptas famem sui habet, & transacta non satiat. Et Sathanas cum aliquem sua arte deceperit, & proprium ei imposuerit iugum, vltrà ad abundantiam vitiorum non procurat, sciens esse iam mortuū: sicut multos idololatras videmus miseria & panis egestate confectos. Hi sunt, in quibus Propheticus sermo cōpletur. Omnibus meretricibus dantur mercedes: tū autem dedisti mercedem omnibus amatoribus tuis, & non

*Ioan.4. In epist. ad Damasum, de filio frugi & prodigo. Luc.15. Eze.16.*

accepisti mercedes. Imò, quod amplius est, loqui de pulchritudine & forma mulierum, de oculo impudico, & similibus, ad idem genus pertinet. Vnde quidam iratus in sacerdotes, de procis & sponsarum formis disputantes, sic in eos lusit,

*Turpe sacerdotem sponsasque, procosque notare.*
*Sponte sed hæc aliis dicere, sacrilegum.*
*Ora dicata Deo, rebus reserare prophanis,*
*Mentem designat lege Dei vacuam.*
*Signat inane Deo cor, talibus esse repletum,*
*Signat cor carni esse rebelle parum.*

*Ad Damasum loco iam citato.* De talibus & Hieronymus in eodem loco, Nunc, inquit, etiam sacerdotes Dei, omissis Euangeliis & Prophetis, videmus comœdias legere, amatoria Bucolicorum versuum verba canere, tenere Vergilium.

*De ebrietate & commessationibus.*

CAP. XVI.

QVia ebrietas & commessationes libidinem prouocant, rectè iudicantur hoc sexto pręcepto prohibitæ. Vnde Apostolus in epistola ad Ephes. post multam de libidine venerea tractationem subiecit, Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, manifestè designans, ebrietatem prohibitam quia ad libidinem ducit. Et Hieronymus, Secundum Apostolum, inquit, in vino luxuria est, & vbicunque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominatur. Specta ventrem & genitalia, pro qualitate vitiorum, ordo membrorum. Nunquam ego ebrium castum puta-

*Eph. 5. Hiere. 5. Saturati sunt, & mœchati sunt. Prosp. ca. 22. li. 2. de vi. cōtemp. In. 1. cap. epist. ad Titum.*

bo, qui etsi vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. Item alibi, Esus, inquit, carnium, & potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est. Vnde & Comicus, Sine Cerere & Baccho, inquit, friget Venus. Recenset autem Apostolus ebrietatem & commessationes inter scelera, quæ hominem excludunt à regno Dei, secutus in hoc dominum saluatorem, in euāgelio Lucæ dicentem, Attendite vobis ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa. Vbi hoc notandum, ebrietatē illam quæ defectus est vsus rationis, non esse peccatum, quia miseria tantum est, sed, abundantior potatio, vnde ille defectus consequitur, peccatum est, nisi forte per ignorantiam inebriatiui potus, homini diligenter studenti sobrietati subrepat. Est verò etiam vna ebrietas mortale peccatū, etsi vnus excessus in cibo citra peccatum mortale contingat: sicut ait Augustinus. Ebrietas longè est à me: misereberis ô domine, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquā surrepit seruo tuo; misereberis vt longè fiat à me. Ratio autē huius est, quia vnus excessus in cibo non notabiliter lædit hominem, nec eius totam vitā indisponit, vna autē ebrietas, quantum est ex ipsa, totā vitam hominis perturbat; quia vsum rationis tollit. Vnde inquit Ambrosius, Loth inebriatus vino quid gereret nesciebat, ex quo sanè discimus, vitandam ebrietatē,

*Lib. 2. contra Ioui.*

*Rom. 13.*
*2. Cor. 6.*
*Galat. 5.*

*Luc. 21.*

*Lib. 10. Confes. ca. 31.*

*Li. 1. de Abraham patriar. cap. 6.*

per quam crimina cauere nō possumus. Nam quæ sobrij cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Parum est quod ea inflammat libidinem, accendit cupiditates corporis, ipsam quoque mentem subruit, & animum capit, sensum torquet: nesciunt quid loquantur qui nimio vino indulgent, iacent sepulti: quanta ipsa deformitas, vt soluantur vires, incessus vacillet? Multi se fortes putant: num fortiores quàm Loth? num continentiores quàm Noë? Non vtique vitia patriarcharum scriptura exposuit, quos victos vino legimus: sed vt tu disceres quid caueres, ille nudus iacuit, iste filiarum errori patuit, Et Noë iustus deceptus est, quia vini vis adhuc ignorabatur: sed in illo instructus es, ne tu ignorares. Loth filiabus se credidit, & per senectutem madidam vino solutus est: cōmisit incœstum ignorans: tu sic bibe ne capiaris. Instruant patriarchæ, non solum docentes, sed etiam errantes. Ideo iteratum est exemplum ebrietatis, vt cōfirmetur magisterium cautionis. Hæc Ambrosius. Nec est quod sibi blandiantur, qui consuetudine potandi fortes facti sunt, vt citra ebrietatem multum vini sufferre possint, siue qui pharmaco id sibi procurant: hi enim, non solum per multam & frequentem potationem officia sibi incumbentia negligunt, sed & notabiliter naturam suam grauant, cogentes eam ferre potum immoderatum: vnde & vitam suam abbreuiant. Ideoque scriptura sacra etiā
Esa.5. tales condemnat. Væ, inquiens, qui poten-

tes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.

*De miseria temulentorum.*

CAP. XVII.

VT omittamus, quod ebrietates & cõmessationes sunt spinæ maximè suffocantes verbum Dei (sicut docet dominus in euangelio) adeo vt per eas non vacet considerare opera domini: quẽadmodum ait Esaias, exclamãs aduersum voluptatis sectatores: Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, ad potandum vsque ad vesperam, vt vino æstueris. Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris: & opus domini non respicitis, nec operã manuum eius consideratis: Vt taceamus quoque, ex commessationibus & ebrietatibus innumera oriri peccata, præcipue autem libidinem & inexplebilem auaritiam: vti satis docet Hierony. contra Iouini. omissis, inquam, his spiritalibus malis, corporalis eorum miseria expendenda est. de qua Salomon: Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicunque his delectatur, non erit sapiens. Et iterum: Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? nõne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinũ quando flauescit, cũ splenduerit in vitro color eius. Ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, &, sicut regulus, venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuũm lo-

*Luc. 8.* *Luc. 21.* *Isa. 5.* *Pro. 20.* *Miseria corporalis sequens ebriosos et cõmessationi deditos.* *Pro. 23.*

quetur peruerſa. & eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo, & dices, Verberarunt me, ſed nō dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi, quando euigilabo, & rurſus vina reperiam? Et iterum, Noli, inquit, eſſe in conuiuiis potatorum, nec in cōmeſſationibus eorum qui carnes ad veſcendū conferunt, quia vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pānis dormitatio. Sic & Eccleſiaſticus, Operarius ebrioſus non locupletabitur, & qui ſpernit modica, paulatim decidet. Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos, & qui ſe iungit fornicariis, erit nequam. Putredo, & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius. Item alibi, Vtere quaſi homo frugi his quæ tibi apponūtur, vt non cum māducas multum, odio habearis. Ceſſa prior cauſa diſciplinę, & noli nimius eſſe, ne fortè offendas. Et ſi in medio multorum ſediſti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poſcas bibere. Quàm ſufficiēs eſt homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non ſenties dolorem. Vigilia, & cholera, & tortura viro infrunito, ſomnus ſanitatis, in homine parco. Dormiet vſque in mane, & anima illius cum ipſo delectabitur. Diligentes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum. Ignis probat ferrū durum, ſic vinum corda ſuperborum arguet in ebrietate potatum. Vinum in iucunditatem

*Ibidem.* *Eccl. 19.* *Eccl. 31.* *Ibidē infrà.*

creatum est, & non in ebrietatem, ab initio. Exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum. Sanitas est animæ, & corporis, sobrius potus. Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera. In conuiuio vini non arguas proximum, & non despicias eum in iucunditate illius. Verba improperij non dicas illi, & non premas illum in repetendo. Rursum, Noli auidus esse in omni epulatione, non te offundas super omnem escam. In multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad cholerá. Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinés est, adiiciet vitam. Hæc Ecclesiasticus. Latius vero has miserias commessatorum & ebriosorum persequuntur Hieronymus & Ambrosius, ille lib. 2. contra Iouinianum, hic, libro de Helia & ieiunio. *Eccle. 37.* *Quis id non videat in domicillis.*

*Quomodo sumenda sint alimenta.*

CAP. XVIII.

HOc, inquit Augustinus, me docuisti domine, vt quemadmodú medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia tráseo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est, & nó est alius qua transeatur, quàm quo transire cogit necessitas. *Li. 10. Confe. cap. 31.*

Et cùm salus sit causa edendi & bibendi, adiungit sese tanquam pedissequa periculosa iucunditas,& plerunque præire conatur, vt eius causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico vel volo.nec idem modus vtriusque est.Nã quod saluti satis est,delectationi parum est.Et sæpe incertum fit,vtrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat.Ad hoc incertum hilarescit infœlix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis, vt obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. Hæc Aug. Quia vero voluptatis cupiditas semper ad excessum tendit, ideo seruus Dei, vt voluntatem atque appetitum carnis possit reprimere, semper debet ad minus tẽdere vt ipsorum alimentorum atque vestimentorum minus velit habere,etiã quàm necesse sit.Plus semper appetit voluptas quàm necessitas. Humana natura modico contenta est: sed consuetudo multa addidit. Voluntas atque voluptas plura copulauerunt. Si quis Deum perfectè diligeret, multa resecaret superflua,quę modò tenet quasi necessaria. Hoc in hac materia diligenter notandum est, eam crapulam quæ subrẽpit homini dum studet necessariæ refectioni: vt cum in honesta domo,vbi bona disciplina est, comeditur meridie tantum & vesperi: facilius impetrare apud Deum veniam. Ea autem commessatio & potatio,quæ non in necessaria corporis refocilla

*Vide eundem lib.4. contra Iulia. paulo post medium cap.14.*

*Hugo de S. Victo. in 5.c. explicationis regulæ D. August. Vide Augu. eodem loco cont. Iulianũ*

tione subrépit, sed extra eam necessitatem instituitur ex proposito: vt sunt, quæ homines post prandium & cœnam, idque in tabernis frequentant: quæ vulgo banqueta dicuntur: non inter peccata subitis passionibus homini subrepentia, sed inter ea, quę ex proposito destinato multumque deliberato fiunt, habenda est: ideoque difficile veniam à Deo obtinet. ita vt rectè possimus dicere, minus esse, assiduè modicum excedere in necessariæ refectionis sumptione, quam raro commessari. Tantum enim valet ordinatio creatoris & ordo naturę, vt in rebus ad vtendum concessis, etiam cum modus exceditur longe sit tolerabilius, quam in eis quæ concessa non sunt vel vnus, vel rarus excessus. Et ideo in re concessa, immoderatio, ne in rem non cōcessam libido prorumpat, toleranda est. Hinc est etiam, quod longe minus peccat quamlibet assiduus ad vxorem, quàm vel rarissimus ad fornicationem. *Aug. ca. 11. li. de bono coniu.*

*Quos in primis dedeceat ebrietas & commessatio.*

CAP. XIX.

DVo mala facit ebrietas & commessatio: corpus ad libidinem inflammat, & vsum rationis obfuscat & impedit. Illud malum maxime illos dedecet, qui castitatem vouerunt, aut profitentur se castè velle viuere. Vnde Apostolus ait: Vidua in deliciis viuens, mortua est. Item eos imprimis dedecet qui sua sponte ad libidinem proni sunt: vt iuuenes. Quamobrē ait Apost. Tito: Iuuenes hortare vt sobrij sint. Mulieres *1. Ti. 5.* *Tit. 2.*

quoque, de quibus Apost. Timothæo dicit, sobrias eas esse debere. Et gentilis poëta, Turpe iacens mulier multo madefacta lyëo. Ob secundum verò defectum, maxime dehonestat crapula & ebrietas eos, quorum est alios regere, verbo, vel exemplo docere, quoniam ebrij suum officium exequi nequeunt. Hinc Apostolus Tito mandat, vt senes doceat sobrios esse, anus similiter non multo vino seruientes, bene docentes, vt prudentiam doceant. Hinc & reges, duces, iudices, atque senatores maxime oportet sobrietati studere, sicut ait mater Salomonis erudiens eum, Noli regibus ô Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas. ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis. Et Ecclesiastes, Væ inquit, tibi terra cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Beata terra cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam. Hinc etiam turpissima est ebrietas & cōmessatio in episcopo, pastore, sacerdote, canonico, doctore, prædicatore & similibus. Ideoque Apostolus Paulus omnino reiicit ab episcopatu & diaconatu vinolentos. Imò & in veteri lege terribili exemplo, occisione Nadab & Abiu, filiorum Aaron per ignem egressum à domino, ostensum est quantum displiceat domino Deo sacerdotum ebrietas. dixitque dominus ad Aaron, Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis, tu & filij tui quan-

*1.Ti.3.* *Tit.2.* *Pro.31.* *Eccl.10.* *1.Ti.3.* *Leu.10.*

do intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini, quia præceptum sempiternum est in generationes vestras, & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanũ, inter pollutum & mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea. Hæc quidem dicit lex diuina rectoribus & in sublimitate constitutis, siue ecclesiasticis, siue ciuilibus, sed prô dolor, & in veteri scriptura, & in noua, plùs cæteris leguntur superiores ebrietatibus & cõmessationibus immersi. Apud prophetam, Væ *Amos.6.* vobis, inquit, qui opulenti estis in Sion, & cõfiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis. qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris. qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armẽti. qui canitis ad vocem psalterij. Sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph. Quapropter, nunc migrabunt in capite transmigrantium: & auferetur factio lasciuientium. Item Esaias, Verum, inquit, hi *Esa.28.* quoque (nempe sedentes super iudicium, & reuertẽtes de bello ad portã) prę vino nescierũt, & prę ebrietate errauerũt. sacerdos & propheta nescierũt prę ebrietate. absorpti sunt à vino. errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes enim mensæ

repletæ ſunt vomitu ſordiumque, ita vt non eſſet vltrà locus. Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus. Rurſum: Omnes

Iſa.56. beſtiæ agri, inquit, venite ad deuorandum vniuerſæ beſtiæ ſaltus. Speculatores eius cęci omnes, neſcierunt vniuerſi: canes muti, non valẽtes latrare, videntes vana, dormientes & amãtes ſomnia & canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem: ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuã, à ſummo vſque ad nouiſſimum. Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multo amplius. Sic & propheta Eze-

Eze.34. chiel; Paſcebant, inquit, paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant. Ipſe dominus Saluator in euangelio dum multa prophetice prædiceret, quodammodo deſcribens quales futuri eſſent multi prælati eccleſiaſtici. Si, inquit, dixerit malus ſeruus ille (quem nimirum

Mat.24. dominus conſtituit ſuper familiam ſuam) in corde ſuo, Moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere conſeruos ſuos, manducet autem & bibat cum ebrioſis, veniet dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. illic erit fletus & ſtri-

Cap.15. Hoc conſub. Inno. 3. eſt vniuerſale. dor dentium. Vtinam hodie ſeruentur ab eccleſiaſticis canones concilij Lateranenſis qui ſic habent, A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abſtineant, vnde vinum ſibi tem-

perent, & ſe vino, nec ad bibendum quiſpiam incitetur, cùm ebrietas mentis inducat exiliũ, & libidinis prouocet incentiuum.

Vnde illum abuſum decernimus penitus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales ſuo modo ſe obligant potatores, & ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem ſuper his culpabilem ſe exhibuerit, niſi à ſuperiore commonitus ſatisfecerit competenter, à beneficio vel officio ſuſpédatur. Clerici mimis, ioculatoribus & hiſtrionibus non intendant, & tabernas prorſus euitent, niſi fortè cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas vel taxillos non ludant, nec huiuſmodi ludis interſint. Et infrà, Dolentes, aiunt, referimus, quod non ſolùm minores quidam clerici, verumetiam & aliqui Eccleſiarum prælati, circa commeſſationes ſuperfluas & confabulationes illicitas (vt de aliis taceamus) ferè medietatem noctis expendunt, & ſomno reſiduum relinquentes, vix ad diurnum concentum auium excitantur, tranſcurrendo vndique continuata ſyncopa matutinum, &c.

*Cano. 16.* *Cano. 17.*

*De cauſis cur ebrietas & commeſſatio aut paruum aut nullum reputentur à vulgo peccatum.*

CAP. XX.

vt carnalibus placeatur hominibus, offenditur Deus. Virtutis verò esse putatur, dum luxuriosa ebriosaque conuiuia & commessationes ducuntur pro beneficiis, & velut ad amicitiam spectantia. Imò eousque pertingit hæc cæcitas, vt per ebrietatem reputent Deum sanctosque martyres coli & talibus ineptiis delectari, quod longè pessimum est, vtpote ad superstitionem spectans. Sic solent fraternitates suos (vt aiunt) patronos colere. Contra tales disputat D. Aug. epist. 64. His omnibus accedit alia causa, quòd his vitiis obnoxij sunt homines pietatis speciē in aliquib[us] habētes, quáuis (vt ait Apostolus) virtutem eius abnegent, & voluptatum amatores sint magis quàm Dei.
2.Ti.3.
Hac enim specie pietatis fit, vt & ipsimet sibi persuadeant se non multum peccare, vtpote iustos, & alij idem reputent. Quæ ratio haud parum valet in sacerdotibus, cōcionatoribus, doctoribus, & religiosis. Contra huiusmodi inquit propheta Amos, Sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici. bibentes vinum in phialis, & vnguento optimo delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph, quasi diceret, Quia ore cantabant psalmos Dauidicos, reputauerunt se sanctos sicut Dauid, quū tamen dediti essent vinolentiæ, & non tangeret eos miseria populi, nec lugērent super iniquitatibus eius, sicut solet Dauid tabescere zelo legis Dei. Postremò quia multi laborant grauioribus iniquitatibus, vt fornicationibus, oppressionibus aliorum, fraudulentiis, hinc
Amos 6.
Psal. 118. Sade.
fit

fit per comparationem, vt ebrietas, & commessatio parua aut nulla videantur esse peccata: quia tam magna non sunt, quam alia, quæ etiam in hominibus frequentia sunt.

Contra hoc malum dicit Apostolus Paulus: Opus suum probet vnusquisque: & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero. Vnusquisque enim onus suum portabit. quasi diceret: Examinet quisque opera sua ad normam legis diuinæ, & non putet se ideo sanctum, quia alius peior est, vel apparet. *Gala.9.*

*De remedio contra gulam & ebrietatem.*

## CAP. XXI.

FVga hîc opus est, sicut & in libidine venerea, dicente Apostolo, Fugite fornicationem. Longè enim facilius est, non dico temperatè viuere, sed etiam tenuiter refici, paupereque victu cõtentum esse, dum variæ desunt epulæ: quàm in lauta & splendida mensa nõ excedere, facilius est homini penuriam pati, quam abundare. Prouocãt enim atque illiciunt infirmum animum, vinum & epulæ delicatæ ante ora positæ. Vnde Salomon, Ne, inquit, intuearis vinũ quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius. Deinde societas potorum & intemperantium hominum, pestis est perniciosissima. sicut docet Salomon, Noli, inquiens, esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, amicus enim stultorũ, similis efficietur. Vnde Christus etiam malum seruum (quem *1.Cor.6.* *Pro.23.* *Ibidem.* *Pro.13.*

accepisti mercedes. Imò, quod amplius est, loqui de pulchritudine & forma mulierum, de oculo impudico, & similibus, ad idem genus pertinet. Vnde quidam iratus in sacerdotes, de procis & sponsarum formis disputantes, sic in eos lusit,

*Turpe sacerdotem sponsasque, procosque notare.*
*Sponte sed hæc aliis dicere, sacrilegum.*
*Ora dicata Deo, rebus reserare prophanis,*
*Mentem designat lege Dei vacuam.*
*Signat inane Deo cor, talibus esse repletum,*
*Signat cor carni esse rebelle parum.*

*Ad Damasum loco iam citato.* De talibus & Hieronymus in eodem loco, Nunc, inquit, etiam sacerdotes Dei, omissis Euangeliis & Prophetis, videmus comœdias legere, amatoria Bucolicorum versuum verba canere, tenere Vergilium.

## *De ebrietate & commessationibus.*

## CAP. XVI.

*Eph. 5.*
*Hiere. 5. Saturati sunt, & mœchati sunt.*
*Prosp. ca. 22. li. 2. de vi. cõtemp. In. 1. cap. epist. ad Titum.*

QVia ebrietas & commessationes libidinem prouocant, rectè iudicantur hoc sexto pręcepto prohibitæ. Vnde Apostolus in epistola ad Ephes. post multam de libidine venerea tractationem subiecit, Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, manifestè designans, ebrietatem prohibitam quia ad libidinem ducit. Et Hieronymus, Secundum Apostolum, inquit, in vino luxuria est, & vbicunque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominatur. Specta ventrem & genitalia, pro qualitate vitiorum, ordo membrorum. Nunquam ego ebrium castum puta-

bo, qui etsi vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. Item alibi, Esus, inquit, carnium, & potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est. Vnde & Comicus, Sine Cerere & Baccho, inquit, friget Venus. Recenset autem Apostolus ebrietatem & commessationes inter scelera, quæ hominem excludunt à regno Dei, secutus in hoc dominum saluatorem, in euãgelio Lucæ dicentem, Attendite vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa. Vbi hoc notandum, ebrietatẽ illam quæ defectus est vsus rationis, non esse peccatum, quia miseria tantum est, sed, abundantior potatio, vnde ille defectus consequitur, peccatum est, nisi forte per ignorantiam inebriatiui potus, homini diligenter studenti sobrietati subrépat. Est verò etiam vna ebrietas mortale peccatũ, etsi vnus excessus in cibo citra peccatum mortale contingat: sicut ait Augustinus. Ebrietas longè est à me: misereberis ô domine, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquã surrepit seruo tuo; misereberis vt longè fiat à me. Ratio autẽ huius est, quia vnus excessus in cibo non notabiliter lædit hominem, nec eius totam vitã indisponit, vna autẽ ebrietas, quantum est ex ipsa, totã vitam hominis perturbat, quia vsum rationis tollit. Vnde inquit Ambrosius, Loth inebriatus vino quid gereret nesciebat, ex quo sanè discimus, vitandam ebrietatẽ,

*Lib.2.contra Iouí.*

*Rom.13. 1.Cor.6. Galat.5.*

*Luc.21.*

*Lib.10.Confes.ca.31.*

*Li.1.de Abraham patriar.cap.6.*

per quam crimina cauere nõ poſſumus. Nam quæ ſobrij caucmus, per ebrietatem ignorantes committimus. Parum eſt quod ea inflammat libidinem, accendit cupiditates corporis, ipſam quoque mentem ſubruit, & animum capit, ſenſum torquet: neſciunt quid loquantur qui nimio vino indulgent, iacent ſepulti: quanta ipſa deformitas, vt ſoluantur vires, inceſſus vacillet? Multi ſe fortes putant: num fortiores quàm Loth? num continentiores quàm Noë? Non vtique vitia patriarcharum ſcriptura expoſuit, quos victos vino legimus: ſed vt tu diſceres quid caueres, ille nudus iacuit, iſte filiarum errori patuit, Et Noë iuſtus deceptus eſt, quia vini vis adhuc ignorabatur: ſed in illo inſtructus es, ne tu ignorares. Loth filiabus ſe credidit, & per ſenectutem madidam vino ſolutus eſt: cõmiſit incœſtum ignorans: tu ſic bibe ne capiaris. Inſtruant patriarchæ, non ſolum docentes, ſed etiam errantes. Ideò iteratum eſt exemplum ebrietatis, vt cõfirmetur magiſterium cautionis. Hæc Ambroſius. Nec eſt quod ſibi blandiantur, qui conſuetudine potandi fortes facti ſunt, vt citra ebrietatem multum vini ſufferre poſſint, ſiue qui pharmaco id ſibi procurant: hi enim, non ſolum per multam & frequentem potationem officia ſibi incumbentia negligunt, ſed & notabiliter naturam ſuam grauant, cogentes eam ferre potum immoderatum: vnde & vitam ſuam abbreuiant. Ideoque ſcriptura ſacra etiã
Eſ. 5. tales condemnat. Væ, inquiens, qui poten-

tes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.

*De miseria temulentorum.*

## CAP. XVII.

VT omittamus, quod ebrietates & cõmessationes sunt spinæ maximè suffocantes verbum Dei (sicut docet dominus in euangelio) adeo vt per eas non vacet considerare opera domini: quéadmodum ait Esaias, exclamãs aduersum voluptatis sectatores: Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, ad potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis. Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris: & opus domini non respicitis, nec operã manuum eius consideratis: Vt taceamus quoque, ex commessationibus & ebrietatibus innumera oriri peccata, præcipue autem libidinem & inexplebilem auaritiam: vti satis docet Hierony. contra Iouini. omissis, inquam, his spiritalibus malis, corporalis eorum miseria expendenda est. de qua Salomon: Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicunque his delectatur, non erit sapiens. Et iterum: Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? nõne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinũ quando flauescit, cũ splenduerit in vitro color eius. Ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, &, sicut regulus, venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum lo-

*Luc. 8.* *Luc. 21.* *Isa. 5.* *Pro. 20.* *Miseria corporalis sequens ebriosos et cõmessationi deditos.* *Pro. 23.*

quetur peruersa. & eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo, & dices, Verberarunt me, sed nõ dolui, traxerunt me, & ego non sensi, quando euigilabo, & rursus vina reperiam? Et iterum, Noli,
*Ibidem.* inquit, esse in conuiuiis potatorum, nec in cõmessationibus eorum qui carnes ad vescendũ conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pãnis dor-
*Eccl.19.* mitatio. Sic & Ecclesiasticus, Operarius ebriosus non locupletabitur, & qui spernit modica, paulatim decidet. Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos, & qui se iungit fornicariis, erit nequam. Putredo, & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de nume-
*Eccl.31.* ro anima eius. Item alibi, Vtere quasi homo frugi his quæ tibi apponũtur, vt non cum mãducas multum, odio habearis. Cessà prior causa disciplinę, & noli nimius esse, ne fortè offendas. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere. Quàm sufficiẽs est homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem. Vigilia, & cholera, & tortura viro infrunito, somnus sanitatis, in homine parco. Dormiet vsque in
*Ibidẽ infrà.* mane, & anima illius cum ipso delectabitur. Diligentes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum. Ignis probat ferrũ durum, sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum. Vinum in iucunditatem

creatum est, & non in ebrietatem, ab initio. Exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum. Sanitas est animæ, & corporis, sobrius potus. Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera. In conuiuio vini non arguas proximum, & non despicias eum in iucunditate illius. Verba improperij non dicas illi, & non premas illum in repetendo. Rursum, Noli auidus esse in omni epulatione, non te offundas super omnem escam. In multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad cholerá. Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinés est, adiiciet vitam. Hæc Ecclesiasticus. Latius vero has miserias commassatorum & ebriosorum persequuntur Hieronymus & Ambrosius, ille lib. 2. contra Iouinianum, hic, libro de Helia & ieiunio.

*Eccle. 37.*

*Quis id non videat in domicillis.*

*Quomodo sumenda sint alimenta.*

CAP. XVIII.

Hoc, inquit Augustinus, me docuisti domine, vt quemadmodú medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia tráseo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est, & nó est alius qua transeatur, quàm quo transire cogit necessitas.

*Li. 10. Confe. cap. 31.*

Et cùm ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adiungit ſeſe tanquam pediſſequa periculoſa iucunditas, & plerunque præire conatur, vt eius cauſa fiat, quod ſalutis cauſa me facere vel dico vel volo. nec idem modus vtriuſque eſt. Nã quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt. Et ſæpe incertum fit, vtrum adhuc neceſſaria corporis cura ſubſidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia miniſterium ſuppetat. Ad hoc incertum hilareſcit infœlix anima, & in eo præparat excuſationis patrocinium, gaudens non apparere quid ſatis ſit moderationi valetudinis, vt obtentu ſalutis obumbret negotium voluptatis. Hæc Aug. Quia vero voluptatis cupiditas ſemper ad exceſſum tendit, ideo ſeruus Dei, vt voluntatem atque appetitum carnis poſſit reprimere, ſemper debet ad minus tẽdere vt ipſorum alimentorum atque veſtimentorum minus velit habere, etiã quàm neceſſe ſit. Plus ſemper appetit voluptas quàm neceſſitas. Humana natura modico contenta eſt: ſed conſuetudo multa addidit. Voluntas atque voluptas plura copulauerunt. Si quis Deum perfectè diligeret, multa reſecaret ſuperflua, quę modò tenet quaſi neceſſaria. Hoc in hac materia diligenter notandum eſt, eam crapulam quæ ſubrépit homini dum ſtudet neceſſariæ refectioni: vt cum in honeſta domo, vbi bona diſciplina eſt, comeditur meridie tantum & veſperi: facilius impetrare apud Deum veniam. Ea autem commeſſatio & potatio, quæ non in neceſſaria corporis refocilla

*Vide eundem lib. 4. contra Iulia. paulo poſt medium cap. 14.*

*Hugo de S. Victo. in 5. c. explicationis regulæ D. Auguſt. Vide Augu. eodem loco cont. Iulianũ*

tione ſubrépit, ſed extra eam neceſſitatem inſtituitur ex propoſito: vt ſunt, quæ homines poſt prandium & cœnam, idque in tabernis frequentant: quæ vulgo banqueta dicuntur: non inter peccata ſubitis paſſionibus homini ſubrepentia, ſed inter ea, quę ex propoſito deſtinato multumque deliberato fiunt, habenda eſt: ideoque difficile veniam à Deo obtinet. ita vt rectè poſſimus dicere, minus eſſe, aſſiduè modicum excedere in neceſſariæ refectionis ſumptione, quam raro commeſſari. Tantum enim valet ordinatio creatoris & ordo naturę, vt in rebus ad vtendum conceſſis, etiam cum modus exceditur longe ſit tolerabilius, quam in eis quæ conceſſa non ſunt vel vnus, vel rarus exceſſus. Et ideo in re conceſſa, immoderatio, ne in rem non cōceſſam libido prorumpat, toleranda eſt. Hinc eſt etiam, quod longe minus peccat quamlibet aſſiduus ad vxorem, quàm vel rariſſimus ad fornicationem. *Aug. ca. 11. li. de bono coniu.*

## *Quos in primis dedeceat ebrietas & commeſsatio.* Cap. XIX.

DVo mala facit ebrietas & commeſſatio: corpus ad libidinem inflammat, & vſum rationis obfuſcat & impedit. Illud malum maxime illos dedecet, qui caſtitatem vouerunt, aut profitentur ſe caſtè velle viuere. Vnde Apoſtolus ait: Vidua in deliciis viuens, mortua eſt. Item eos imprimis dedecet qui ſua ſponte ad libidinem proni ſunt: vt iuuenes. Quamobrē ait Apoſt. Tito: Iuuenes hortare vt ſobrij ſint. Mulieres *1. Ti. 5.* *Tit. 2.*

quoque, de quibus Apost. Timothæo dicit, sobrias eas esse debere. Et gentilis poëta, Turpe iacens mulier multo madefacta lyëo. Ob secundum verò defectum, maxime dehonestat crapula & ebrietas eos, quorum est alios regere, verbo, vel exemplo docere, quoniam ebrij suum officium exequi nequeunt. Hinc Apostolus Tito mandat, vt senes doceat sobrios esse, anus similiter non multo vino seruientes, bene docentes, vt prudentiam doceant. Hinc & reges, duces, iudices, atque senatores maxime oportet sobrietati studere, sicut ait mater Salomonis erudiens eum, Noli regibus ô Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas. ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis. Et Ecclesiastes, Væ inquit, tibi terra cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Beata terra cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam. Hinc etiam turpissima est ebrietas & cõmessatio in episcopo, pastore, sacerdote, canonico, doctore, prædicatore & similibus. Ideoque Apostolus Paulus omnino reiicit ab episcopatu & diaconatu vinolentos. Imò & in veteri lege terribili exemplo, occisione Nadab & Abiu, filiorum Aaron per ignem egressum à domino, ostensum est quantum displiceat domino Deo sacerdotum ebrietas. dixitque dominus ad Aaron, Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis, tu & filij tui quan-

1.Ti.3. Tit.2. Pro.31. Eccl.10. 1.Ti.3. Leu.10.

do intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini, quia præceptum sempiternum est in generationes vestras, & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanū, inter pollutum & mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea. Hæc quidem dicit lex diuina rectoribus & in sublimitate constitutis, siue ecclesiasticis, siue ciuilibus, sed prô dolor, & in veteri scriptura, & in noua, plùs cæteris leguntur superiores ebrietatibus & cōmessationibus immersi. Apud prophetam, Vę, *Amos 6.* vobis, inquit, qui opulenti estis in Sion, & cōfiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel. qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis. qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris. qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio arméti. qui canitis ad vocem psalterij. Sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph. Quapropter, nunc migrabunt in capite transmigrantium: & auferetur factio lasciuientium. Item Esaias, Verum, inquit, hi *Esa. 28.* quoque (nempe sedentes super iudicium, & reuertétes de bello ad portā) prę vino nescierūt, & prę ebrietate errauerūt. sacerdos & propheta nescierūt prę ebrietate. absorpti sunt à vino. errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes enim mensæ

repletæ ſunt vomitu ſordiumque, ita vt non eſſet vltrà locus. Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus. Rurſum: Omnes
Eſa.56. beſtiæ agri, inquit, venite ad deuorandum vniuerſæ beſtiæ ſaltus. Speculatores eius cęci omnes, neſcierunt vniuerſi: canes muti, non valẽtes latrare, videntes vana, dormientes & amãtes ſomnia & canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem: ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuã, à ſummo vſque ad nouiſſimum. Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multo amplius. Sic & propheta Eze-
Eze.34. chiel, Paſcebant, inquit, paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant. Ipſe dominus Saluator in euangelio dum multa prophetice prædiceret, quodammodo deſcribens quales futuri eſſent multi prælati eccleſiaſtici. Si, inquit, dixerit malus ſeruus ille (quem nimirum
Mat.24. dominus conſtituit ſuper familiam ſuam) in corde ſuo, Moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere conſeruos ſuos, manducet autem & bibat cum ebrioſis, veniet dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. illic erit fletus & ſtri-
Cap.15. Hoc conſub. Inno. 3. eſt vniuerſale. dor dentium. Vtinam hodie ſeruentur ab eccleſiaſticis canones concilij Lateranenſis qui ſic habent, A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abſtineant, vnde vinum ſibi tem-

petent, & se vino, nec ad bibendum quispiam incitetur, cùm ebrietas mentis inducat exiliũ, & libidinis prouocet incentiuum.

Vnde illum abusum decernimus penitus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores, & ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his culpabilem se exhibuerit, nisi à superiore commonitus satisfecerit competenter, à beneficio vel officio suspẽdatur. Clerici mimis, ioculatoribus & histrionibus non intendant, & tabernas prorsus euitent, nisi fortè causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas vel taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint. Et infrà, Dolentes, aiunt, referimus, quod non solùm minores quidam clerici, verumetiam & aliqui Ecclesiarum prælati, circa commessationes superfluas & confabulationes illicitas (vt de aliis taceamus) ferè medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum auium excitantur, transcurrendo vndique continuata syncopa matutinum, &c.

*Cano. 16.*

*Cano. 17.*

*De causis cur ebrietas & commessatio aut paruum aut nullum reputentur à vulgo peccatum.*

CAP. XX.

Tametsi suprà dixerimus, quòd homo post lapsum sibi derelictus cæcus sit, legesque veræ temperantiæ ignorat; non inutile tamen aut molestum putamus, hoc etiam loco declarare, cur hodie parua mala æstimentur cõmessatio & ebrietas, & quædam ante dicta repetere.

Prima igitur causa videtur esse vehemens inclinatio & amor huius mali. Quisque enim reputat id bonum esse, cui multum afficitur; etiam si ab aliis, eidem rei non ita affectis, clarè malum esse perspiciatur; sicut patet in iis, qui de re quapiam contendũt. Sępe enim manifestum est, alterum iniquam fouere causam, quæ tamẽ ei iusta apparet. Vnde rectè dici cõsueuit, quemlibet in sua causa esse cæcum. Hęc causa prima magnum accipiet incrementum à causa secunda, quæ est consuetudo, de qua eleganter Augustinus scribit, Peccata, inquiens, *Enchiridij cap.* 80. quamuis magna & horrenda, cùm in consuetudinẽ venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur, vsqueadeo vt non solùm non occultanda, verumetiam iam prædicanda ac diffamanda videantur, quando sicut scriptum est, *Psa.* 9. laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur. Talis in diuinis libris iniquitas & clamor vocatur, sicut habes *Esa.* 5. apud Esaiam prophetam de vinea amara. Expectaui, inquit, vt faceret iudicium, fecit autẽ iniquitatem, & non iustitiam, sed clamorem:

*Gen.* 18. Vnde est illud in Genesi, Clamor Sodomo-

rum & Gomorrheorum multiplicatus eſt. quia non ſolum iam apud eos non puniebantur illa flagitia, verumetiam publice velut lege frequentabantur. Sic noſtris temporibus multa mala, etſi non talia, in apertam conſuetudinem iam venerunt, vt pro his non ſolum excommunicare aliquem laicum non audeamus, ſed nec clericum degradare. Et paulò poſt. Væ peccatis hominum, quæ ſola inuſitata exhorreſcimus, vſitata verò, pro quibus abluẽdis filij Dei ſanguis effuſus eſt, quamuis tam magna ſint, vt omnino claudi contra ſeſe faciant regnum Dei, ſæpe videndo omnia tolerare: ſæpe tolerando, nonnulla etiam facere cogimur. Atque vtinam ô domine, non omnia quæ non poterimus prohibere, faciamus Hæc Auguſtinus. Hodie experimur verbum iſtud locum habere in commeſſationibus & ebrietatibus. Vt enim de eccleſiaſticis taceamus, plebei poſtridie quàm ebrij fuerint, gloriantur hinc, ebrioſque ſe pridie fuiſſe, libenter commemorant. Nobiles verò, ineptis & ſumptuoſis commeſſationibus tumeſcunt. *Idem.*

Ex his duabus cauſis ſequitur tertia: quòd videlicet inebriare ſe vel alium, iudicetur eſſe vel neceſſitatis, vel virtutis. neceſſitatis quidem: quia multi, etiam qui perſuaſum habent ebrietates mala eſſe, putant ſe offenſuros alios niſi & ſe, & illos inebrient, vel ineptis cõmeſſationibus tractent. Et dum nimium quæritur

vt carnalibus placeatur hominibus, offenditur Deus. Virtutis verò esse putatur, dum luxuriosa ebriosaque conuiuia & commessationes ducuntur pro beneficiis, & velut ad amicitiam spectantia. Imò eousque pertingit hæc cæcitas, vt per ebrietatem reputent Deum sanctosque martyres coli & talibus ineptiis delectari, quod longè pessimum est, vtpote ad superstitionem spectans. Sic solent fraternitates suos (vt aiunt) patronos colere. Contra tales disputat D. Aug. epis. 64. His omnibus accedit alia causa, quòd his vitiis obnoxij sunt homines pietatis speciē in aliquib⁹ habētes, quāuis (vt ait Apostolus) virtutem eius abnegent, & voluptatum amatores sint magis quàm Dei.

2. Ti. 3.

Hac enim specie pietatis fit, vt & ipsimet sibi persuadeant se non multum peccare, vtpote iustos, & alij idem reputent. Quæ ratio haud parum valet in sacerdotibus, cōcionatoribus, doctoribus, & religiosis. Contra huiusmodi inquit propheta Amos, Sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici. bibentes vinum in phialis, & vnguento optimo delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph, quasi diceret, Quia ore cantabant psalmos Dauidicos, reputauerunt se sanctos sicut Dauid; quū tamen dediti essent vinolentiæ, & non tangeret eos miseria populi, nec lugerent super iniquitatibus eius, sicut solet Dauid tabescere zelo legis Dei. Postremò quia multi laborant grauioribus iniquitatibus, vt fornicationibus, oppressionibus aliorum, fraudulentiis, hinc

Amos 6.

Psal. 118. Sade.

fit

fit per comparationem, vt ebrietas, & commessatio parua aut nulla videantur esse peccata: quia tam magna non sunt, quam alia, quæ etiam in hominibus frequentia sunt.

Contra hoc malum dicit Apostolus Paulus: Opus suum probet vnusquisque: & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero. Vnusquisque enim onus suum portabit. quasi diceret: Examinet quisque opera sua ad normam legis diuinæ, & non putet se ideo sanctum, quia alius peior est, vel apparet. *Gala.9.*

*De remedio contra gulam & ebrietatem.*

CAP. XXI.

FVga hîc opus est, sicut & in libidine venerea, dicente Apostolo, Fugite fornicationem. *1.Cor.6.* Longè enim facilius est, non dico temperatè viuere, sed etiam tenuiter refici, paupereque victu cõtentum esse, dum variæ desunt epulæ: quàm in lauta & splendida mensa nõ excedere, facilius est homini penuriam pati, quam abundare. Prouocãt enim atque illiciunt infirmum animum, vinum & epulæ delicatæ ante ora positæ. *Pro.23.* Vnde Salomon, Ne, inquit, intuearis vinũ quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius. Deinde societas potorum & intemperantium hominum, pestis est perniciosissima. sicut docet Salomon, Noli, inquiens, esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, *Ibidem.* amicus enim stultorũ, similis efficietur. *Pro.13.*

Vnde Christus etiam malum seruum (quem

deſcribit) dicit manducare & bibere cũ ebrioſis. Oratio verò præcipuum eſt contra gulam remedium: quia nemo poteſt ſobrius eſſe, niſi peculiari ſua gratia hoc dominus donauerit: ſicut in libro ſapientiæ legitur de æterna ſapiẽtia: Sobrietatem & ſapientiam docet & iuſtitiam & virtutem: quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. Et vt infrà: Et vt ſciui quoniã aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat ſumma ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum: adij dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis, &c. Apoſtolus quoque, ad Philippenſes ſcribens, poſtquã dixiſſet: Ego enim didici in quibus ſum ſufficiens eſſe. ſcio & humiliari, ſcio & abundare (vbique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari & eſurire & abundare & penuriam pati: oſtendens per quem haberet temperantiam, ſubiecit, Omnia poſſum in eo qui me confortat. Vnde & Aug. ait: Audio vocem iubentis Dei mei: Non grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate. ebrietas longè eſt à me: miſereberis ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam ſubrepit ſeruo tuo: miſereberis vt longè fiat à me. Nemo enim poteſt eſſe continens, niſi tu des. Multa nobis orantibus tribuis, & quidquid boni antequam oremus accipimus, à te accipimus, & vt hoc poſteà cognoſceremus, à te accipimus. Ebrioſus nunquam fui, ſed ebrioſos, à te ſobrios factos ego noui. Ergo à te factum eſt, vt hoc non eſſent qui nunquam fuerunt, à quo factum eſt,

*Ma.24.* *Sap.8.* *eodem c.* *Phili.4.* *Luc.21.*

vt hoc non semper essent qui fuerunt, à quo etiam factum est, vt scirent vtique à quo factũ est. Omnia possum in eo qui me confortat (ait *Phil. 4.*
miles castrorum cælestium) conforta me vt omnia possim. Da quod iubes, & iube quod *Ibid. paulò*
vis. Iste se accepisse confitetur, & quod gloria- *post.*
tur, in domino gloriatur. Non ego immundi- *Ibidẽ infrà.*
tiam obsonij timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Noë omne carnis genus quod cibo *Gen. 9.*
esset vsui manducare permissum, Heliam cibo *3. Re. 17.*
carnis refectum, Ioannem mirabili abstinen- *Mat. 3.* *Mar. 1.*
tia præditum, animalibus, hoc est, locustis in *Gen. 25.*
escam cedentibus non fuisse pollutum. Et scio Esau lenticulæ concupiscentia deceptũ, & Dauid propter aquæ desiderium à seipso repræ- *2. Re. 23.*
hensum, & regem nostrum non de carne, sed *Mat. 4.*
de pane esse tentatum. ideoque & populus in eremo, non quia carnes desiderauit, sed quia *Exo. 16.*
escæ desiderio aduersus dominum murmurauit, meruit improbari. In his ergo tentationibus positus, certo quotidie aduersus concupiscentiam manducandi & bibendi. Nõ enim est quod semel præcidere, & vlteriùs nõ attingere decernam, sicut de concubitu potui. Itaque freni gutturis tẽperata relaxatione & constrictione tenendi sunt. Et quis est, domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum. ego autem non sum, quia peccator homo sum. Hæc August. Similiter *Oratio ecclesiæ pro impetranda temperantia.*
Ecclesia publice orat pro dono temperantiæ, Presta omnipotẽs Deus, vt dignitas cõditionis

humanæ, per immoderantiam ſauciata, medicinalis parcimonię ſtudio reformetur, per dominum noſtrum, &c. Et ipſe dominus Saluator, in prandiis ad quæ vocatus erat, ſummam ſeruauit temperantiam, adeò vt ſummo mane
Mat. 21. poſt cœnam à Martha exhibitam eſuriret. Ie-
Mat. 4. iunauit ſæpiùs. Sitim & famem nō ſemel per-
Mat. 27. Ioan. 19. peſſus eſt, & tandem felle atque aceto potatus, vt nobis cibi & potus temperantiam largiretur, ſciens eam niſi gratia ſua obtineri nō poſſe. Quomodo verò debeant comeſſationes & ebrietates luxurioſaque conuiuia è commu-
Epiſt. 64. nitate tolli, pulcherrimè docet Auguſtinus citata ſuperius epiſtola ad Aurelium. Non, inquit, aſperè, quantum exiſtimo, non duriter, non modo imperioſo iſta tollūtur: magis docendo quam iubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum eſt cum multitudine peccantium. Seueritas autem exercenda eſt in peccata paucorum. Et ſi quid minamur, cum dolore fiat, de ſcripturis comminando vindictam futuram, ne noſipſi in noſtra poteſtate, ſed Deus in noſtro ſermone timeatur. Itaque prius mouebuntur ſpiritales, vel ſpiritalibus proximi, quorum autoritate, & leniſſimis quidem, ſed inſtantiſſimis admonitionibus cætera multitudo frangatur.

## De ſeptimo Præcepto.

*Non furtum facies.*

CAP. I.

Recto ordine hoc septimo pręcepto prohibetur nocumentū, quod homini infertur in rebus exterioribus quas possidet: & dicitur, Ne facias furtum. Est autem furtum ablatio vel contrectatio occulta rei alienæ. Occultè autem ideo hoc facit fur, quia reputat dominum non cōsentire in ablationem vel contrectationem rei suæ. Quamobrem, si quis rem alterius auferat vt à furibus defendat, vel ea vtatur bona fide, reputans dominum ex amicitia hoc sibi concedere, nec quærit occultare, sed ea etiam coram domino vteretur, ipso consentiente, hic non est fur censendus: sicut contrà, ille qui occultè alienam rem aufert, putans domino displicere, fur est, etiam si fortè domino non displiceat: Sicut ille mendax est, qui putās se falsa dicere, vera loquitur. Furtum igitur duplici ratione culpabile est: quia & iniuriam infert proximo circa res possessas, & id quidē fraude atque insidiis. *Exo. 20.* *Aug. ad Cōsentium cap. 13. de mendacio.*

Est autem furtum mortale peccatum: sicut Oseas illud reliquis connumerat sceleribus. Audite, inquit, verbum Domini filij Israël: quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, &c. Et Zacharias: Hæc est, inquit, maledictio quę egredietur super faciem omnis terrę: quia *Osee 4.* *Zach. 5.*

omnis fur iudicabitur, & omnis iurans (scilicet mendaciter) similiter iudicabitur. Quibus cõcors Apostolus, apertè pronunciat fures regnũ Dei non possessuros. Si quis tamen modicum quid auferat, quia nocumentum non reputatur esse, saltem notabile, non erit mortale peccatum, nisi qui rem aufert, velit hac ratione alteri notabiliter nocere, sicut etiam sola voluntate incurritur reatus furti. Porro, in extrema necessitate, clã domino auferre quod sibi necessarium est, nõ ablatio est rei alienæ, sed vsus propriæ. Lex enim positiua, quæ distinctionẽ & proprietatem possessionũ induxit (vt videlicet hæc res sit illius, illa alterius) quando iniquitatem inducit, & superiori legi aduersatur, vigorem non habet. Superior autem lex est, qua ordinantur terrena ad hominis sustentationem. Quãdo igitur lex de distinctione bonorum obseruata, hominem occidere vel mori permitteret, ad malum declinat, sicut lex de reddendo deposito iniquitatem inducit, si obseruetur, dum repetens gladium depositum, est eo seipsum occisurus. Ablata autem lege positiua de distinctione bonorum, res fit occupantis. Ob hoc tamen à furto non excusantur pauperes, si extra necessitatem extremam constituti, ditissimis sua surripiant, eo quod hi liberi sint, vt dent cui voluerint, satisfacturi legi naturæ, si cuilibet dederint, ideoque nullus pauperum determinatè ius habet in eorũ bona. Ipsi tamẽ diuites, si nulli elargiantur superflua sua, grauiter peccant (vt suprà diximus) &

*1.Cor.6.*

videtur magistratus vel princeps posse tales ad *Ca. 8 fol. 115.*
id cogere. Furtum quoque non est, cùm iusta
iudicis sententia alicui suæ auferuntur diuitię,
sicut nec iudex malefactorem occidens, homicida
est. Vnde multo minùs furtum reputandum
est, quod filij Israël iubente Deo, in pœnam
peccati Ægyptiorum, & in mercedem laborum, *Exo. 11.*
quos ab Ægyptiis coacti subierant,
Ægyptios suis thesauris opibusque spoliarint.
Furtum etiam propriè non est, cum quis vxorem
aut filiam alterius occultè violat, vel aufert
ad violandum, sed longè maius peccatum,
vt antè diximus. Item Plagiarij, qui homines *Fol. 196. c. 2.*
furantur, aut liberos emunt, vel vendunt, furibus
longè peiores sunt. Quamobrẽ lege Moy- *Exo. 21.*
si occidendi erant, quum fures ea lege non occiderentur.
Fur vero est, qui seruum alterius
aufert, vel seruus fugitiuus, qui seipsum domino
tollit, eo quod seruus sit res possessa à
domino, in qualibus rebus furtum inuenitur.

## *De rebus inuentis.* CAP. II.

QVædam res sunt, quæ nunquam alicuius
fuerunt, vt lapilli & gemmæ,
cæteraque quæ in littore maris inueniũtur,
feræ, volucres, & pisces, præsertim,
quæ extra certam custodiã alicuius inueniuntur,
eaque, quæ non habent consuetudinem
redeundi, nec animum ad custodiam
reuertendi. Hæ res fiunt inuenientis siue occupantis,
vel capientis. Et eadem ratio est de

thesauris ab antiquo tempore in terra reconditis, quorum nullus iam inuenitur possessor: excepto quòd leges ciuiles rationabiliter iubent inuētori, vt medietatem thesauri det domino agri vel fundi. Propter quod, in Euangelica parabola dicitur inuentor thesauri emisse agrum: vt videlicet totum thesaurum haberet. De his omnibus vide Iustinianum libro 2. Instit. tit. de rerum diuisione. In his autē omnibus, etiam particularium iurium & consuetudinum ratio habenda est. Nam si quis dominus populo seruo libertatem dederit, hoc excepto, quòd feras omnes sibi reseruarit ex seruitute: debebit populus principi feras relinquere.

*Mat. 13.*

Quædam verò res sunt, quæ propinquo tempore fuerunt ab aliquo possessæ, & vere ad eum pertinentes contingit haberi omnino pro derelictis: & tunc fiunt inuentoris. Pro derelicto autem (inquit Iustinianus) habetur, quod dominus ea mente abiecit, vt id in numero rerum suarum esse nolit: ideoque statim dominus eius esse desinit. Quandocunque verò non habentur pro derelictis res alicuius, mandat nobis lex domini, vt eas inuētas custodiamus, & domino reddamus. Non, inquit, videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo, etiam si non est propinquus frater tuus, nec nosti eum: duces in domum tuam, & erunt apud te quādiu quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re

*Deu. 22.*

fratris tui quę perierit: si inueneris eam, ne negligas eam quasi alienam. Quòd si Dominus non requirat rem suam apud eum qui inuénit eam, quia nescit à quo inuenta sit, quærendus est dominus: qui si diligenti inquisitione præmissa non inueniatur, nec quidem generaliter; vt videlicet sciatur habitare in illo pago, vel esse vnus illorum quatuor aut quinque tunc erogare debet pauperibus rem inuentam, in adiutorium ac emolumentum eius qui eam perdidit. Qui inuentor, si vere pauper est, non debet se è pauperum numero segregare: sed sicut alteri, ita & sibi potest rem inuentam erogare. Quisquis autem rem alterius inuentam sibi eo casu non currente retinet; furatur: vt dicit Augustinus: Si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti. Quantum potuisti fecisti, quia plus non inuenisti, ideo plus non rapuisti. Qui alienum negat, si posset, & tolleret. Quod non tollis, timor te cohibet. non bonum facis, sed malum metuis. Et latro timet malum, & vbi non potest, non facit, & tamen latro est. Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ouile ouium, quærit inuadere, quærit lacerare, quærit deuorare. Vigilant pastores, latrant canes, nihil potest, nihil aufert, nō occidit, sed tamen lupus venit, & lupus redit. Nunquid quia ouem non tulit, ideo lupus nō venit & ouis redit? Lupus venit fremens, & lupus abit timens. Interroga ergo teipsum, si tūc non facis malè quando potes facere, & ab homine non puniris, tunc times Deum. Hęc Au-

*In li. 50. hō. homilia 9. Et ser. 19. de verb. Apost. vix diuersa habet.*

gustinus. Hinc patet, planè iniquos esse, qui bona aliena apud furem inuenta, sibi vendicant, aut qui naufragorum bona retinēt, quocunque iustitiæ prætextu id faciant. Quamobrem dicitur in concilio Lateranensi, Illi qui Christianos naufragium patientes (quibus secundum regulam fidei auxilio esse tenentur) damnanda cupiditate rebus suis spoliare præsumunt, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se nouerint subiacere. Quod etiam de illis rebus intelligitur, quas ipsi naufragi ad alleuiandam nauim manibus propriis in mare proiecerunt, eas enim pro derelictis non habent. Hoc autem animaduertendum est, nihil omnino debitum esse inuētori pro restitutione rei inuentæ, sicut nemo debet quicquam dare, quia soluitur ei debitum. Quod satis suo facto docebat paupertimus ille, de quo ad hūc modum Augustinus, Inuenit, inquit, sacculū, nisi forte me numerus fallit, cum solidis fermè ducētis, memor legis proposuit pitacium publicè. Reddendum enim sciebat, sed cui redderet ignorabat, proposuit pitacium publicè, Qui solidos perdidit, veniat ad locum illum, & quærat hominem illum. Ille qui plangens circumquaque vagabatur, inuento & lecto pitacio, venit ad hominem. & ne forte quæreret alienum, quæsiuit signa, interrogauit sacculi qualitatē, sigillum solidorum etiam & numerum. Et cum omnia illi fideliter respondisset, reddidit quod inuenerat. Ille autem repletus gaudio & quærens vicem rependere, tanquam

*Parte 1. sub Alexandro 3. ca. 24. Citatur hoc cap. lib. 5. decret. tit. tit. de. rapto. ca. Excōmunicationi.*

*Serm. 19. de ver. Aposto.*

decimas obtulit solidos viginti, qui noluit accipere. Obtulit vel decem, noluit accipere. Saltem rogauit vel quinque accipere, noluit ille. Stomachabundus homo proiecit sacculum, Nihil perdidi ait. Si non vis aliquid à me accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus, theatrum mundus, spectator Deus. Hæc Augustinus. Vnde illi inuētores vel receptores, qui nolunt reddere inuēta, vel soluere debita, nisi aliquid inde recipiāt, planè iniqui sunt.

## *De sacrilegio.* CAP. LII.

QVi rem sacram, aut aliquid è loco sacro furatur, sacrilegus dicitur. Qualis fuit Iudas proditor, fur enim erat sacrorum, nempe dominicorum loculorum. *Ioan.12.* Tales sunt, qui sacris manus prophanas iniiciunt, ecclesias demoliuntur, & earum ministros bonis exuunt, domiciliis exturbant, res diuinis vsibus dedicatas, ad vsus prophanos conuertunt, bona Ecclesiarum sui iuris faciunt, patrimonia martyrum, & donaria deuotæ plebis, quibus ministerium ecclesiarum, & diuinus cultus sustinebatur, in aulis suis, in venationibus & choreis aliisque vanitatibus abligurriunt, monachorum prædia aulicis ministeriis donant, decimas debitas clericis subtrahunt, de campanis bellica tormenta conflant, de calicibus potant ebrii, de sacris vestibus vxores & filiæ ornantur. *Dan.5.* Tantorum sacrilegiorum autores vereantur, ne similes exitus cum

*Videatur Prosp. c. 24. li. 2. promiss. & predic.* Balthasare, Heliodoro, & Antiocho sortiantur. Balthasar enim, quia vinum bibit cum cõuiuis suis ex vasis domus Dei, quæ fuerant ex templo Hierusalem ablata, eadem nocte post cœnam ab hostibus suis interfectus est, regnúque ei ablatum.
*2. Ma. 3.* Heliodorus autem, tentauit quidem auferre ex templo pecunias in illud depositas, quarum quædam erant victuaria viduarum & pupillorum, sed flagellis sanctorum angelorum prohibitus est, factusque mutus, omnique spe & salute priuatus, qui vitam recepturus non fuisset, nisi Onias sacerdos pro eo orasset. Huic adiungendi sunt, qui bona mensæ sancti Spiritus deputata, defraudatis pauperibus sibi vendicant, etiam si consuetudinis iustitiæve prætextu hoc agant. Antio-
*1. Ma. 6.* chus autem, multa sacra abstulit ex templo
*2. Ma. 5. & 9.* Salomonis, sed cælesti iudicio apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta, ita vt è corpore impij scaturirent vermes, ac viuentes in doloribus carnes eius auellerent, odorem eius atque fœtorem nemo ferre posset: Et quanquam promisisset se vasa sancta in tẽplo multiplicaturum, Deum tamen non placauit, sed tristitia dira repletus, peregrè in montibus desperans mortuus est. Alcimi quoque dura fuit correptio, & admodum subitanea, dum præcepisset destrui muros templi & structuras prophetarum. 1. Machab. 9. f. Si talem vindictam exercuit Deus aduersus violatores sacrorum veteris testamẽti: quid putamus manere supplicij illos qui

facrilegi funt circa euchariftiam, & reliqua facramenta nouæ legis, & ea quæ eò pertinent. Sacrilegium quoque eft, cùm quis contra fanctitatem voti fui, quo paupertatem vouit, aliquid furatur, fiue aliquid clam difpenfatorē communium bonorum detinet, ficut ait Auguft. de religiofo loquens: Si aliquis rem fibi collatam celauerit, furti iudicio cõdemnetur. *In regula poft medium.* Et vt intelligas, hoc furtum effe facrilegium, ait in ea verba Hugo: Frater qui rem fibi collatam celauerit, Iudæ traditoris locum tenet in Ecclefia fancta. *Hugo de S. Victore in c. 8. expofitionis regulæ.*

*De peculatu.* CAP. IIII.

IN foro ciuili difcernũtur crimina, qualifcunque furti & peculatus. *Aug. ho. 50 in Ioannem.* Peculatus enim dicitur furtum de repub. Et hoc pacto peccant illi, qui bona communia in fuos vfus conuertunt. item, qui iniquas exactiones imponunt: hoc eft, qui pro priuato Principum cõmodo imponunt, & qui inæqualiter fubditos grauant: modò æquale grauamen pro neceffariis reipub. imponi poffit, & id impedientes compefci. Similiter peccant iniquarum exactionũ confultores & inuentores. illique, qui vt fe à grauamine liberent, grauamen in alios deriuant. Contra quos omnes dicitur à Propheta: *Ifa. 10.* Væ qui condunt leges iniquas, & fcribentes, iniuftitiam fcripferunt: vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent caufæ humilium populi mei: vt effent viduæ præda eorũ, & pupillos diriperent. Quid facietis in die vi-

ſitationis & calamitatis de longè venientis? ad cuius confugietis auxilium?& vbi derelinquetis gloriam veſtram? Peculatu etiam peccant, publica vectigalia & tributa defraudantes, niſi clarè conſtet, iniquè illa exigi, ſicut publicani apertè peculatores ſunt, qui plus exigunt, quã à Principe ſit ſtatutum. Et quia hoc valde frequens eſt eis, ideo apud veteres, omnes publicani infames erant, & euangelium tanquam ſceleratos homines communiter eos habet.

*Mat.18.* Vnde Ioannes Baptiſta, interrogatus à Publicanis, Magiſter, quid faciemus? dixit eis, Nihil *Luc.3.* amplius quam quod cõſtitutum eſt vobis exigatis. Furtum quoque in parẽtes commiſſum, grauius eſt eo, quod in perſonam extraneam committitur.

*De rapina.* CAP. V.

*Aug.q.71.in Exodum.* IN ſeptimo præcepto furti nomine bene intelligitur omnis illicita vſurpatio rei alienæ. Non enim rapinã permiſit, qui furtum prohibuit, ſed vtique à parte tõtũ intelligi voluit, quicquid illicitè rerum proximi aufertur. Eſt autem rapina, dum cuipiam ſua res iniuſtè vi aufertur, hoc eſt, vel à priuata perſona, vel à publica, prętermiſſo ordine iuris. Cùm enim iudex per iuſtitiam vi eripit alicui ſua, non eſt rapina. Rapina autem peccatum eſt grauius furto, quia fur infert iniuriam inuito per ignorantiam tãtùm, raptor autem, per violentiam iniurius eſt inuito. Vis autem plus quàm ignorantia, hominis volũtati opponitur. Adhęc, magna igno

minia irrogatur illi, cui ſua rapiuntur, vt infirmo & puſillanimi, quæ peior eſt fraude, quę exercetur à fure. Carnales tamen homines, qui externa & ſenſibilia ſola ſpectant, de rapina gloriari ſolent, & de furto verecundari, quia in rapina apparet audacia maiorque virtus exterior, in furto autē timor quidam ſine externo robore.

*De fraudulentia in emptionibus & venditionibus.*

## Cap. VI.

PRohibetur hoc præcepto iniqua emptio, qua quis rem emit minoris, quam valet. Similiter & iniqua venditio, qua quis rem pluris vendit, quam valet. Poteſt tamen homo ſe indemnem ſeruare, ſi res ex cuius venditione damnum patitur, in gratiā alterius vendat, alioqui nō venditurus. Attamen non poteſt vendens, vltra iuſtum rei pretium aliquid accipere, propterea quòd res quā vendit, alteri eſt valde cōmoda. Iuſtum porrò pretium rei, non ex rei dignitate ſed ex indigentia vſus humani pendet. Eſt, inquit Auguſtinus, alius atque alius pro ſuo cuiuſque vſu ęſtimationis modus, quo fit, vt quędam ſenſu carentia, quibuſdam ſentientibus præponamus, intantum, vt ſi poteſtas eſſet, ea prorſus de natura rerum auferre vellemus, ſiue quem in ea locum habeant ignorantes, ſiue etiam ſi ſciamus, noſtris ea cōmodis poſtponentes. Quis enim non domi ſuæ panem habere quam mures, nummos quam pulices malit? Sed quid mirum, cùm in ipſorum etiam

*Lib. 11. de ciui. Dei c. 16.*

hominum æſtimatione, quorum certe natura tantæ eſt dignitatis, plerunque cariùs compararetur equus quàm ſeruus, gemmaq; quàm famula? Porrò indigentia, ſiue vera, ſiue apparens, qua homines hac vel illa re indigent, variatur pro loco, pro tempore vario, pro raritate cupientium rem, pro copia vel raritate rei, aliiſque ſimilibus. Ideoque, indigentia non ſemper exactè eſt nota. Ex quo etiam fit, vt iuſtum pretium, quod ex communi æſtimatione humanæ indigentiæ pendet, non ſemper ſit certum, vel punctaliter determinatum. Vnde ſequitur, vt iuſtum eiuſdem rei eodem loco & tempore pretium ſit varium, pium videlicet, moderatum, & rigoroſum. vt frumentum infimo pretio quinque ſtuferis, medio pretio quinque ſtuf. cum medio, rigoroſo ſex ſtuferis vendi poteſt eadem menſura. Ex his conſequenter patet, quòd modica additio vel diminutio pretij, in his hominibus, qui conantur ad iuſtum pretium venire, iniqua non eſt: vel quia exigua res eſt, nihilique fit. Qui vero nihil aliud quærunt, quàm magno vendere & paruo emere, non habito reſpectu & intentione præcipua ad iuſtum pretium: quique malunt pretium eſſe incertum, quàm certum, vt plus lucrentur: mente iniqui ſunt, Et caſus eſt, ſi iuſto pretio commutent. Vbi vero pretium à magiſtratu eſt determinatum, aperta eſt iniquitas minoris emere, vel pluris vẽdere. Quia vero plurimi per viam latam incedunt, quæ ducit ad perditionem: hinc eſt quod valde multis

multis communis est ista iniquitas, qua pluris iusto vendunt, & æquo minoris emunt. Vnde & Salomon ait: Malum est, malum est, dicit omnis emptor: & cùm recesserit, tunc gloriatur. Gentiles quoque, & illis similes Christiani, reputant omnes homines hac iniquitate laborare. Vnde illa cuiusdam mimi facetissima prædicatur vrbanitas, Qui cùm se promisisset in theatro quid in animo haberent, & quid vellent omnes, aliis ludis esse dicturum, atque ad diem constitutum ingenti expectatione maior multitudo conflueret, suspensis & silētibus omnibus, dixisse perhibetur: Vili vultis emere, & carè vendere. In quo dicto leuissimi scenici, omnes tamen conscientias inuenerunt suas. Et mimus quidem ille vel seipsum intuēdo, vel alios quoque experiēdo, vili velle emere, & carè vendere, omnibus id credidit esse commune. Sed quoniam reuera vitium est, potest quisque adipisci eiusmodi iustitiam, vel alicuius alterius vitij, quod huic contrarium est incurrere pestilentiam, qua huic resistat & vincat. Nam scio ipse hominem (ait Augustinus) cùm venalis codex ei fuisset oblatus, pretiique eius ignarum, & ideo quiddam exiguū poscentem cerneret venditorem, iustum pretium quod multo amplius erat, nec opinanti dedisse. Quid si etiam sit quisquam nequitia tanta possessus, vt vili vendat quæ dimiserunt parentes, & carè emat quæ consumant libidines? Non est, vt opinor, incredibilis ista luxuries. Hæc Augustinus.

*Pro. 20.*

*Aug. li. 13. de Trini. ca. 3.*

*Eodē in loco.*

Ex his etiam liquet, iniquissimos esse faciẽtes monopolium: hoc est, impetrantes à principe, vt soli possint rem hanc vel illam vendere: vel, inter se contractum ineuntes, quòd nõ minoris vendent talem rem. Ideo enim ineunt monopolium, vt designent rei pretium quale volunt: & sic, iis qui re illa carere non possunt eam pluris vendunt, quàm reuera valeat, siue valeret si monopolium factum non esset. Nec excusantur eius farinæ homines, quia hoc eis conceditur a principe: eo quod & ipse princeps raptor sit eo casu, quo ex eius concessione augetur rei pretium vltra quam iustum est: nisi id faciat tanquam iustus iudex: hoc est, nisi per hoc velit punire populum suum. Contingit & aliis tribus modis in venditione iniustitia, etiam si res non vendatur pluris quam valeat. Primus modus est, quando defectus est in substantia rei, vt quum venditur res pro tali substantia qualis non est: quia vel omnino alia substantia est, vel corrupta est. Verbi causa: cum venditur vinum patrium pro rhenẽsi, vel mixtum ex patrio & rhenensi pro rhenensi: cum venditur mel pro saccaro, corrupta caro equina pro croco. Quale peccatum pharmacopolis familiare est. Contra hanc iniustitiam ait Dominus: Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua. Principes tui infideles, socij furum. Secundus est, quando defectus est in rei qualitate. Vt si quis vendat equum infirmum pro sano: domum ruinosam, pro firma. Tertius modus est, cum

*Esa.1.*

defectus est in quantitate vel numeri, vel ponderis, vel mensuræ alterius. Quod damnans dominus. Nolite, ait, facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statéra iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusque sextarius. Rursum, Non habebis in sacculo diuersa pōdera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis, & verus erit tibi, vt multo viuas tempore super terram, quam dominus Deus tuus dederit tibi. Abominatur enim dominus tuus eum qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam. Item Salomon, Statéra dolosa, inquit, abominatio est apud Deum, & pōdus æquum voluntas eius. Et iterum, Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum. Amos propheta quoque, Audite hoc, inquit, qui cōterītis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes, Quando transibit mēsis (hoc est, calendæ & solennitas) & venundabimus merces, & sabbathum, & aperiemus frumentum: vt imminuamus mensurā, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, vt possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus? Iurauit dominus in superbiam Iacob, Si oblitus fuero vsque in finem omnia opera eorum. Nunquid super isto non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius? Aliis insuper multis modis cōtingit emptionem esse iniquam: vt si quis à

*Leu.19.* *Deu.25.* *Pro.11.* *Pro.20.* *Amos 8.*

rustico emat aurum ei persuadens non esse nisi aurichalcum: vel animal sanum, persuadens esse infirmum, aut, mercem recipiat mensura æquo maiori. Non tenetur autem emptor indicare venditori dignitatem rei quam habet venalem; sicut nec venditor emptori vitium mercis: modò hic pro qualitate vitij pretium diminuat, & ille pro dignitate mercis pretium auctius tradat. Sed nullo modo licet dicere rem esse aliam, vel aliter affectam, quam est. Si verò ex ignorantia vitij rei venditæ imminceret alicui periculū: oporteret, saltem venditione facta, vitium indicare emptori. Vt si quis domum casuram, in qua esset opprimendus, emisset, putans eam firmam: aut si equum aratro duntaxat aptum emisset, vt in bello per eum in vitæ discrimine constitutus fugeret, vel alteri tanquam vtilem ad bellum vēderet: latens incommodum oporteret post venditionem indicare.

*Quàm periculosa sit mercatura: seu quàm facile sit mercantem peccare.* CAP. VII.

EX iam dictis satis manifestum est, quot periculis conscientiæ obnoxia sit negotiatio, qua quis aliquid emit vt pluris vendat. Omisso enim, multos mercatorum esse, qui (vt habet Sapiens) Sap. 17. æstimauerunt lusum esse vitam nostram, & cōuersationem vitæ compositam ad luctum, & oportere vndecunque, etiam ex malo, acquirere. Hoc, inquam, omisso, verissimum est illud Eccl. 26. Ecclesiastici: Duæ species difficiles & pericu-

losç mihi apparuerunt, Difficilè exuitur negotians à negligentia (Siue, vt Græcus habet, à deceptione: scilicet qua decipit) & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum. Vbi negotiantem vocat emptorem qui emit vt vlterius vendat: & cauponem, mercatorem vendentẽ: à specie totam genus mercatorum nominans. Cauponẽ verò ideo elegit nominare, eo quod fraus eius multiplex est: & in substãtia rei, quã do vnum vinũ vendit pro alio: & in qualitate rei, quando nouum vinum vendit pro veteri: & in quantitate, quando iniqua mensura vtitur. Accedit huc, quòd sæpe pluris vendit vinum, quàm valeat. Subdit deinde Sapiens causam cur mercatura sit periculosa: Propter inopiam, inquiens, multi deliquerunt: & qui quęrit locupletari, auertit oculum suum (videlicet à mandatis Dei) sicut ait Apo. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Et subdit Ecclesiasticus amplius: Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic & inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatis: hoc est, sicut palus firmiter in muro statuitur vt non moueatur, sic firmiter perseuerabit apud mercatores ementes & vendentes peccatum, propter quod in angustias detrudentur. Certè Ezechiel nullos ponit deplorare de-

*Eccl.27.* *1.Ti.6.* *Eccl.27.* *Eze.27.*

ſtructionem Tyri nominatim & particulatim, niſi reges, negotiatores & nautas: ſicut eadem tria genera ponit Ioannes, nominatim deflere interitum Babylonis. Nulli enim magis delicias huius mundi ſectantur, quam ſuperiores & præfecti, & negotiatores, & qui negotiatorum diuitias participant. Vnde & grauiſſimè condemnantur. Cùm enim dominum non timent (vt facilimè fit) ſuperiores plurima mala per potentiam, negotiatores per pecuniá committunt: & qui eis adhærent, eos imitantur. Sicut enim ait Saluator, qui in deliciis ſunt, in domibus regum ſunt Et vbi plures cōmeſſationes, vbi plures impudicitiæ, vbi plures iniuſtitiæ, vbi plures hæreſes, quam in ciuitatibus mercurialibus? Vnde Tyrus, ciuitas talis, tanquam peſſima, deſcribitur ab Eſaia, Ezechiele, & domino. Si, inquit dominus, in Tyro & Sidône factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Hinc & Dauid, volens prædicere maximam Chriſti gratiam, dicit etiam filiam Tyri adoraturam Chriſtum, & intraturam eccleſiá. Vnde apud Eſaiam & Ezechielem typicè Tyrus inſinuat totam ſocietatem impiorum: ſicut & Babylon in ſcripturis, ob terreni regni potentiam. Et Dauid, totam ciuitatem impiorū quaſi mercurialem deſcribés: Vidi, ait, iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Die ac nocte circundabit eam ſuper muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniuſtitia. Et non defecit de plateis eius vſura & dolus.

Apo. 18.
Mat. 11.
Eſa. 23.
Ier. 27. et 47
Mat. 11.
Pſa. 44.
Pſa. 86.
Pſa. 54.

Vnde venerabilis Beda non ſolos exactores vel conductores vectigalium, ſed & eos qui per negotia ſeculi huius lucra ſectantur, publicanos eſſe affirmat. Nihilominus, quia officia à vitiis hominum diſtinguenda ſunt, non eſt abſolute prohibendum publicani vel mercatoris officium. alioqui, Ioannes Baptiſta publicanis, dicentibus: Magiſter, quid faciemus? reſpondiſſet, Deſerite officium veſtrum: & nō ſolum dixiſſet: Nihil amplius quam quod conſtitutum eſt vobis faciatis. Quapropter Auguſtinus negotiationem docet eſſe licitam: præſertim eam qua quis merces affert de longinquo, ad ea loca in quibus non ſunt, eo quod illo caſu labor, quo res trāsfertur, cuſtoditur, & minutatim vēditur, & periculum induſtriaque mercatori cōpenſari debent. In ſumma, cū nō eſt defectus in ſubſtātia, nec qualitate nec quātitate rei, nec pluris venditur res, nec minoris emitur quam communi æſtimatione valeat: non agit mercator iniquè etiam ſi modicum laboris vel periculi ſubierit. Qualitas lucri, ait Leo Papa, negotiantē aut excuſat, aut arguit: quia eſt & honeſtus quæſtus & turpis. Verumtamen, pœnitenti vtilius eſt etiam diſpendia pati, quam periculis negotiationis obſtringi, quia difficile eſt, inter ementis vendentiſque mercium non interuenire peccatum.

*Scribēs in 3. cap. Lucæ.*

*Luc. 3.*

*In pſa. 79.*

*Epiſt. 92. ad Ruſticū Narbonenſem epiſt. ca. 10.*

*De infidelibus operariis & ſeruis.*

CAP. VIII.

Vrto infames sunt & serui negligẽtes & pigri, & operarij infidi, qui pro inutili aut semipleno labore mercedem integram accipiunt. Et sunt hi domestici fures, clandestinis furibus multo perniciosiores. Clandestinum enim furem canis & sera excludit, sed contra serui vel operarij negligentiam nulla custodia sufficit. Vnde Apostolus docet Titum, vt mandet seruis ne sint fraudantes, sed in omnibus bonam fidem ostendentes. Et ad Ephesios & Colossenses scribens, pręcipit eis ne seruiant ad oculum, quasi hominibus placentes, sed domino seruiant, obediendo dominis suis.

*Tit.2.* *Eph.6.* *Col.3.*

*De fraudantibus mercedem.*

CAP. IX.

Vicissim furtum committunt domini, qui seruos aut operarios mercede debita defraudant, aut eamdare in longum tempus differunt. Quod vitium perfrequens est, eo quod operarij plerũquę sunt pauperiores, illi verò, quibus operãtur, ditiores ac potentiores, vt ideo non vereãtur pauperes iniuria afficere. Hinc est, quod sacrá scriptura passim in hoc peccatum inuehitur. In Leuitico, Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane. Et in Deuteronomio, Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui siue aduenæ qui tecũ moratur in terra, & intra portas tuas est, sed eadẽ die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat ani-

*Leu.19.* *Deu.24.*

mam suam, ne clamet contra te ad dominum, & reputetur tibi in peccatum. Et per Malachiam ait dominus, Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis & adulteris & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit dominus exercituum. Et Iacobus Apostolus, Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miseriis, quæ aduenient vobis. Et culpam post pauca subiicit, Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis clamat, & clamor eorum, in aures domini sabaoth introiuit. Epulati estis super terrã. & in deliciis enutristis corda vestra, &c. *Mala.3.* *Iaco.5.*

*De iudicibus accipientibus munera.*

CAP. X.

FVrtum committunt iudices, qui venalem habent iustitiam, & muneribus deliniti causas inopum vel penitus, vel ex parte subuertunt, aut in longum tempus protrahunt, vt illi tandem defatigati & exhausti, causę cedant, vel obscuris verbis, & tarda executione causæ pauperũ subueniant. Hinc sacra scriptura diligentissime inculcat, Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. Et iterum, Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Ac ne putes tantùm grandia munera hîc intelligi, ait Ecclesiasticus, Xenia & dona excæcant oculos *Exo.23.* *Deu.16.* *Eccl.20.*

iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum. Ex quibus verbis patet malum esse, si iudex munera accipiat etiam voluntate iustus existens, & qui statuerit iustitiam non subuertere. Sicut malum est inspicere alienam vxorem oculo defixo in eam, etiam si desit mœchandi volũtas. Cuius ratio est, quia quodlibet beneficium vel munus naturaliter prouocat amorem. Naturale siquidem est, diligere benefactorem. Amor autem facit omnia in amato vel bona videri, vel non tam mala, quàm sunt, atque sic excæcat. Iudex vero excæcatus facilè iniquam pronunciat sententiam, reputatque se iustam ferre. Duæ sunt in iudice perinde nociuæ pestes, auaritia, quæ inhiat lucro, & animi imbecillitas, qua affectibus cedit, & odio aut fauore ducitur, aut potẽtia terretur, aut miseria flectitur. Vnde scriptura ait, Non facies quod iniquũ est, nec iniuste iudicabis, non consideres personã pauperis, nec honores vultum potentis. Et iterum. Pauperis quoque nõ misereberis in iudicio. Et alibi. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua. Nec tantum de sua integritate solicitus debet esse iudex, sed & sibi similes ministros debet asciscere, qui plerunque mores superiorum imitantur, dicente scriptura. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis est rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.

*Leu.19.* *Exo.23.* *Eccl.7.* *Eccl.10.*

SVnt quædam res, quarum vſus eſt earumdem conſumptio, ſicut vinũ conſumimus vtendo eo ad potum, & triticũ, vtẽdo eo ad cibum. Vnde in talibus rebus non debet ſeorſum computari vſus rei ab ipſa re, ſed cuicunque conceditur vſus, ex hoc ipſo conceditur res ipſa. Ac ideo in talibus rebus per mutuum rei, transfertur & rei dominium. Si quis ergo ſeorſum vellet vẽdere vinum, & ſeorſum eiuſdem vini vſum, venderet eandem rem bis, vel id quod non eſt, ac idcirco manifeſtè per iniuſtitiam peccaret. Simili autem ratione iniuſtitiam committit, qui mutuat triticum aut vinum, petens ſibi duas recompenſationes, vnam quidem, rei ſimilis & ęqualis, alteram verò, pretium vſus rerum illarum, quod vſura vocatur. Quædam verò res ſunt, quarum vſus non eſt ipſarum rerum conſumptio. Sicut vſus domus, non eſt eius diſſipatio, ſed inhabitatio, vſus æqui, vt vehat te, non, vt occidatur à te. Et in talibus rebus poteſt dominium rei ſeorſum concedi, & ſeorſum vſus, puta, cum quis alteri tradit dominium domus, reſeruato ſibi vel alicui alteri eius vſu ad aliquantum tempus, vel è conuerſo, cùm quis concedit alicui vſum domus, retento eius ſibi dominio. Ideoque licitè poteſt homo accipere pretium pro vſu, ſicut patet in conductione & elocatione domus. Et in talibus rebus non mutuum, ſed commodatum ſolet interuenire, nec per commodatum transfertur rei dominium. Pecunia autem

principaliter est inuenta ad commutationes faciendas. Ac ita, principalis eius vsus est ipsius consumptio seu distractio, secundum quod in commutationes expenditur. Sicut igitur apertè iniquum est, pro modio tritici accipere modium tritici, & seorsum pro vsu eiusdem tritici accipere sextarium, ita & perspicuè iniquū est, pro centū carolis mutuò datis accipere vicissim & totidem, & ampliùs vnum pro vsu illius pecuniæ. Aperta est enim inæqualitas inter modium tritici ex vna parte, & modium tritici cum sextario ex altera parte: inter centum carolos ex vna parte, & 101. carolinos ex altera. Hinc sacra scriptura vtriusque testamēti, frequentissimè omnem vsuram tanquam apertè iniquam prohibet & condemnat. Si (inquit, in Exodo, dominus) pecuniam mutuam

*Exo.22.* dederis populo meo pauperi qui habitat tecū, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes. In Leuitico: Si attenuatus fuerit frater

*Leu.25.* tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi aduenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias vsuras ab eo, nec amplius quàm dedisti. Time Deum tuum, vt viuere possit frater tuus apud te. Pecuniā tuam non dabis ad vsuram, & frugum superabundantiam non exiges. ego dominus Deus vester. In Deuterono.

*Deu.23.* quoque: Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quanlibet aliā rem. Quæ præcepta repetit Ezechiel cap. 18. & 22. docens eum, qui ad vsuram dat & amplius accipit, iniquum esse, morteque æterna moritur.

rum. Non leuiter autem considerandum est, quàm pulchrè citatis scripturæ locis explicetur quid sit vsura. Primo enim docetur vitanda esse, cum quis mutuat, eo quod vsura non nisi in mutuo contingat. Secundò explicatur in hoc consistere, quod amplius quis accipit, quàm mutuauit. Tertiò, ostenditur non contingere tantum in mutuo pecuniæ, sed & in mutuo quarūlibet rerum quæ vsu consumuntur. Putant enim quidam vsuram tantum esse in pecunia. Quod præuidens scriptura diuina, omni rei aufert superabundantiam, vt plus nō recipias quàm dedisti. Solent in agris frumenti & milij, vini & olei, cæterarumque specierum vsuræ exigi, siue (vt appellat sermo diuinus) abundantiæ. Verbi gratia: vt hyemis tempore demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, hoc est, ampliùs partem mediam. Qui iustissimum se putauerit, quartam plus accipiet portionem. Et solent argumentari ac dicere: Dedi vnum modium, qui satisfecit decem modios. Nonne iustum est, vt medium modium de meo plus accipiam, cū ille mea liberalitate, octo & semis de meo habeat? Alij pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diuersi generis, & non intelligunt, vsuram appellari & superabundantiā, quicquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint. Tales in Euangelio nummularij appellantur, siue potius, vt Græcè legitur, colybistæ: cuius verbi proprietatem Latina lingua non exprimit. Colyba dicūtur apud Græ-

*Hiero. in 18 cap. Ezech.*

*Mat. 21.*
*Hier. in 21. cap. Matth.*

cos, quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuſcula, verbi gratia, frixi ciceris, vuarumque paſſarum, & poma diuerſi generis. Igitur quia vſuras in pecunia accipere non poterant Colybiſtæ, qui pecuniam fœnerati erant, pro vſuris accipiebant varias ſpecies, vt quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent quæ nummis coemuntur, quaſi non hoc ipſum lex domini & Ezechiel prohibuerint, dicentes, Vſuram & ſuperabundantiam non accipietis. Cùm hos Chriſtus vidiſſet in Dei templo, ardore ſpiritus & zelo domus Dei concitatus, flagello eiecit è templo, menſaſque eorum ſubuertit, & pecuniam effudit, vocauitque eos latrones, ex templo ſpeluncam facientes, eo quod ſicut latro e ſpecu ſuo obſeruat viatorem, & latenter per inſidias eum occidit, ita vſu rarius prætextu ſubuentionis & miſericordiæ, technis ſuis facultates pauperũ paulatim exhaurit, & ſic depauperatos, mœrore & inedia ac ignominia occidit.

*Eze.22.* *Ioan.2.*

In nouo quoque inſtrumento præcepit dominus. Mutuum date nihil inde ſperantes, hoc eſt, non ſperantes amplius recipere quàm mutuaſtis. nam ipſam ſortem mutuatam recipere licet, & qui mutuat proximo, recipere ſortem cogitat. Sic Gregorius Niſſenus eum locum interpretatur, dicens. Debet homo vitare damnoſam ſolitudinẽ, ne quærat ipſe ab inope, diuitiarũ augmenta, æris & auri metallorum ſterilium exigens fructum, ſicut ait Saluator, Mutuum date, nihil inde ſperan-

*Luc.6.* *Gregori. Nyſſenus.*

tes. Malignam fœnorum excogitationem si quis appellet furtum & homicidium, non peccabit. Nam quid refert, suffosso pariete quenquam erepta possidere, ac fœnorum necessitate possidere illicita? Basilius tamen, & Ambrosius, Hieronymus quoque, aliter illud dictum Saluatoris interpretantur. Domini consilium est, inquit Basili. Mutuum date iis, à quibus accipere minimè speratis. Et quale, inquis, hoc mutuum, cui non reddendi spes coniuncta est? Intellige dicti efficacem vim, & legislatoris humanitatem admiraberis. Quando pauperi daturus es in domini gratiam, idem ipsum & donum & fœnus est, donum quidem, quòd à paupere non speres te recepturum, mutuum vero, siue fœnus, ob domini munificam liberalitatem pro illo reddentis, qui parua quidem per pauperẽ cùm acceperit maxima pro ipsis retribuit. qui enim pauperis miseretur, Deo fœnerat. Vsuram, inquit Ambro. ab vsu arbitror dictam, quod vt vestes vsu, ita vsuris patrimonia scindantur. Græcè τόκος vocatur, de quo sic Basilius. Lepores aiunt eius esse naturæ, vt simul & pariant & nutriant, & superfœtent. Sic & fœneratoribus, pecuniæ simul tempore & dantur ad vsuram, & gignunt, & superfœtant. Nondum enim in manus accepisti, & præsentis mensis lucrum quæstumve expostulabis. Hæc rursus pecunia data fœnori alterum malum eduxit, illud rursus aliud, denique malum hoc in infinitum serpit.

Quamobrem, genus hoc auaritiæ τόκος,

*Luc.6.*

*Ambr. in 16. c. Tobiæ*

*Hier. in 18. ca. Ezechie.*

*Ad finem ser. 2. in ps. 14*

*Li. Tobiæ cap. 13.*

*In serm. iam citato.*

id est partus ( vt existimo ) ob multiplex mali germen, siue fœcunditatem nominatur, aut fortè ob parturiginem ac mœrores anxios, qui in eorum mentibus gignuntur, qui grauati sunt fœnore. Sicut enim dolores parienti, sic tempus statutum debitori existit fœnus supra fœnus, malorum parentum mala soboles. Hi sanè fœtus vsurarum rectè genimina viperarum dicantur. Viperas enim dicunt ventrem matris perrodendo nasci. Sic item fœnora debitorum domos absumendo nascuntur. Semina omnia suo tempore nascuntur: animalia quoque tempore præstituto suos edunt fœtus. fœnus verò hodie nascitur, hodie parere incipit. Animalia item quę cito pariunt, cito etiam à partu desistunt. Pecuniæ vero, cùm ab auiditate plus ęquo habendi volucrem trahant originem, infinitam accessionem tanto progrędientem vlterius recipiunt. Vnumquodque crescentium, vbi ad iustæ sibique conuenientis staturæ magnitudinem peruénit, desinit augeri: argentum verò auari, omni tempore augescit. Animalia vbi suæ soboli cesserunt pariendi vices, non iam impregnantur: fœnori tradentium pecuniæ, aduentitias vndecunque alias pariunt & succedaneas, veteresque nouant. Hæc Basilius. Sic Latinis fœnus vocatur vsura à fœtu.

## *De multis vsuris, quæ vsuræ non reputantur.*
## CAP. XII.

Cum

CVm iam ostensum sit, vsuram esse, aliquid amplius accipere pro mutuo quam mutuatum est, luce clarius est esse vsuram, si quis mutuet obligando debitorem ad aliquid aliud quam ad reddendum æquale. Omnis enim obligatio seruitus est, & pecunia æstimabilis. Vsura est igitur mutuare sub pacto remutuandi, emendi aliquid à mutuante, aut vendendi ei aliquid iusto pretio. Item, sub pacto laborandi in agro mutuantis pro iusta mercede, aut vtendi mola mutuantis sub iusto pretio. & in cæteris similibus casibus. Si quis autem mutuet obligando hominem vt recognoscat, vel soluat quod ante mutuum debebat, prudentia est, non iniquitas. Similiter vsura est, rem pluris vendere quam valeat, quia differtur solutio, item minoris emere, quia anticipatur solutio. Creditor enim & soluens pecuniam ante mercem mutuant. Imo qui mutuant eo proposito, vt plus recipiant quàm mutuarunt, etiam si nulla interueniat conuentio, vsurarij sunt. sicut pulchrè docet, agens de his & similibus casibus, Vrbanus tertius. Cõsuluit nos, inquit, tua deuotio, an ille in iudicio animarum quasi vsurarius debeat iudicari, qui nõ alias mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, vt licet omni conuentione cessante, plus tamen sorte recipiat, &, vtrum eodem reatu criminis inuoluatur, qui (vt vulgo dicitur) non aliter parabolam iuramenti concedit, donec, quamuis sine exactione, emolumentum ali- *Lib. 5. decret. tit. de vsuris ca. Consuluit.*

quod inde percipiat: & ,an negotiator consimili debeat pœna cōdemnari, qui merces suas longe maiori pretio distrahit,si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur,quàm si ei in continenti pretium persoluatur? Verum quia quid in his casibus tenendum sit, ex euangelio Lucæ manifestè cognoscitur, in quo dicitur: Date mutuum,nihil inde sperātes: huiusmodi homines pro intentione lucri quam habent,(cùm omnis vsura & superabundantia prohibeatur in lege)iudicandi sunt malè agere , & ad ea quæ taliter sunt accepta,restituenda,in animarum iudicio efficaciter inducendi. Ille tamē qui dat decem solidos,vt alio tempore totidem sibi grani, vini,vel olei mensuræ reddantur: quæ licet tunc plus valeant , vtrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ,verisimiliter dubitatur:non debet ex hoc vsurarius reputari: sicut ait Gregorius nonus,Decretalium libro 5.Tit. de vsuris.cap.Nauiganti.Ratio huius est: quia in prædicto casu non emitur res minoris quā in præsentiarum valeat propter anticipatam solutionem, sed tanti nunc emitur res futuro tempore tradenda , quanti ipsa præfixo tempore tradenda nunc valet , etsi fortè minoris ematur postea tradenda, quam emeretur nūc tradita. Non igitur habetur ratio anticipatæ solutionis. Quinimò,ad iustitiam contractus nihil refert, siue pecunia nunc tradatur , siue tradenda promittatur vbi tradita fuerit res empta. Subdit autem Gregorius post verba

*Luc.6.* *Eze.18.* *Gregorius.* *Gregorius nonus.*

prædicta: Ratione huius dubij etiam excusatur, qui pãnos, granum, vinum, oleum, & alias merces vendit, vt amplius quam tunc valeant, incerto termino recipiat pro eisdem: si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus. Hæc Greg. Circa quæ verba animaduertendum est, quod valor mercis quæ non traditur, non augescit ex hoc quod dubitatur an plus valebit posteà, neque ex dilatione solutionis pecuniæ: quinimò vsura est, ea ratione rem pluris vendere: vt iam paulo ante dictum est. Cùm enim pecuniæ valor sit immobilis, quia mensuræ cõditio est esse immobilem, & merx quæ nunc traditur ementi, non potest in valore crescere vel decrescere ipsi vendenti, quia non amplius est eius. Nihilominus si in forma contractus ponatur solutioni terminus, non poterit reputari mutuum, eo quod mutuum sit beneficium & donatio quædam rei. Qui autem in ipsa emptione terminum solutionis ponit nolens aliter emere, si venditor etiam liberè & ante alterius petitionem talem terminum præfigat, nihil accipit gratiæ à venditore. cum, inquam, hæc ita se habeant, patet rem non posse simpliciter cum actuali traditione pluris vendi, quam valeat nunc. Gregorius autem in prædictis verbis excusat eum mercatorem, qui non vult nunc mercem suam vendere, sed futuro demum tempore, quo verisimiliter dubitatur an pluris sit valitura quam nunc. Hoc casu, si mercator oratus ab alio vt sibi nunc vendat, potest

ſe ſeruare indemnem, & rem paulò pluris vẽdere, quàm nunc valeat, non tamen tanti quãti ſperatur veriſimiliter valitura: eo quòd multo minoris valeat ſpes futuri, quam res in præſenti. Neque igitur hoc caſu plus accipit mercator quia differt ſolutionem: quinimo tanti poteſt vendere rem ſuam præſenti pecunia in hoc caſu, quanti vendit expectata ſolutione. Sed quia facile mentitur iniquitas ſibi, ſuadet Alexander tertius, ab eiuſmodi contractu abſtinere, quo quis, ſeruaturus merces, pluris eas vendit quam nunc valeant, expectata ſolutione pretij. Similiter vſura eſt, cum quis vendicat ſibi fructus pignoris vltra ſortem mutuatam: ſicut recte dicit Alexander tertius. Quoniam, inquit, non ſolum viris eccleſiaſticis, ſed etiam quibuſlibet aliis periculoſum eſt vſurarum lucris intendere, autoritate præſentium duximus iniungendum, vt eos, qui de poſſeſſionibus vel arboribus, quas tenére in pignore noſcuntur, ſortem deductis expenſis recipiũt, ad eadem pignora reſtituenda ſine vſurarum exactione, eccleſiaſtica diſtrictione cõpellas.

*Caie. in l. 2. q. 28. art. 1. alium caſum ponit in cap. In ciuitate tua tit. de vſura.*

*Conci. Lateran. parte 1.*

---

*De pœna vſurariorum.*

CAP. XIII.

PRæter æternam mortem, quam dominus per Ezechielem minatur accipienti vſuram vel ſuperabundantiam, & per Apoſtolum Paulum, omnibus iniquis: etiam ſic de vſurariis ſtatuit concilium Lateranenſe, ſub Alexandro tertio:

Quia in omnibus ferè locis crimen vſurarum inualuit, vt multi, aliis negotiis prætermiſſis, quaſi licitè vſuras exerceant, & qualiter vtriuſque teſtamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant: ideo cõſtituimus, vt vſurarij manifeſti, nec ad communionem admittantur altaris, nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiát ſepulturam. ſed nec oblationes eorum quiſquam accipiat, qui autem acceperit, aut eos Chriſtianę tradiderit ſepulturæ, & ea quæ acceperit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium epiſcopi ſui ſatisfaciat, ab officij ſui maneat executione ſuſpéſus. Hæc Concilium. Pulchrè verò ibi reiiciũtur oblationes vſurariorum, quia, ſicut ait Ecclesiaſticus, immolantis ex iniquo, oblatio eſt maculata, & non ſunt beneplacitæ ſubſannationes iniuſtorum. Dona iniquorum non probat altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Panis egentium, vita pauperis eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt. Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum. Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt. De his & ſimilibus oppreſſoribus hominum dicit & Pſalmiſta, Nõne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis? quaſi diceret, vtique, maxime experien-

*Ca. 25. Et citatur etiam li. 5. decr. tit. de vſur. ca. 3.*

*Eccl. 34.*

*Pro. 15.*

*Pſa. 13.*

tur, iram ſcilicet domini, quantumque ei diſpliceat hominum oppreſſio.

*Diſſolutio argumentorum, quibus vſura defenditur tanquam iuſta.*

CAP. XIIII.

Excuſare nituntur iniquitatem ſuam quidam vſurarij friuolis quibuſdam argumentis. In Deuteronomio, inquiunt, legitur: Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram, ſed alieno. imo, in eodem libro pro benedictione promittitur ſeruanti mandata Dei, fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies. Non igitur iniqua eſt omnis vſura. Reſpondetur, Iudæis multa permiſſa eſſe propter duritiam cordis eorum, quę reuera iniqua ſunt: ſicut permiſſum eſt eis, vt vxores diſplicentes, dato libello repudij dimitterent, quum haud dubiè iniquum ſit, dimittere vxorem excepta cauſa fornicationis. Sic itaque permiſſum eſt Iudæis cauſa inſatiabilis auaritiæ, vt in gentibus exercerent vſuras, ne fideles grauarent vſuris. Aliter Ambroſius reſpondet libri de Tobia ca. 15. Legis, inquit, ipſius verba cõſidera: Fratri tuo non fœnerabis, ſed ab alienigena exiges. Quis erat tũc alienigena, niſi Amalech, niſi Amorreus, niſi hoſtes? Ibi, inquit, vſuram exige, cui meritò nocere deſideras: cui iure inferũtur arma, huic legitimè indicantur vſuræ. Quem bello non potes facilè vincere, de hoc citò potes centeſima (ſcilicet parte) vindicare te. Ab hoc vſuram exige, quem non ſit crimen occidere. Si meeſi

*Deu.23.* *Deu.15.* *Mat.19.* *Deu.24.* *Ambroſ.* *Citatur etiã 14.q.5.cap. Ab illo.*

ferro dimicat, qui vſuram flagitat: ſine gladio ſe de hoſte vlciſcitur, qui fuerit vſurarius & exactor inimici. Ergo vbi ius belli, ibi etiã ius vſuræ. Hæc Ambroſius. Certè Dauid optimè legem Moyſi intellexit: pronuntiat autem generaliter illum demum habitaturum in Dei tabernaculo, qui pecuniam ſuam non dederit ad vſuram: nulla videlicet diſtinctione facta, cui detur pecunia ad vſuram: ſicut & Ezechiel morte moriturum dicit omnem qui acceperit vſuram & ſuperabundantiam. Porrò in benedictione illa: Fœnerabis gentibus multis & ipſe à nullo fœnus accipies: non promittitur timenti Deum, quod vſurarius futurus ſit aliorumque oppreſſor: ridiculum enim eſt hoc: ſed promittuntur ei maximæ diuitię, quodque ex illis mutuũ multis præſtabit, ipſe verò nullius alterius mutuo egebit. quia vox (fœnus) pro mutuò tantum accipitur.

*Pſa.14.* *Eze.18.* *Deu.15.*

Secundò obiiciunt, leges Romanas, ſiue ciuiles, vſuras approbare. ac ita, non videntur vſuræ lege naturali eſſe prohibitæ: præſertim cum Imperatorum ſit de bonis terrenis diſponere, & de contractibus terrenorum bonorũ. Reſpondendum eſt, gentilium iudicium, legeſque Romanorum Imperatorum non eſſe audiendas contra diuinam in vtroque teſtamento promulgatam, vel contra legem naturalem, aut contra canones ſacros. Neque autem omnino verum eſt, ius ciuile approbare vſuras. Imo Iuſtinianus Imperator ait: Non conſtituitur vſusfructus in rebus his quæ ipſo

*L. i. 2. Inſti. ti. de vſufructu.*

vſu conſumuntur. Nam hæ res neque naturali ratione, neque ciuili recipiunt vſumfructum. quo in numero ſunt vinum, oleum, frumentū, veſtimenta, quibus proxima eſt pecunia numerata. Namque ipſo vſu, aſſidua permutatione, quodammodo extinguitur. Ergo ſenatus non fecit quidem earum rerum vſumfructum (nec enim poterat) ſed quaſi vſumfructum cōſtituit. Hæc Iuſtinianus. Ex quibus verbis clarum eſt, pro vſu earum rerum quæ ipſo ſui vſu conſumuntur, nihil accipi poſſe, cùm illæ res vſumfructum non habeant. Dicitque hoc eſſe ex lege naturę atque ciuili. Ideo autem dicitur ſenatus conſtituiſſe quaſi vſumfructum in pecunia, quia vſuram permiſit cum eam non puniuit. Certe Ariſtoteles & Cicero, ex ſola lege naturæ vſuram docent eſſe iniquam. Et Cato (vt autor eſt a Ambroſius) interrogatus quid eſt fœnerare hominem, reſpondit, occidere. quod longe ante Catonem dixit Dominus per Moyſen. Si pecuniam, inquit, mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non vrgebis, ſiue, nō ſuffocabis eum quaſi exactor, nec vſuris opprimes. Accipere igitur vſuram, eſt ſuffocare hominem Moyſi. Et dominus in euangelio, vſurarios latrones appellat.

*Primo lib. Politicorum.*
*Li.1. officiorum.*
*a Li. de Tob. ca.14.*
*Ioan.2.*

Tertiò, ex ratione argumentantur, Emptio reddituum approbatur tanquam licita, & tamen nihil videtur differre à mutuo vſurariorum, ſed cæco tantum iudicio conſuetudinis videtur emptio reddituum recipi & vſura reprobari. At reſpondendum eſt, bis per omnia

differre emptionem reddituum ab exactione vſuraria. In vſura enim eſt mutuum, & transfertur pecunia vel alia res vſu conſumptibilis, & proinde infrugifera & ſterilis. In emptione autem reddituum vere emitur res fructifera, quæ ſingulis annis Domino ſuo fructificet, nempe ſeruitus alicuius fundi vel alterius rei, ſuper quam redditus conſtituitur. Sicut enim licet alicui pecunia emere, vt poſſit tranſire per agrum alterius quoties libuerit, ita poteſt ſinere, vt ex agro ſingulis annis recipiat modium frumenti, aut vnum carolinum. Sicut enim ius tráſeundi per agrum eſt ſeruitus agri pecunia æſtimabilis, ita ius accipiendi ex eo frumentum vel pecuniam eſt ſeruitus agri pecunia æſtimabilis. Et pluris quidem æſtimatur iſta ſeruitus, ſi nunquam redimi queat à vendente: minoris verò, ſi cum placuerit ipſi vendenti, poſſit redimi.

Nec igitur emptio reddituum approbata eſt à Pontificibus tanquam iuſta, quia conſueta erat: ſed contrà, conſuetudo emendi approbata eſt, quia ex lege naturæ iuſtum eſſe inuentum eſt emere redditum. Quemadmodum autem poteſt cõſtitui redditus ſuper agro, domo, vel alia re immobili: ita & ſuper hominẽ aliaſque res mobiles. Homo enim ſeipſum vendere poteſt, ſeruumque facere in toto, vel in parte. Vnde Iuſtinianus dicit vſumfructum conſtitui ſuper ſeruis & iumentis. Et hi redditus perſonales vocantur, & inter mobilia bona

computantur. Nam vt homo, ita & eius seruitus est mortalis.

Dupliciter autem solet vsura palliari nomine redemptionis reddituum. Primò, quando quis adhuc exigit pecuniam suam vel solutionem redditus, postquam interiit penitus res super quã erat constitutus. Ex hoc enim quod exigit intereunte re, vt fundo, clarum est quod non exigit ratione seruitutis emptæ, quæ iam periit, sed ratione mutui palliati. Secundò palliatur vsura nomine emptionis redditus, dum emptor obligat vendentem ad redimendum redditum certo tempore, vel cùm emptori placuerit. Tunc enim, tantum mutuum esse, nõ emptionem, perspicuum est. Hoc est enim mutuare pecuniam, transferre eius dominium in alium, obligando eum ad restituendum æqualem summam. Vnde Pontifices Martinus quintus, & Calixtus tertius, in vtraque extrauagante, quæ incipit: Rigimini vniuersalis Ecclesiæ, non approbarunt nisi eam emptionem reddituum in qua expresse caueatur, vt ipsi vẽditores reddituum vel cẽsuum, inuiti per emptores arctari vel astringi non valeant ad extinguendum vel redimendum censum, siue vt ipsi emptores pecuniam ipsam agendo repetere non valeant. Videbant enim Pontifices, si permitteretur emptori, cogere venditorem ad redimendum redditum, nihil fore nisi vsuram, nomine emptionis palliatam. Videbant, eo permisso publicos vsurarios posse suas vsuras excusare. Si enim vsurarius, mutuans centum

*Ponitur hæc extrauagans sub tit. de empt. & vẽditio. lib. 3. tit. 5.*

florenos dicat se emere redditum sex florenorum, adiecta conditione, quod redditus intra annum debeat redimi eadem summa, euoluto anno recipiet pro centum 106. & sic iustè ageret idem quod nunc iniquè agit. si prædictum pallium iustum esset. Ex his patet, vsuram esse cum tutor emit redditum pro pupillo, obligando venditorem ad redimendum reditum æquali pecunia, si pupillo iam adulto id placuerit. Cogit quidem ius ciuile Gentilium tutorem pro pupillo talem contractum inire, sed Christiani hoc præceptum contemnunt, admonentque diligenter veteres & solidi doctores, tam legum quam canonum, nõ solum theologi, quod vbicunque olim lege Gentilium tenebatur tutor pecunia pupilli fœnerare, tenetur hodie eam ponere ad iustam negotiationem, ad partem lucri & damni. Posset autem licitè venditor redditus post venditionem se ex gratia obligare emptori ad redimẽdum redditum. Multa enim possunt licite fieri duobus contractibus, quæ vnico contractu facta praua sunt. vt mutuans potest post mutuũ ab accipiente mutuum suscipere donum liberaliter oblatum, vel promissionem gratuitam, vbi vsura esset, si dum mutuat, & in ipso contractu mutui, acciperet promissionem vel donum.

Quarto argumentantur, Mutuans sæpe ponit sortem in periculo, vt dum mutuat pauperi, vel ei qui omnes diuitias suas in mari habet, quæ si tẽpestate pereant, nunquã recipiet

*Lib. 5. decre. tit. de vsur. ca. vlt. Naviganti vel eunti ad nũdinas.*

quod mutuo dedit. Poteſt igitur pro hoc periculo aliquid vltra ſortem exigere. Reſpondendum eſt Gregorij noni verbis: Certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod ſuſcipit in ſe periculum recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus. In quibus verbis: eo quod ſuſcipit in ſe periculum: non cauſam mutui dicit: (nemo enim mutuat quia ſuſcipit in ſe periculum:) ſed ſignificat cauſam cur recipiatur aliquid vltra ſortem. Vt vero pateat, caſum dicti capituli eſſe vſurarium, notandum eſt, quod periculum perdendæ ſortis nullum eſt apud mutuantem, niſi ex eo, quòd mutuatarius per mare vel periculoſas vias, raptoribus fortè obſeſſas, fert pecuniam & omnia bona ſua. item, quod ſeipſum ponat in periculo paupertatis, dum omnes facultates ſuas apponit mercaturæ. Sic etiam, dum quis pauperi mutuat, nullum eſt perdendæ ſortis periculũ, niſi quia pauper fortè mutuum conſumet. quod quidem ſi non conſumat, poterit creditori ipſam ſortem recuperare. Nunquam igitur prouenit periculum perdendæ ſortis mutuatæ, niſi præcedente vſu ſortis in mutuatario. Cum igitur mutuans pro periculo ſortis perdendæ aliquid exigit, intelligitur pro vſu mutui id exigere. Illud enim, quod Paſchalis Pontifex dicit de ſymoniacis vendentibus téporalia, quæ concomitantur ipſa ſpiritualia: Quiſquis eorum vendiderit alterum, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum dereliquit: dicere poſſumus & de hoc caſu, ſic,

*In decre. 1. q. 3. ca. Si quis obiecerit.*

Quiſquis aliquid exigit pro periculo ſortis perdendæ: quum hoc periculum non proueniat ſine vſu mutui,exigit certè aliquid pro ipſo vſu. Accipere vero aliquid pro vſu mutui vltra ſortem mutuatam,eſt aperta vſura. Quẽadmodum itaque fur furatus alicui centum carolos, ponenſque eos cum omnibus bonis in periculo,dum nauigat per mare, non debet plus reſtituere quam ille fur qui optimè cuſtodiuit rem furtiuam & diuitias ſuas: quia nimirum vterque fur tantum centum carolos ex ære alieno habet: ſic mutuatarius nauigans per mare, non plus accipit à mutuante quam ille mntuatarius qui in nullo periculo opes ſuas collocat: & proinde non plus debet reſtituere.In omni autem mutuo, neceſſario concurrit eiuſmodi periculum, vt ſi mutuatarius cũ omnibus bonis ſuis& omnibus pignoribus pereat,ſors quoq; mutuata pereat ipſi mutuãti.proinde,propter tale periculũ, quia in beneficio mutui includitur,non poteſt amplius accipi quam valet ipſum mutuum.Ex quo etiam patet,non repugnare naturæ pignoris, quod perdito pignore non poteſt exigi ſors mutuata. Imò pignus ſupplet locum perſonæ obligatæ, & ſic à mutuante, qui perſonæ fidere nõ audet,accipitur,tanquam ſecuriorem reddens quam ipſa perſona poſſit. Hæc eo dicta ſint,vt ſciatur contractum vſurarium eſſe, ſi quis cẽtum carolis emat agrũ feracem, oneribus deductis, vnius modij tritici, hac adiecta conditione, quòd poſt annum cogetur venditor

dimere agrum eadem ſumma. Ex cētum enim carolis mutuatis recipiuntur anno lapſo centum caroli,& modius tritici, ager autē pignus eſt. Nec ideo putandus eſt verè emi ager, quia agri periculum toto anno eſt apud eum qui fingitur emere. Tale enim periculum pignori non repugnat, vt diximus. Non plus periculi eſt apud eum qui fingitur emere agrum, quam valet ſua ſors mutuata. Non plus, inquam, periculi eſt, quam eſt apud vſurarium, qui paciſcitur quod pignore pereunte non exiget ſortē nec excreſcentiam. Quinto argumentantur ſic, Licet homini mutuanti ſe indemnem ſeruare. Igitur licet ei qui omnem pecuniam ſuam in mutuum exponit, accipere aliquid vltra ſortē. Videtur enim ſubire damnum, dum ceſſat à lucro mercaturæ, quam exercuiſſet, ſi non occuparet ſe mutuādo pecuniam ſuam. Dicendum eſt, damnum eſſe cum quis perdit quod habet, ſiue debet habere. Et indubiè licet mutuanti exigere reparationem damni, quod ſubit quia mutuat. Exempli gratia, Si quis vt mutuet proximo vendat agros ſuos cum detrimento, aut ſi quis vt mutuet vēdat frumentum vili, quod ſeruaturus erat in tempus, quo veriſimile erat carius vendendum. hic poteſt damni ſui ſubleuationem exigere ab eo cui mutuat, ita vt futura ſpes lucri ſemper æſtimetur minoris, quā res in præſenti. Poteſt enim lucrum ſperatum, multipliciter impediri. Is autem qui mauult mutuare quam mercari, quales ſunt vſurarij, nullum damnum hinc ſubit, quod per merca-

turam non lucratur, quia, cum nolit mercari, non eſt ei ſpes lucri ex mercatura. ideoque, nil ſuum amittit dum mutuat. Sicut ille qui mauult ſtudere Theologiæ quam Medicinæ, non damnificatur ex eo quod per artem Medicinę, cui non ſtudet, nihil lucrabitur. At qui reuera mercaturæ intendit, & quia petenti proximo mutuum dat, impeditur ab illa, & lucro veriſimiliter ſperato, is verè quia mutuat damnum patitur: ſicut qui ex venditione rei ſibi neceſſariæ vel charæ aliquid damni vel incommodi ſubit propter ementē: poteſtque ideo aliquid amplius accipere quam res in ſe valeat. Si autem vltrò velit aliquis vendere rem ſuam, non poteſt pluris eam vendere quam in ſe valeat: quia in gratiam emptoris nullam incidit iacturam. Patet igitur & hanc vſurariorum defenſionem eſſe friuolam. Sunt & alia argumenta, quæ pro ſe adducunt, verum hoc in loco horū ſufficit tractatio. Diligēter poſtremo animaduertendum eſt fixeque tenendum, Eccleſiam Romanam ex ſcripturis vtriuſque teſtamenti adeo certam ſemper fuiſſe, quod vſura eſt iniqua, nec poſſit iuſtè fieri, vt Clemens quintus in Concilio Viennenſi ſic dixerit, Sane ſi quis in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præſumat, exercere vſuras nō eſſe peccatum, decreuimus eum velut hæreticum puniendum.

*In Clementinis tit. de vſuris lib. 5. Clementinarum.*

*De petentibus mutuum ſub vſura, vel potius ab vſurario.* CAP. XV.

PORro ad leuamen necessitatis suæ accipere ad vsuras mutuum, peccatum non est: eo quod liceat vti iniquitate alterius, iam parati malè agere, ad vtilitatem
*Rom.9.* nostram: sicut Dominus Deus vtitur omnibus vasis iræ, vt ostendat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordię, quę præparauit in gloriã. Qui,
*Epist.154.ad Publicolam.* inquit Augustinus, vtitur fide illiusquẽ constat iurasse per deos falsos, & vtitur nõ ad malã rẽ, sed ad licitam & bonã, non peccato eius se sociat quo per dęmonia iurauit, sed bono pacto eius quo fidem seruauit. Sic qui mutuum petit ab vsurario, non petit vt vsurarius peccet, sed tantum mutuum: quod vtique licitum est, licet sciat mutuantẽ ex sua prauitate exacturũ
*Gen. 11.* vsuram. Sic Iacob à Laban petiuit iuramentũ quod sine peccato pręstare potuisset, quamuis sciret Labã ex sua prauitate per Deum falsum,
*4.Reg.5.* nẽpe per Deũ ipsius Nachor iuraturũ. Sic Naaman Syrus, fidelis iam factus poterat Helisæo approbante sustentare incumbentẽ sibi regem suum, Hoc enim ministerium licitum est, quãuis sciret regẽ ea sustentatione abusurum ad adorandum Deum Remmon. Sic licet homini manifestare bona sua latronibus ne occidatur ab eis, tametsi sciatur, illos diripiendo bona peccaturos. Cuius rei exemplum habemus Hieremiæ cap.41.

*De religiosis proprietariis & symonia.*
CAP. XVI.

Cum

CVm aut furtum ſit acceptio, poſſeſſio, detentio vel quæuis contrectatio rei alienę contra domini conſenſum, liquet quod quiſquis ſtudioſè celat Dominum rei contrectationem, illius rei fur eſt ipſo celandi animo. Vnde D. Auguſtinus in regula loquens de religioſis munus acceptum celantibus ſuperiorem qui vices communitatis gerit. Si quis, inquit, rem ſibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur, ideoque ſancti patres cœnobiarchæ, ſpiritali ſapientia pleniſſimi, vitium proprietatis de cœnobiis & monaſteriis radicitus extirpare ſtuduerunt, & ipſi canones proprietatem habentes religioſos, à communione altaris remouerunt, & ſtatuerunt, religioſos inuentos in morte habere proprietatem, in aliorum terrorem, extra conſortium fidelium ſepeliri cum pecunia, adiecta hac maledictione, Pecunia tua, tecum ſit in perditionem. Miſeri igitur ſunt illi religioſi, qui non contenti ambulare viam mandatorũ Dei, vouerunt Deum ſequi, & imitari illius paupertatem., qui cum diues eſſet tam inops factus eſt propter nos, vt non haberet vbi caput ſuum reclinaret: & tamen propter quaſdam quiſquilias, non perhorreſcunt ſe ponere in eorum numero, de quibus ait preco veritatis Apoſtolus: Fures regnum Dei non poſſidebunt. Eſt & alia iniuſtitia apud homines non infrequens, quæ Simonia dicitur à Simone Mago, qui ſicut in Actis Apoſtolorum legitur, voluit emere poteſtatem donandi Spiritum

*Lib. 3. decret. ca. 2. monachi non.*

*2. Cor. 8.*

*1. Cor. 6.*

*Act. 8.*

ſanctum, oblata pecunia, cogitans ſcilicet poſtea ſimiliter Spiritum ſanctum vēdere carius: Eſt igitur Simonia venditio vel emptio rei ſpiritualis, vel alicuius temporalis, quod ſpirituali annexum eſt & mediante re ſpirituali transfertur in alium. Quiſquis enim horum alterum vendiderit neutrum inuenditum dereliquit. Vt exempli gratia, præbenda in monaſterio, vel ipſum beneficium nemini datur, niſi recipiatur in fratrem monaſterij, & niſi conferatur ei ius faciendi officium beneficij. Qui ergo vult vendere victum, religioſo futuro, & beneficium, vendit ſpirituale ius officiādi in beneficio aut monaſterio. Multis modis ſancti patres conati ſunt hoc grande peccatū Simoniæ extirpare, imitantes ſanctum Petrū, qui Simonem Magum reiecit offerentem pecuniam cum hac maledictione: Pecunia tua

*Act. 8.* tecum ſit in perditionem. Sed propter inexplicabilem auaritiam contempſerunt homines ſanctorum patrum conatus. Et quia fragilis ſexus fœmineus eſt valde timidus, ſemper ſibi timet defutura neceſſaria, ideo (ſicut teſtatur Synodus Lateranen.) pleraſque moniales vſque-

*Cap. 64.* adeò labe Simonię infecit, vt paupertatis prętextu nullas velint recipere ſorores, niſi dato aliquo. Proinde nouiſſimè in Tridentina ſynodo conſtitutum eſt, vt is tantum numerus,

*Seſſio. 25. c. 3.* in ſingulis monaſteriis conſtituatur, qui ex conſuetis redditibus & eleemoſynis poteſt commodè ſuſtentari. In Dei iudicio prætextus locum non habebit, ſed ibi vrgebitur

Christi præceptum: gratis accepistis, gratis *Mat.10.*
date. & indignabitur spiritus quod gratiæ suæ munera pecunia vel precio æstimarentur & emerentur. In iniustitiis istis & furtis aduertendum est, non solum committi furtum cum res aliena inuito domino aufertur, sed etiam dum detinetur: ideoque quandiu homo retinet rem alienam, manet in peccato furti. Censetur autem detinere, quisquis abstulit vel consumpsit donec restituerit: eo quod causa sit cur alius re sua careat, vnde est illud memorabile verbum Augustini epist. 54. ad Macedonium. Si enim res aliena propter quam peccatum est, cum reddi possit non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum. Quod de furto dicitur; idé in ablatione famæ locum habet: Melius est enim nomen bonum quam diuitiæ multæ, & plus nocet detractor quam auferens diuitias. Detractor est autem non solum qui expressis verbis alterius famam denigrat, sed qui audiédo detractionem, causa est cur alterius fama lædatur. Vnde Salomon Prouerbiorum 24. Time Dominum fili mi, & Regem, & cum detractoribus ne commisceearis, quoniam repente consurget perditio eorum; & ruinam vtriusque quis nouit? tam videlicet qui detrahit, quam qui detrahentem audit.

## Præceptum octauum.

*Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

QVandoquidem iustitia requirit non solùm vt proximo nulla fiat iniuria, sed etiam vt illata reparetur, necesse est vt aliquod extet tribunal & iudex aliquis, cuius iudicio reparentur illatæ iniuriæ. Et quum malitia hominum etiam illud iudicium peruerti contingat, ideo quintum datur præceptum, prohibens, ne quis ad illius iudicij peruersionem cooperetur. Quamuis enim non quilibet homo iudex esse possit, ideoque cuilibet non dicatur, Ne iniustè iudices, potest tamen quilibet cooperari ad peruersionem iudicij, saltem falso testificando. ideoque cuilibet dicitur, Non dices contra proximum tuum falsum testimonium: vbi intelligitur prohiberi omnis peruersio iudicij, siue fiat per iniquam sententiam, siue per calumniam, siue per falsum testimonium: his enim modis peruertitur iustum iudicium. Quanquam autem quinto præcepto prohibeatur falsum testimonium, quo nocetur proximo vt per iudicium occidatur, vel iniustè damnum patiatur ( [illegible] modo Susanna & Na-
*Dan.12.* both iniuria affect[illegible]), iuxta subtiliorem ta-
*3.Re.21.* men intellectum, omne mendacium prohibetur hoc præcepto. Vnde Apostolus alludens

ad huius præcepti verba: Inuenimur autem (inquit) & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus aduersus Deum quod suscitauerit Christum quem non suscitauit si mortui nō resurgunt. Et quisquis mentitur de proximo, nocet ei. Si enim mentiendo vituperat eum, manifestè nocet, imponendo falsum vituperium, auferendoque ei famam & honorem: si autem falso laudat eum, grauat eum honore indebito, atque ita nocet, sicut ille qui proximo bona aliena tribuit, quæ proximus tenetur restituere. Si ille Magus qui facit colores hominum aliter apparere quam sint, re vera, nocet homini auferendo apparentiam naturalium colorum per quos innotesceret, vtique mentiens, quantum in ipso est, nocet proximo de quo mētitur, faciens eum internoscere aliter, quàm re vera est. Hoc igitur præcepto idē præcipitur quod verbis Christi, Est est, Non non. Hoc est: Sermo vester de re quæ est, sit assertiuus de ea quemadmodum est, & sermo vester de re quæ non est, sit negatiuus sicuti res non est, quod is abundantius est, id est, quod plus asseritur quam res est, aut plus negatur quam res non est, à malo est: id est, à diabolo, de quo alibi dicitur, Cum mendacium loquitur, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius (mendacij). Iuuencus pulchrè hanc sententiam carmine describit.

1.Co.15. Mat.5. Ioan.8.

*Est est sufficiat, quod non est, dicito non est:*
*Quod super est istis totum fallaciter agro*
*Suggerit obreptans animo vis tetra veneni.*

Sicut enim dominus fons est omnis veritatis, & verum à quocunque dicatur, à Spiritu sancto est: ita diabolus pater est omnis mendacij, & à quocunque proferatur mendacium, ex diabolo est. Eadem autem est ratio de mendaciis quæ consistunt in factis (de hypocrisi scilicet, & simulatione) quæ de mendaciis verborum: facta enim non minus significant, quàm verba. Ad hoc præceptum quidam reducunt blasphemias, contumeliam, derisionem, detractionem, & reliquas verborum iniurias, sed hæc etiam aliis præceptis prohibita intelligi possunt, nempe primo & quarto. Quemadmodum verò veritas præcipue inuenitur in doctrina religionis Christianæ & verbo Dei, ita etiam per Antonomasiam id vocatur mendacium, quo quis mentitur contra veritatem religionis: de quo dicitur Psal. 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium, quale fuit primũ verbum serpentis antiqui, dicentis primis parentibus contra Dei verbum: Nequaquam morte moriemini, sed eritis sicut dij. Vnde Apostolus Petrus epistolæ 2. cap. 3. vocat hæresiarchas magistros mẽdaces, & Ioannes epistolæ suæ primæ cap. 2. de hereticis sui temporis loquens: Quis est mendax, nisi qui negat quoniam Iesus est Christus? de quali mendacio etiam scriptum est: Mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. Similiter Prouerb. 30. Ne addas quicquam verbis illius, & arguaris inueniarisque mendax. De talibus mendaciis dicitur Ezechielis 13. Men-

*Gen. 3.*

*2. Tessa. 2.*

tientes populo meo credenti mendaciis. Contra huiusmodi mendaces in persona paucorũ fidelium orat Propheta Psalmo 11. De quali mendacio scriptum est Prouerb. 23. Ne desideres de cibis eius, in quo panis(id est, doctrina) mendacij:id est, ne legas libros eius vel expositiones,qui habet falsam doctrinam.

## De nono & decimo Præcepto.

*Non concupisces vxorem proximi tui.* *Deu.5.*
*Non domum,non agrum,non seruum non ancillam,non bouem, non asinum & vniuersa quæ illius sunt.*

NOn dubium est quin Dominus in monte Synai populo veteri in duabus tabulis lapideis decem præcepta scripserit : quandoquidem *De.* hoc aperte scriptura pronunciat. Sed quo- *Exo.34.* modo illa decem distinguenda sint, non ita clarum est. Optima autem videtur Augusti- *Super Exod.* ni distinctio tradentis nonum præceptum *Ambr.in ca. 6. epistola ad Ephes.* esse illud, Non concupisces vxorem proximi tui. Decimum autem, Non concupisces domum proximi tui, non seruum, non asinum, nec omnia quæ illius sunt, vt videlicet vltimis duobus præceptis prohibeatur concupiscentia furti, & adulterij, quarum rerum concupiscentia solent homines regulariter laborare, sub quibus concupiscentiis,

prohibitæ intelliguntur concupiſcentiæ aliorum peccatorum, nempe, homicidij & ſimilium. Prohibet autem Deus internam concupiſcentiam vitiorum, non ſolum externa opera mala, vt oſtendat iuſtitiam hominis coram ſe conſiſtere in plena rectitudine tam interioris hominis quam exterioris, cum iuſtitia coram hominibus, qui ſola exteriora nouerunt iudicare, non requirat niſi exteriora opera bona. Hæc erat (inquit Auguſt.) iuſtitia hominis primi, obedire Deo, & legem in membris aduerſus legem mentis, ſiue legem concupiſcentiæ non habere. Regula autem & lex, ſicut omnis menſura, immobilis eſſe debet, nec ad mutationem eorum quæ lege gubernantur, regula debet mutari, vel inflecti: ideoque lex data in prima inſtitutione, de vitando omnes motus prauæ concupiſcentiæ, non eſt mutata per peccatū hominis. quomodo enim homo poſſet aſpirare ad perfectā iuſtitiam, & ad eam conari, vel ad eam quandoque obtinendam, ſpem præmittere, ſi iuſtitiam perfectam non noſceret? quomodo vero poſſet noſcere, ſi nullis præceptis oſtenderetur? Deus itaque præcipiens vt nullum motum prauæ concupiſcentiæ habeamus, oſtendit quam longè à perfectione iuſtitiæ ſimus, quandiu in carne concupiſcente contra ſpiritum viuimus. quandiu enim in nobis viuit cupiditas, & motus ſuos exerit, imperfecta eſt Charitas atque iuſtitia. Quanquam enim non quilibet motus prauæ concupiſcentiæ charitatem atque iuſtitiam

*Li. 2. de pec. mer. & remiſ. c. 21. & de ciui. Dei, li. 19. ca. 27.*

*Aug. lib. de perfect. iuſtitiæ.*

*Aug. lib. de ſpirit. & litera ca. vlt. Gala. 5.*

euertat, & dominium ei auferat, minuit tamen ſpiritalem iuſtitiæ delectationem atque dilectionem: & ita perfectionem iuſtitiæ impedit. Aliud ergo mandat Dominus cum dicit, Non concupiſces, quam cum dicit, Poſt concupiſcentias tuas non eas, hoc eſt, prauæ concupiſcentiæ non conſentias: ſiue, vt Paulus loquitur: non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius. Auguſtinus de nuptiis & concupiſcentia libro 1. capite 29. Multum enim boni (inquit) facit, qui facit quod ſcriptum eſt, Poſt concupiſcentias tuas non eas: ſed non perficit, quia non implet quod ſcriptum eſt: Non concupiſcas. Ad hoc ergo dixit lex, non concupiſces, vt nos in hoc morbo iacere inuenientes, medicinam gratiæ quæreremus, & in eo præcepto ſciremus & quò debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, & quò poſſit à nobis in illa immortalitate beatiſſima perueniri: niſi enim quandoque perficiendum eſſet, nunquam iubendum eſſet.

*Aug. lib. 6. contra Iulia. cap. 6.*

*Rom. 6.*

*Eccl. 18.*

Item epiſtola 157. ad Optatum: Oportebat itaque (inquit) vt addito mandato cuius vox eſt, NON concupiſces: ſuperbo peccatori etiam præuaricationis crimen accederet, atque gratiæ medicinam non ſanata per legem, ſed conuicta infirmitas quæreret. Ex eo autem quod Apoſtolus citat ex lege, hæc duo vltima præcepta quaſi vnum mandatum, ad Romanos decimo tertio dicens: Nam non adulterabis, & cætera, videri poſſet mala eſſe diſtinctio præ-

Exo.20. dicta. Rursus ex illo quod in Exodo prius prohibetur concupiscentia domus proximi, deinde vxoris, ac postremò adduntur aliæ res, videtur quod sit vnum præceptum, in medio enim vnius præcepti non debet poni aliud.

Sed respondeo quod Apostolus non ponit hoc, Non concupisces, tanquam vnum mandatum, sed breuitatis causa nonum & decimum mandatum, sicut etiam alio ordine ibi citat Decalogum. Nam sic dicit, Non adulterabis, Non occides, & cætera, & capite tertio epistolæ ad Romanos varias coniungit scripturas, sæpe sensum magis citans quam verba.

Ad id quod secundo obiicitur, dicendum, in Deuteronomio sic legi, Non concupisces vxorem proximi tui, non domum, non agrum, & cætera, vti textus Septuaginta interpretum, & in Deuteronomio, & in Exodo legit, Non concupisces vxorem proximi tui, non concupisces domum proximi tui, neque agrum eius, neque seruum eius, &c. vbi notanter bis ponitur verbum, concupisces, & præcedit cõcupiscentia vxoris, & huic non coniungitur tanquam ad idem pertinens, Neque domum eius, sicut in decimo præcepto. Vnde textus noster in Exodo perturbatus videtur. Et reuera sicut furtum, & adulterium diuersis præceptis prohibentur, ita oportet & concupiscentias istorum sigillatim prohiberi. sunt enim illa carnis, hæc oculorum, & omnia diuersi

generis. Pręcepta legis decem sunt (inquit Augustinus) in decem praeceptis legis habes Psalterium. perfecta res est, habes ibi dilectionem Dei in tribus, & dilectionem proximi in septem. & vtique nosti, domino dicente, quia in his duobus praeceptis tota Lex pendet, & Prophetae. Dicit tibi Deus desuper, quia dominus Deus tuus Deus vnus est. habes vnam chordã. non accipias in vanum nomen domini Dei tui habes alteram chordam. Obserua diem sabbathi non carnaliter, non Iudaicis delitiis, qui otio abutũtur ad nequitiam. melius enim vtique tota die foderent quam tota die saltarent. sed tu cogitans requiem in Deo tuo, & propter ipsam requiem omnia faciens, abstine ab opere seruili. Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati. Et vtinam hominis, & non peccati. Hęc tria pertinẽt ad dilectionem Dei, cuius cogita vnitatem, veritatem, & voluntatem. In his tribus charitas Dei, in septem aliis charitas proximi, ne facias alij quod pati non vis. Honores patrem & matrem, quia vis te honorari à filiis tuis. Non mœchaberis, quia nec mœchari vxorem tuam post te vis. Non occidas, quia & occidi non vis. Non fureris, quia furtum pati non vis. Non falsum testimonium dicas, quia odisti aduersum te falsum testimonium dicentem. Non concupisces vxorẽ proximi tui, quia & tuam non vis ab alio concupisci. Non cõcupisces rem aliquam proximi tui, quia si quis tuam cõcupiscit displicet tibi.

*Conc. 1 in Psal. 32.*
*Mat. 22.*
*Ioan. 8.*
*Paulò infrà.*

Conuerte & in te linguam quando tibi diſplicet qui tibi nocet. Hæc omnia præcepta DEI ſunt, ſapientia donante data ſunt. deſuper ſonát. tange Pſalterium. imple legem quam dominus Deus tuus non venit ſoluere, ſed adimplere. implebis enim amore quod timore non poteras. qui enim timendo non facit malè, mallet facere ſi liceret. itaque etſi facultas non datur, voluntas tenetur. non facio, inquit, quare? quia timeo. Nondum amas iuſtitiam, adhuc ſeruus es. eſto filius, ſed ex bono ſeruo fit bonus filius. interim timendo noli facere. diſces & amando non facere. eſt enim quædam pulchritudo iuſtitiæ, pœna te deterreat. Habet iuſtitia formam ſuam, oculos quærit, accendit amatores ſuos. pro hac martyres ſeculum calcantes ſanguinẽ fuderunt. qui amabant quando iſtis omnibus renuntiabant? non enim illi non erant amatores? aut hoc vobis dicimus vt non ametis? Qui non amat friguit, obriguit. Ametur, ſed illa pulchritudo quæ cordis oculos quærit. ametur, ſed illa pulchritudo quæ laudatur. iuſtitia incendit animos, iuſtitia accenſi promunt verba; edunt voces, vndique dicunt, bene, optime. Quid viderunt? In quo pulcher eſt curuus ſenex? Non enim ſi procedat ſenex iuſtus eſt aliquid in eius corpore quod ametur, & tamen amatur ab omnibus. ibi amatur, vbi non videtur. imò ibi amatur, vbi corde videtur.

Mat. 5.
Rom. 8.

FINIS.